BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
E
107
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

198
4?
4[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

98
C
33

Digitized by Google

IOHANNIS SLEIDANI OPVSCVLA QVÆDAM,

QVORVM IPSE PARTIM AVctor, partim Interpres.

I, De quatuor Summis Imperiis Lib. III.

II, CL. SESELLII de Repub. Gallorum & regum officiis, libri II. Latinè redditi.

III, Summa doctrinæ PLATONIS De Rep. & legibus.

IV. Orationes duæ: vna ad Carolum V. Cæſarem; altera ad Germaniæ Principes & Ordines Imperii.

Omnia nunc primùm ſimul ita iuncta operâ & ſtudio

HELIÆ PVTSCHII.

Acceſſerunt ſeorſum COMMENTARII & NOTÆ *Guil. Xylandri* in libros de IV. Monarchiis, nunc primùm in lucem editi.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCVIII.

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS LECTORI.

DEſtinauerat hos libellos SLEIDANI, amice Lector, quos tibi iunctos vno libro damus, elegantiſſimus & eruditiſſimus ille HELIAS PVTSCHIVS ad nos, dum adhuc in viuis eſſet. Interim moritur optimus iuuenis, & debitum naturæ perſoluit, non ſine ingenti noſtro & omnium qui indolem hominis præclaram, aliaque in eo eximia, ſiue mores ſiue ingenium ſpectes, noramus, dolore, vt qui bonarum litterarum ſtudiis adhuc cum ætate creſcente, quâ nondum ad XXVII. annum peruenerat, operam talem, qualem pauci, dare potuiſſet. Nos nihilominus opuſcula miſſa typis noſtris abſoluere voluimus, & vel ſic manes amici demerere. Et facimus id tamen non ſine auctario, vbi noſtram operam tibi volumus commendatam. Accidit enim interim, vt aliquid inaudirem⁹ de clariſſ. & doctiſſ. V. GVL. XYLANDRI *Prælectionibus in libros de IV. ſummis Imperiis.* Non ante itaque deſtitimus, quam eas impetrauerimus: quæ res & editioni horum opuſculorum aliquantum moræ iniecit. Vt vero ſumus nacti, vidimus non in omnes tres libellos continuatas; quas tamen pertexere cœpit THEOPHILVS MADERVS Medicinæ Doctor & Philoſophiæ quondam in Academiis Baſilienſi, Altorfina & Heidelbergenſi Profeſſor celebris, hiſtoriarum inprimis ſtudioſus & diligens ſcrutator, ex cuius Bibliotheca ea ab amico conſequuti ſumus. Paululum quod deerat, ſuppleuimus aliunde. Accipis itaque COMMENTATIONES & NOTAS in tres iſtos libellos omnes; quibus vtere & fruere, mi Lector, atque vale.

Amplif-

Ampliſſ. & conſultiſſ. Viro;

DN. LVDOVICO WILHELMO MOSERO, SERENISS. Electoris Saxoniæ Conſiliario intimo, & Secretario primori, Domino & fautori ſuo,

HELIAS PVTSCHIVS S.P.D.

NON *apud ſuos in Italia ciues dumtaxat puto, Arpinum gloriari poteſt, Vir ampliſſime, illo alumno ſuo nobili quem in lucem primum protulit: (Ciceronem me dicere intelligis) ſed & apud omnes gentes atque populos alios, apud quos litteræ modò diuerterunt, & qui non planè barbari ſunt atque Muſarum expertes. Oppidum illud aliàs nõ ita clarum & famoſum cer-*

tè vt ceteræ quædam ciuitates, quæ caput inter vrbes extollentes ſe ingēti famæ inſeruerunt. Nec adeò ſe iactet tamē Mario ſuo, fuerit is vel ſepties conſul, ſiue omnibus honoribus ordine functus, & bello vir clariſſimus. plures, inquam, ſciunt Ciceronem eius vrbis municipem, quam Marium Arpinatem fuiſſe: adeo togata virtus bellicæ nihil cedit. Idem vero facere SLEIDA *ob editum ex ſe* Iohannem Sleidanum *poteſt, & neſcio an ob vllum magis; quod nimirum tam inſignem hiſtoricum naſci in illius vrbis ſolo contigit, cuius laus mehercule non ſolum apud Belgas ſuos latet, immo dicam celebratur potius, ſed & alibi locorum lōge eſt deprædicatiſſima. Et faciet vero* SLEIDA, *gaudebitque ſuo tam inſigni partu, innoteſcetque porro ſui*

ciuis

ciuis cognomine etiam in longinquis oris, absque vllo eorum qui ſimplicitati & veritati hiſtoricæ seriò ſtudēt, cauillo. Quantus enim vir ille fuerit, hiſtoricorum ſui temporis facile princeps, tibi profecto, Vir ampliſſime, optime paret: & vel tui cauſſa eo ſermone ſuperſedere debemus, ne in horum libellorum editione, dum te demerere ſtudemus, videamur inepti magis, narrantes ſcilicet ea quæ melius & rectius nobis ipſis noſti. Propter alios tamen quoſdam vitam ipſius cum elogio, vt ſcriptis ſuis id non ſemel conſignarunt viri huius ætatis eximii & hiſtoriæ ſcriptores hodie principes & verè auguſti, quidquid inuidis quibuſdam ſociis aliter videatur, poſtquam paullum ad te fuerimus adhuc præfati, ſubiicere decreuimus. Sane optandum eſſet, vt

pro vitilitigatoribus & calumniatorib. qui & in hoc campo,

Quaſi herba irrigua, ſuccrêrunt vberrime, *ætas noſtra plures haberet illius viri æmulos, qui* τῇ ἁπλότητι *ſtuderent in hiſtoria, & cum Perſis à primis vnguiculis* δεξάμενοι, ἀληθίζεσθαι *diſcerẽt potius, quam in phaleris, quas* ad populum *iubet ſapiens Satyricus, operam ſuam abuti, ſplendideque mentiri, & fabulas contexere vellent. Quotus enim quisque eſt, paucos ſi excipias, quo numero ſcilicet optimorum numerus terminari amat, qui ad iſtum modum ſcribat hodie? At multi tamen ſunt, qui ſimplicitatis viâ ad veritatis arcem graſſantes & hoc ſerio agentes, nullis non calumniis adgrediuntur & à ſcribendo deterrent. Sæcli peruerſa labes, quib. adeo* τὸ μωμήσασθαι *magis cordi eſt*

quam

quam μιμήσασθαι. *Scilicet illud* ἄιαι ῥᾷον. *Sed ad noſtrum inſtitutum reuertamur. Quum itaque forte fortuna eiuſdem laudatiſs. viri interpretatio librorum duorum, quos* Cl. Seſellius *Epiſcopus Maſſilienſis, vir doctus & celebris,* de Rep. Galliæ & Regum officiis *cõſcripſit, vel libri vt ipſe Seſellius vocat, de* Monarchia Franciæ, *in manus meas deueniſſet; quibus adiuncta erat* Sũma doctrinæ Platonis de Rep. & legibus, *congeſta eiuſdem Sleidani ſtudio: hosq; libellos non amplius exſtare, nec in librorum publicis officinis temerè inueniri aduertiſſem, vt vero exſtarent, & in promptu eſſent, cum cõmodo publico coniunctum fore, cõſideraſſem; denuo eorum editionem ſuſcipiendam duxi. Nec enim ſolis Gallis ſcripta iſta ſunt, vel Gallia-*

rum regibus, ſed ad omnes reges atque principes pariter pertinent, officiaq́; , quę eos decẽt, dilıgẽter & accuratè exponũt: eò magis æſtimãda, quod ex vſu rerũ deſũpta, & ad præſentis tẽporis ſtatum non parum accommodata, ſi pauca excipias, videantur. De quib. tamen plura verba habere nolim, quũ id iam ipſe Sleidanus in ſua ibi præfatione copioſe & perſpicue ſit exſequutus; minimeq́; etiã forte me deceat in ſermone de eiuſmodi rebus immorari, apud te præſertim virum grauitate, prudentiaque præſtantem, & qui in vſu rerum, præ me qui iuuenis adhuc valde ſum, mirum quantum videas atque ſis verſatus. Quũ igitur ita nobis decretum eſſet hos libellos diligenti typographo dare recudendos, ſimul nacti eiuſdem hiſtorici grauiſſimas Orationes duas: vnam ad Ca-

rolum

rolum V. Cæſarem: *alteram ad* Germaniȩ Principes & Ordines Imperii: *nec earum exempla publice ſupereſſe plura arbitrati, bonum factum putauimus, eaſdem prioribus libellis adiungere,* ὡς τοῦ αὐτοῦ πατρὸς καλὰ παιδία, *& quæ etiam hac ætate non minus vtiliter & cum fructu legi poſſent, dignaque lectu eſſent. Quid fit vero? an itaque omnia Sleidani opuſcula, quæ ſuperſunt, exceptis quos ſcripſit nobiles hiſtoriarum libros vnà edimus? inquiebam. Nec deliberatum diu fuit, quin, etiam absque periculo ſpero, iaceremus hanc aleam & adiungeremus porrò vel potius præfigeremus ceteris eiuſdem auctoris,* De quatuor Summis Imperiis libros, *in quibus præſertim multa quorum in Orationib. quoque fit mentio. Sic itaque hic libellus*

creuit atq; factus fuit amplior, nobis ſanè ita volentib. Quē cui offerremus & dedicaremus publicè cogitātib. nobis, nōdiu certèincerta eſſe debuit mēs animi: ita tu ſtatim nobis occurriſti, atq; incidiſti primus, Vir ampliſſ. Ex quo.n.tibi cōmendatū à parēte meo plurimum honorando Ioh. Philip. Stamlero *in amicorū tuorū numerū nullo meo merito adſciſcere voluiſti, fauorē tuum in me declaraſti multis modis, nullo non beneuolētiæ & honoris genere pſequutus: inde, inquā, cogitaui ſæpiꝰ quo pacto, ſi nō gratias reddere dignas poſſe, nec.n. id virium mearū ſatis videbā, ſaltē tamē gratū hunc animū & tibi deuotū publicâ cōteſtatione pfiterer; vitāq;, vt ille ait, inuitā mihi duxi, q̃diu eius rei non aliqua daretur occaſio. Ea verò ſe cū his libellis offerre viſa fuit, q̃ arripui itaque*

que

que cõtinuo atq; lubens, inprimis q̃d argumentũ ſcriptorũ inſtituto noſtro fauere videretur, nec id indignũ te fore, ſi mitterẽ, poſſẽ exiſtimare. Tu itaque, Vir ampliſſ. iſtam editionẽ, quã ſub nomine tuo adparere voluim⁹, vt aliquod grati ac memoris noſtri erga te animi teſtimonium extaret, ſerena fronte dignare, & hanc cõpellationem noſtram vt à cultore tuarũ virtutum profectã in optimã partẽ accipe: Sleidanũq; noſtrũ & nos cõtra Zoilaſtros, ſi qui maligno dente rodere audebũt, tutos præſta. Deus te principi ſereniſſ. diu ſeruet, tãtumq; fautorẽ litteratis longo tẽpore ſupereſſe ſinat ſaluũ & incolumẽ. quod cum Eccleſiæ ſuæ & Reip. bono vt fiat, ſummũ illum & benigniſſimum Deum etiam atq; etiam iterum rogo atq. obſecro, & vt ex animi tui ſententia valeas. Stadæ, Anno Domini ∞ IↃ CVI. *ipſis Idib. Febr.*

EX BOISSARDI ICONIbus virorum illuſtrium.

IOHANNES SLEIDANVS,

A Patria ſua, quæ eſt in Belgio, cognomen habuit. anno MDVI. in lucem prodiit. In patria primum litterarum fundamentis poſitis ſeſe inde in Galliam contulit, & Lutetiæ linguis pariter atq; artibus diligentiſſimè incubuit, adeò vt eruditione omnibus innoteſceret. Poſtea Iuris ſtudia complexus, publice in iis licentiam impetrauit. Hiſce & eloquentiæ ſtudium & Latini ſermonis puritatem adiecit. Cum hoc modo diu in Gallia verſatus eſſet, tandẽ anno MDXLII. Argẽtinã venit, vbi rem litterariã ſua doctrina plurimũ iuuit, & primũ PHILIPPI COMINÆI Commentarios de rebus geſtis Ludouici eius nominis XI. Galliarum regis, & Caroli Burgundiæ ducis, lingua Gallica mirabili induſtria ſcriptos, in Latinum ſermonem tranſtulit: poſtea quoque Iacobi Sturmii prætoris nobiliſſ. & ampliſs. prudentiſſimique familiaritatem nactus, eo non modò hortante; ſed & materiam ſuppeditante CAROLO V. Cæſare, de ſtatu Religionis & Reipub. Germanorum, cõmentarios

rios diligentiſſimè amicorum hortatu ſcribere cœpit, & tandem libris XXV. finiuit; præſertim cum publico Proteſtantium ſtipendio eò inuitaretur: quæ quidem hiſtoria Latina ab anno MDXVII. ad MDLV. continuata hodie vbique circumfertur, quę deinde in Germanicam, Gallicam, Italicam linguam verſa, variis in locis excuſa fuit. At verò Sleidanus, non tantum librorum ſtudio inhæſit, verum etiam res politicas tractauit, reſque ſibi commiſſas magna dexteritate perfecit. Itaque cum reges Galliæ & Angliæ grauiſſimum inuicem bellum gererent; ipſe anno MDXLV. Proteſtantium legatus ad Angliæ regem miſſus fuit; vt eum ad pacis ſtudia flecteret. Hinc nomine Argentinenſis Reipubl. anno MDLI. in Tridentino Concilio legatus interfuit, & in eo loco nihil intermiſit, vt tandem cum ſuæ partis Theologis actio inſtitueretur. Cùm autem Mauritiani, Cæſari præter expectationem bellum mouiſſent, Sleidanus Concilio ſoluto, & re infecta; domum rediit. Paulo poſt Henricus Galliæ rex per Lotharingiæ fines Argentinam verſus cum inſtructo exercitu progreſſus eſt. Poſtulauerat is ab Argentinenſibus, vti rebus neceſſariis exercitui ſubuenirent. Ea de cauſa Sleidanus cum Petro Sturmio & Friderico Gotteſſemo legati Sarburgum, ſeptem ab vrbe miliaribus miſſi, certam frumenti & vini

portionem detulerũt, cum eo vrbis nomine transegerunt. Quibus cum honoribus laboribusq; egregie perfunctus eſſet, ſui ſeculi Hiſtoricus facile princeps, obiit Argentinæ ex Epidemico morbo, anno MDLVI. (quamuis non deſit apud quoſdam dati veneni ſuſpicio, ob edenda quędam hiſtorica, quæ tum ab ipſo adhuc premebantur) ętatis L. ſepultusq; ibidem quieſcit: in qua ciuitate multiplice & eruditionis & prudentiæ atq; pietatis edito ſpecimine, ſummo ſemper loco habitus fuit. Tranſtulit autem præter ſupra enumerata etiam COMMINÆI *commentariorum de bello Neapolitano libros quinque* cum breui explicatione rerum, & auctoris vita editis. Tranſtulit & ex Gallico in Latinam linguam CL. SESELLII *de Republ. Gallorum & regum officiis libros duos*. addidit iis *Summam doctrinæ* PLATONIS *de Rep. & legibus*. Præterea edidit ORATIONES DVAS; *vnam ad Carolum V. Cæſarem*; *alteram ad Germaniæ Principes omnes atq; Ordines Imp.* in quibus de Papatu & cauſa religionis tractatur. FROSSARDI nobiliſſ. ſcriptoris Gallici hiſtoriarum opus omne breuiter collegit, & Latino ſermone reddidit. *De quatuor Monarchiis libellus* elegantiſſimus, eodem autore habetur publice.

Iaco-

Iacobus Aug. Thuanus Hiſtoriarum ſui temporis Lib. II.

Io. Sleidanus, cuius fidei & diligentiæ multum tribuo.

Idem Lib. III.

Cuius ritus [inaugurationis regiæ] quoniam formula publica edita eſt, & alioqui à Ioanne Sleidano diligentiſſimo rerum noſtrarum obſeruatore perſcripta, de ea dicere ſuperſedebo.

Idem Lib. VI.

Io. Sleidanus Argentinenſium legatus, harum rerum diligens ſcriptor.

Idem Lib. VII.

Io. Sleidanus diligens harum rerum ſcriptor.

Idem Lib. XII.

Sub exitum Octobris, (anni CIↃ IↃ LVI) cum hiſtoriam huc vsque exactâ fide & diligentiâ pertexuiſſet, ſcribendi & vitæ finem fecit Ioannes Sleidanus lue populari correptus, anno ætatis LI. à cognomine vico in Belgio ita vocatus, vir eruditione & rerum agendarum peritiâ hoc ſęculo clarus, qui adoleſcentiam apud nos fere egerat & in Bellaiorum familia diu verſatus res magnas ſub Ioanne Bellaio Cardinali geſſerat ac didicerat: inde incaleſcente per Galliam in Lutheraniſmi ſuſpectos animaduerſione in Germaniam ſeceſſit, & Argentinenſi reip. ſuam operam addixit, in eaque vrbe tot rerum quas geſſerat, aut à fide dignis acceperat, notitia fretus commentarios ſcribere aggreſſus eſt.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, EBERHARDO, DVCI Wirtembergico & Teckio, Comitiq; Mompelicardii,

IOHANNES SLEIDANVS S.P.D.

QVum ordinis veſtri maximum ſit ornamentum, Dux Eberharde, *literatura, vel mediocris, tum illa ſane, quæ res geſtas omnium ætatum in ſe complectitur, inprimis conditioni veſtræ conuenit. Et apud nos quidem, qui Chriſti nomen profitemur, primum in eo genere locum ſibi vendicant Biblica ſcripta, quæ & originem tradunt humani generis, & Dei voluntatem oſtendunt, & miſericordiæ ſimul ac iræ diuinæ plurima nobis documenta ſubminiſtrant. Ab iis proximè cognoſci debet, quicquid de reliquis gentibus memoria proditum eſt. nihil enim propemodum euenire poſſit, cuius non extet, & iam olim aliquà propoſita ſit effigies: quæ quidem in re permagnum habent adiumentum atq; ſubſidium, qui Rempublicam gerũt, ſi partem hanc eruditionis non negligant. Commodiſſima autem eſt illa ratio, quæ totum huius mundi curriculum in quatuor Imperia partitur. Ad primum quod attinet, deſtituimur libris neceſſariis*

riis & præter ſacram ſcripturam ferè nihil habemus fide dignum, aut quo niti poſſimus. Fuit haud dubiè ſeculum illud prorſus Heroicum, & rebus excellentibus ac memoratu dignis admodum illuſtre: ſed quota pars eorum ad nos demanauit? Semiramis celebratur & Babylon & Sardanapalus, nec aliud ferè quicquam: illud autem horrendum, & quo nullum fuit vnquam magis terrificum aut triſte ſpectaculum editum in vno aliquo homine, quod ipſe de ſe Nabuchodonoſor commemorat, vt eſt apud Danielem, quis attigit? tanta videlicet potentia regem & monarcham efferari, deiici regno, profligari ſedibus auitis, extrudi foras, ab hominum ſocietate remoueri, mutata natura paſci cum cæteris animantibus, & in belluã prorſus degenerare. Simpliciter quidem iſta narrantur ibi: ſed quo terrore perculſos eſſe credimus, qui diuinæ maieſtatis & iræ documentum hoc tam luctuoſum viderunt? Paucis ergò percurritur Aſſyrium vel Babylonicum Imperium, quòd intra ſacrarum literarum cancellos planè ſit conſiſtendum: reliqua verò tria, quæ ſequuntur, Græcum inprimis atq; Romanum valdè ſunt authorum ſcriptis illuſtrata. quos inter præcipuum locum obtinent, Græci quidem, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Polybius. nam alii, quorum Cicero meminit, Pherecydes, Hellanicus, Acuſilas, Philiſtus, Agathocles, Theopompus, Ephorus, Calliſthenes, Timæus, Clitarchus, Si-

¶¶

lenus interierunt: Latini verò, qui priſcam ſcripſerunt hiſtoriam Romanam, quos & Cicero nominat, deſiderantur etiam, Annales Pontificum, Fabius Pictor, M. Portius Cato, L. Piſo, Cælius Antipater, C. Fannius, Vennonius, Clodius, Aſellio, Accius, L. Siſenna. Nimirum hi ſunt, è quibus conflauit ſuum opus, maxima ſui parte mutilatus, T. Liuius, & hoc ſuperior, Salluſtius, imperfectus & ipſe Cicero quidem ſcribendi genus hoc non tractauit, ſed tamen in eo verſatus eſt diligentiſſimè, ſicut ipſius libri demonſtrant, qui paſſim tincti ſunt atque reſperſi totius antiquitatis memoria: ſed & tẽporis fuit obſeruantiſſimus, ita quidem vt & rerum & perſonarum ætates ordine poſſint ex eo cognoſci. Nam alioqui tenebricoſum eſt, quidquid in literas refertur. Et quia dicere ſolebat, hiſtoriam ſcribere, præſertim vt Græci, maximè eſſe oratorium, idcirco Pomponius Atticus eum ad hanc ſcriptionem hortatur, dum & illam literis Latinis abeſſe queritur, & ipſum efficere poſſe dicit, vt in hoc etiam genere Roma Græciæ non cedat. Et quidem commentarium ſui conſulatus Græcè compoſuit, ac Latinum inchoauit, vt ait ipſe. Nam valdè cupiebat illum ſuum annum celebrari ſcriptis aliorum: adeò quidem, vt ſi ceſſarent illi, non ſe defuturum ſibi, deque ſeipſo ſcripturum eſſe diceret. C. Cæſar de ſuis ipſe rebus tantum agit, nec à priſcis illis quidquam eſt mutuatus:

Tunc

Tunc etiam fuit Diodorus Siculus, & aliquãtò poſt Dionyſius Halicarnaſſeus: inde Plutarchus, Suetonius, Cornelius Tacitus, Appianus, Herodianus, Trogus Põpeius, Ælianus, Q. Curtius: verùm ex ipſis etiam nonnulli, vel omnino, vel bona ſui parte perierunt. Ab his extiterunt alii complures, qui ſui quiſque temporis aut etiã populi proſecuti res geſtas, ad hãc noſtram vſque memoriam pertingunt. Et hi quidem cognoſcendi ſunt omnes, aut certè bona pars eorum, vt ea, quæ requiritur facultas comparetur. Cognoſcendi ſunt autem, alii propter ipſam rem, alii propter rẽ ſimul & ſtylum ſeu genus orationis: quo quidem in ordine primum locum ſolus propè ſibi iure vendicat inter Latinos, C. Cæſar. nihil eſt enim eo purius, nihil elegantius: & non ſolùm paulò poſteriores, verùm etiam æquales omneis venuſtate ſermonis longè ſuperauit. Præter eos, de quibus dictum eſt, euoluendi etiam ſunt Eccleſiaſtici, qui vel conuerſionem religionis, vel afflictiones piorum vel conciliorum & antiſtitum leges atque decreta perſcribunt. Et quia regnum Pontificium in ſacris litteris prænunciatur, inueſtigandum etiam eſt eius initium, progreſſus & incrementum, vt cum iis notis atque ſignis, quæ ſcriptura delineauit, conferri poſſit. Sed quia varium eſt & multiplex & impeditum hoc totum quod diximus argumentum, latiſſimeque campus iſte patet, neque breui aliquo tempore percurri poteſt,

methodo quadam ſtudiis iuuenilibus conſulendum eſt, quoad facti grandiores, per omne genus authorum, ſuo Marte, quod aiunt, & liberè vagari poſſint. Et hac quidem de cauſa ſcriptionem hanc ſuſcepi, quò videlicet ætas illa formam aliquam habeat atque notationē eorum quæ diſcenda ſunt, quam interea veluti filum aliquod ſequatur, dum ſenſim adoleſcat in litteris & eo proficiat, vt hæc abiicere poſſit atque contemnere. Nec enim, vt his contenti ſint, aut intra fines iſtos maneant, eò ſcripſi, verùm, vt guſtum aliquem percipiant futuræ lectionis, & varietate rerum inuitati, magis excitentur ad perluſtrandum aliquando ſcriptores illos atque libros, vnde ſunt iſta deſumpta. Quùm autem ad eos, qui regendis populis præficientur, hoc ſtudii genus propriè pertineat, vt initiò dictum eſt, ætati ſimul & conditioni tuæ conuenienter me facturum putaui, Dux EBERARDE, *ſi tibi lucubratiunculam hanc meam impertirem: quo per te, tuasque manus, vt ita dicam, reliqua iuuentus fructum eius aliquem perciperet, ſi tamen vllus percipi poteſt. Quamquã enim in te formando & erudiendo nihil ad ſummam diligentiam reliqui faciunt ornatiſſimi viri doctores tui, Iohannes Sigiſmundus, & Sebaſtianus Coccius, tamen vt in hortuli cultura, quẽ exquiſitum variisque floſculis depictum eſſe volumus, non ſolemus aſpernari plantulas & herbas, aliunde nobis allatas; ita quoque non*

ingratum futurum ſpero, quod ad ingenii tui fundum excolendum à me defertur munuſculum, & tantiſper quidem defertur ſolummodo, dum aſſumpto robore, ſicut antea dictum eſt, ipſe per apertos campos & loca virentia volitare poſſis & exſpatiari. Qua quidem in re domeſticum tibi prælucet exemplum, patris tui, laudatiſſimi principis, virtus, qui ſplendorem generis eleganti doctrina non mediocriter auxit & ornauit: & quod præcipuum eſt, hanc ipſam facultatem ad eum finem confert, quem oportet, nimirum, vt nomen Dei celebretur, vt Eccleſia ſimul & ſchola bene conſtituantur, vt piis doctoribus alimenta ſubminiſtrentur, & diſcipulis etiam non deſit, quo vitam tolerent. Hoc enim officium inprimis ab ordine veſtro Deus requirit: & ſicut illius neglectum grauibus pœnis vlciſcitur, ita quoq; maximis donis remunerat illos, qui ſeſe fideles in eo præbēt diſpenſatores. Commemorari autem poſſent nominatim illuſtriſſimi parētis tui multa pietatis, conſtantiæ, fortitudinis documenta: ſed hæc olim ſuo tempore copioſius tractata leges, ac propria nobilitatis ornamenta cognoſces. nam qui bonis ingeniis ita fauet, quomodo fieri poteſt, vt non ab iis quem meretur fructum aliquando ferat gratitudinis, & ad poſteritatem celebretur? Cum igitur & ſui loci dignitatem & iniunctum à Deo ſibi munus intelligat, primam hanc voluit eſſe curam, vt inde a teneris & mollibus annis ad pietatem atque literas a-

nimus tuus informaretur: & qui ſenſus eſt atque ſtimulus amoris paterni nihil ei poſſit euenire iucundius, quam ſi induſtria tua ſuperari ſuam videat exſpectationem. Hanc autem in partem & tua te ſponte propendere, quantũ hac ætas ferre poteſt, & præceptores quoq; tuos diligenter inuigilare, nihil addubito. Quamobrem perge bonis auſpiciis, Eberarde princeps: & cum ſis ad gerendam rempublicam natus, ea præſidia tibi compares, quæ & perpetua ſunt, & certam opem adferunt, & laborem, qui tibi ſubeundus erit quandoq; gubernandi prouinciam auitam, non modo ſubleuant, ſed facilem quoq; reddunt atque ſuauem. Vale. Argentorati, Anno ſalutis

M D L V I.

IOHAN.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOHANNIS SLEIDANI, DE QVATVOR SVMMIS Imperiis,

LIBER I.

PRius, quàm de quatuor ſummis & præcipuis orbis terrarum Imperiis dicam, de *Babylonico, Perſico, Græco, Romano*, breuiter hoc mihi præfandum eſt, in annorum ſupputatione, ab orbe cõdito, magnam eſſe diſſenſionem: nam & Hebræi & Euſebius & Auguſtinus & Alphonſus & Mirandula, multùm inter ſe diſcordant: verumtamen, quia plerique omnes noſtri ſeculi viri docti, rationem Hebræorum, hac quidem in parte, ſequuntur, veſtigiis eorum & ipſe inſiſtam, quum res ita feret. Ac principio quidem, vt ad inſtitutum veniam, ad primum videlicet imperium, omiſſis illis, quæ in omnium primam ætatem inciderunt, omiſſa quoque narratione diluuii, quandoquidem ſacris literis hæc omnia continentur, neque melius dici poſſunt, exordium mihi ſumam ab eo tempore, quo diſſipata rurſus aquarum mole, & deſiccata terra, genus humanum, tunc ad pauciſſimos re-

dactum, denuò propagari cœpit. Diluuii tempus ad annum ponitur orbis conditi, milleſimum, ſexcenteſimum, quinquageſimum ſextum. Methuſalah autem, ſeptimus ab Adam hoc ipſo tempore moritur, annos natus nongentos ſexaginta nouem. Erat tum Noah, nepos Methuſalah ex filio Lamech, ſexcentorum annorum, & ſingulari Dei beneficio, cum ſua familia ſeruatus, vbi iam paulatim augeſceret hominum numerus, author ſuis liberis, atque poſteris fuit, vt in diuerſas regiones profecti terram colerent & oppida ſibi conſtituerent: ſuam denique cuique prouinciam, ſorte illis deſignauit, anno circiter centeſimo, poſt diluuium. Quo quidem tempore, Nimrod, Nohæ pronepos, vnà cum ſuis in terra Chaldæorum conſedit: cumque tandem creſcente hominum multitudine migrandum eſſet quamplurimis, & diuerſæ quærendæ ſedes atque coloniæ, voluerunt antea perpetuum ſui monimentum relinquere, & duce Nimrodo cœperunt vrbem ædificare, in eaque ſummę turrim altitudinis: & immemores iræ diuinæ, quæ nuper totum orbem terrarum abſorpſerat, & de qua diligenter ac ſæpè multúmque Noah illis haud dubiè concionatus erat, nominis ſui famam ſuperbis & ambitioſis operibus extendere cogitabant.

Offen-

Offenſus autem DEVS, irritos fecit illorum conatus, linguarum immiſſa conturbatione, cum prius vnum fuiſſet & idem ſermonis genus apud omneis. Itaque ab opere inchoato coacti deſiſtere, in varias mundi partes abierunt. Ab hac linguarum conturbatione nomen vrbs accepit, vt Babel diceretur: ab eoque tempore, nimirum ab anno poſt diluuium circiter CXXXI, regni Chaldæi ſumitur initium, & Babylonici.

Primus autem Rex fuit is, quem diximus Nimrod, qui LVI. annis præfuiſſe dicitur: hunc ſcriptura vocat robuſtum venatorem, & vim atque potentiam ei tribuit. Alii Saturnum vocant, eumque imperii ſui anno XLV. miſiſſe principes aiunt coloniarum huc illuc, Aſſur, Medum, Magogum, Moſcum, qui regna ſui nominis conderent, Aſſyrium, Medum, Magogum, Moſcum, è quibus duo quidem illa prorſus ad Aſiam, tertium autem atque poſtremum ad Aſiam, atque Europam pertinent. Ipſius Aſſur meminit etiam ſacra ſcriptura, & Niniuem vrbem ædificatam ab eo dicit. Nimrodo ſucceſſit filius Iupiter Belus, qui ad occidentem ſolem occupaſſe traditur omnem agrum in Sarmatiam vſque Europæam, ac deinde bellum quoque feciſſe Sagarum

regi Sabatio, quem non ipſe quidem, eò quod morte præpediretur, ſed ipſius filius Ninus oppreſſit, & productis longè latéque finibus, Monarchiam primus omnium cœpit. Trecẽtis quinquaginta poſt diluuium annis Noah moritur, & duodevigeſimo pòſt anno circiter Abraham, decimus à Noah, iuſſus à Deo, patriam relinquit, cum eſſet annorũ ſeptuaginta quinque: vigeſimo quarto autem anno poſteà, fœdus cum illo facit Deus per circumciſionem, quam inſtituit. centeſimo ætatis anno natus eſt ei filius Iſaac: poſt illud tempus vixit annos ſeptuaginta quinque. nam humanæ vitæ ſpacium multò iam erat contractius. Quomodo nepos eius Iacob, quaque occaſione deuenerit in Ægyptum, ibique ſit mortuus, quomodo deinde ipſius poſteritas aliquot ſeculis in Ægypto permanſerit, & duriſſima ſeruitute preſſa, beneficio Dei, per Moſen adminiſtrum educta fuerit atque liberata, ſacræ literæ docent. Ponitur autem hæc emigratio Iſraelis ex Ægypto, ad annum orbis conditi bis milleſimum, quadringenteſimum, quinquageſimum quartum, nempe quadringentis annis & triginta, poſt promiſſionem Abrahamo datam, vt ait Paulus Apoſtolus. Poſt Moſen, iudices habuit populus

lus Iſraeliticus, ad Saulem vſque, cui Dauid ſucceſſit, rex alter eius populi.

Nunc ad Babylonicum imperium reuertamur. Nino mortuo regnauit eius vxor Semiramis, quæ diuitiis & victoriis & triumphis nulli mortalium ceſſit. Babylonem oppidum extendit, & iuſtæ magnitudinis vrbem effecit, & variis ornauit ædificiis, muroque cinxit. Æthiopiam deuicit. & in India quoque bellum geſſit. Eius filius Zameis, quintus rex, nihil memorabile perfecit; ſed proximus ab eo Arius, Bactrianos, & Caſpios imperio ſuo coniunxit. Qui ſucceſſit huic Aralius, ingenio quidem & ſtudio militari clarus fuiſſe traditur: quid autem geſſerit non eſt proditum literis. Alter ab eo Baleus, quamplurimas gentes domuit ſuoſque fines ad Iudæam vſque produxit, ideoque Xerxes fuit cognominatus, hoc eſt, victor, & triumphator, ſeu bellator. Armatrites nonus, voluptatibus & otio planè fuit addictus. De Belocho X. nihil traditur, niſi quòd auſpicia curauit, & diuinationes. Baleus vndecimus, alteram à Semiramide laudem habet virtutis & induſtriæ militaris, & doctorum hominum ſcriptis valdè celebratus fuiſſe dicitur. Altadas XII. ocium & vitæ tranquillitatem ſecutus fertur, eò quod ſtultum eſſe duceret multis defatigari laboribus, & variis im-

plicari curis, amplificandi regni cauſa: quoniam ea res ad nullam hominum ſalutem & vtilitatem, ſed ad detrimentum potius atque ſeruitutem pertineret. Qui hunc excepit Mamitus XIII. belli curam atque laborem in ſuis iterum excitauit, eiusque fuit ſuſpecta potentia Syriis & Ægyptiis. In Mancaleo XIV. narrandi deficit argumentum. Sphæri XV. magna dicitur fuiſſe virtus atque prudentia. Mameli XVI. nullum facinus commemoratur. Sub Spareto XVII. proditum eſt, paſſim accidiſſe miranda. Qui fuit XVIII. Aſcatades, omnem Syriam ſuæ ditionis fecit. Et hactenus quidem is, qui circumfertur, Beroſus: de quo quidem ſcripto, plerique omnes valdè dubitant, & adulterinum eſſe putant: ſed quoniam aliis monumentis hac in parte deſtituimur, hunc ordinem ſequuntur. Ab aliis deinde reges viginti numerantur ad Sardanapalum vſque, trigeſimum octauum Aſſyriorum regem. Fuit hic omnium hominum longè effeminatiſſimus: inter mulierculas perpetuò deſidens, colum & lanam tractabat, adeò totus immerſus voluptatibus, vt vix vmquam ſui conſpectum præberet. His rebus alienati ab eo duo quidam eius præfecti, Belochus, Babyloniæ, Arbaces autem Medorum, facta coniuratione, cum turpitudinem eius atque mollitiem vulgò traduxiſ-

ſunt, bellum fecerunt. ipſe *cum ſuo ſemiviro comitatu*, vix tandem progreſſus in aciem, re male geſta profugit in regiam, & conſtructa pyra, ſe diuitiasque omnes in ignem abiecit, hoc vno facto virum imitatus, vt quidam ait. Hi duo præfecti monarchiam poſt inter ſe partiuntur, & Belochus quidē Babylonis, Arbaces verò Medorum atque Perſarum rex factus eſt. Fuit ergo Sardanapalus Aſſyriorum rex poſtremus, in eo quidē ordine, quū ad mille trecentos annos ea Monarchia ſtetiſſet: nam plerique reges omnes diutiſſimè vixerunt.

Belochus XXIX, aut ſi magis libet, primus Aſſyriorum rex, in noua monarchia, Manahen regem Iſraelis, vectigalem ſibi fecit: hunc ſcriptura ſacra, non Belochum ſed Phul appellat. Ei ſucceſſit Phul Aſſur, cognomento Tiglath Pilleſſer, qui vrbes aliquot Iudęæ cepit, & populū in Aſſyrios captiuū abduxit: hunc ipſum Tiglath, Achas rex Iuda, ſub quo vixit Eſaias, de auxiliis interpellauit aduerſus regem Syriæ, eique dona miſit. Tiglath regem ſecutus eſt Salmanaſſar, qui Samariam vrbem poſt trium annorum obſidionem cepit, & Hoſeam regem Iſraelis vnáque populum abduxit, & per ſuam ditionem illis domicilium attribuit, etiam in Medis, vt ait ſcriptura: vnde quidam colligunt ipſum imperaſſe

quoqueMedis. Eum excepit Sennacherib, qui Niniuem vrbem inhabitauit: Ezechiã regem Iuda mulctauit pecuniis, ac deinde cum ingenti exercitu Hieroſolymam obſedit, & miſſis legatis populum ad defectionem hortabatur, & regem, qui auxilium à ſuo Deo ſperaret, irridebat: ſed nõ tulit impunè: nam percutiente angelo Dei, deſiderauit vna nocte, ad centũ octoginta quinque hominum millia, quod Ezechiæ regi paulò antea per Eſaiam Deus confirmauerat: deinde domum reuerſus, à ſuis ipſe liberis fuit interfectus.

Hucuſque Babylonii, poſt debellatum Sardanapalum, Aſſyriis paruerunt: quum autem Sennacherib tantam, vt diximus, calamitatem ad Hieroſolymam accepiſſet, neque multo poſt à ſuis filiis eſſet trucidatus, magna fuit inſecuta rerum mutatio, & diuiſum eſt regnum. nam qui cædem fecerant, duo fratres Adramelech & Saraſar, profugerunt quidem, ſed nihilominus vim & arma pararunt in fratrem Aſſaradonem, qui poſt necem parentis regnum occupauerat, cum antea quoque, per abſentiam illius rempublicam geſſiſſet. Hanc adeptus occaſionem rei benè gerendæ, Merodach Babyloniæ præfectus, deſciuit, & indicto bello cum vicinas vndique gentes, partim gratia, partim vi paulatim ad ſe traduceret, duode-

duodecimo demum anno ſui regni deuicto Aſſaradone, totum Aſſyriorum Imperium Babyloniis adiunxit, & XL. poſt annis regnauit. Ab hoc nonnulli ponunt Benmerodach & Nabuchodonoſor, eius nominis primum: ſed quia literæ ſacræ nihil ea de re produnt, nec aliis temerè poteſt adhiberi fides, eum Nabuchodonoſor, de quo ſcriptura ſacra plurimam mentionem facit, proximum à Merodach, numerabimus. Is ergo ſtatim à primis annis bellum fecit Ægyptiis & regionem omnem, quæ eſt inde ab Euphrate vſque ad Peluſium, illis ademit. Ioachim regem Iuda vectigalem ſibi fecit, & octauo ſui regni anno filium Iechoniam regem vnà cum præcipuis viris & artificibus, non tantum vrbis Hieroſolymę, ſed totius quoque regionis, Babylonem captiuos abduxit. Anno XVII. ſui regni Hieroſolymam obſeſſam per biennium cepit, ac paulò poſt diripuit, incendit, muros diruit, potiſſimam populi partem captiuam abduxit, regem Zedechiam exoculauit, filios illius atque proceres interfecit. Hanc verò calamitatem Hieremias anno primo regni Nabuchodonoſor prædixerat: & ab hoc quidem tempore numerandi ſunt anni ſeptuaginta captiuitatis Babylonicæ. Ad annũ circiter XXIV. ſui regni, Nabuchodonoſor, deuictis A-

monitarum & Moabitarum regibus, exercitum duxit in Ægyptum, & occupata regione tota, Monarchiam pòſt inchoauit.

Altero anno Monarchiæ, ſicut noſtri tẽporis viri docti rationẽ putant, per ſomnium vidit ſtatuam ingentem, cuius erat caput aureum, pectus vnà cum brachiis argẽteum: venter & femora ex ære, crura ferrea: pedum pars aliqua ferrea, pars autem fictilis. Expergefactus, quum non recordaretur ſomnii. & tamen valde eſſet attonitus, conuocatis ariolis & diuinatoribus mandat, vt quale fuiſſet ſomnium, explicarent: niſi facerent, capitis pœnam denunciat. Ea re cognita, Daniel adoleſcens, qui cum reliquis fuerat captiuus eò deductus Hieroſolyma, nunciabat ſe poſſe regis deſiderio ſatisfacere: productus, incipit, & primò quidem, quid ſomniarit, oſtendit; deinde, quid ſibi vellet ſomnium interpretatur: & ſtatuam illam ſignificare dicit quatuor orbis imperia ſumma, quæ ſint ordine ſucceſſura, & ad ipſum regem oratione conuerſa, Tu, inquit, quem ſumma potentia Deus ornauit atque gloria, cui dedit imperium in omneis homines, & beſtias agri, volucresque cœli, tu nimirum es illius ſtatuæ caput aureum, poſt te regnum aliud orietur argenteum, videlicet deterius, quàm

ſit hoc

ſit hoc tuum: deinde tertium aliud æreum, quod longè latéque dominabitur: regnum verò quartum erit ferreum. Nam ſicut ferrum comminuit & perdomat omnia, ſic etiam quartum & poſtremum illud, reliqua omnia confringet, ſibique ſubiiciet. Hoc igitur primum eſt & inauditum anteà vaticinium de quatuor Imperiis, quod nobis eſt per Danielem diuinitus patefactum, res planè digna, quæ memoriæ tota commendetur, quia temporum omnium hiſtoriam ad finẽ vsque mundi paucis complectitur, vt poſteà ſum dicturus: nunc ſatis eſt videre, hoc primum tempore Deum aperuiſſe nobis imperiorum ordinem ac viciſſitudinem. Quanta verò fuerit potentia Nabuchodonoſor, magis etiam perſpicuum eſt ex eo loco Danielis, vbi ſcriptura comparat eum arbori, quæ ad cœlum vſque pertingat, quę totum orbem terrarum velut obumbret, cuius folia ſint longè pulcherrima, & fructus omnium vberrimus, quo ſaginetur, & pingueſcat, quidquid eſt animaliũ, cuius in frondibus atque ramis omne genus volucrũ nidificet & quieſcat. Eſt igitur hęc PRIMA MONARCHIA: quę ſicut hoc rege vehementer aucta fuit, & ad ſummũ educta faſtigiũ, ita quoque deſiit, ac planè deleta fuit in ipſius nepotibus, quemadmodum per Danielem Deus alioſq; Pro-

phetas denunciauerat. Regnauit Nabuchodonoſor annis XLIII. Quàm horrendo ſpectaculo Deus & exemplo ſuperbiam eius, vt Daniel ait, ſit vltus, operæ pretium eſt, vt cùm omnes mortales, tùm reges inprimis ac viri principes diligenter legant & conſiderent, quo videlicet maieſtatem diuinam reuereantur, & officium ſuum erga populum ſibi commiſſum faciant.

Succeſſit ei filius Euilmerodach. Is regnauit annis triginta, & ſucceſſorem habuit Aſſur, qui tribus annis præfuit. Hunc excepit Labaſſardach, ſeptem annorum rex. Ab hoc imperii ſummam obtinuit Balthaſar annis quinque. Ad hunc modum eos nonnulli recenſent: verum ætatis noſtræ viri docti, his duobus omiſſis, ab Euilmerodach rege numerant Balthaſarem filium, eumque per annos quatuordecim regnaſſe ferunt: quod quidem neceſſe eſt, vt conficiantur anni ſeptuaginta, quibus apud Babylonios captiuus fuit populus Iudaicus: quum huius captiuitatis initium ſumatur ab anno decimo nono regni Nabuchodonoſor. Qui rationem hanc ſequuntur, & duos illos reges, de quibus dixi, prætermittunt, ſcripturæ veſtigiis inſiſtunt, & Hieremiæ præſertim teſtimonio, qui futurum prædixit, vt Iudæi ſeruirent regi Babel, eiuſque filio, filiique filio: ſed

hîc li-

hic liberum ſit ſuum cuique iudicium. Balthaſar autem, vt ait ſcriptura, poſtremus fuit Babyloniorum rex, in eoque pariter omnes conſentiunt.

Iam, quomodo capta ſit Babylon, non ab vno deſcribitur: quomodo autem imminentem regi calamitatem, & iam præſenté Deus illi denunciauerit, Daniel commemorat, & interfecto rege, ſummam Imperii translatam eſſe dicit ad Darium, Medum; tum LXII. natum annos. Hic Darius à ſcriptoribus vocatur Cyaxares, fuitque filius Aſtyagis, quem Daniel Aſſuerum vocat, octaui Medorũ regis: & quum ſobolem maſculam non haberet, filiam ſuam in matrimonium dedit Cyro Perſæ, ſororis filio: & bello laceſſitus à rege Aſſyriorum in auxiliũ accerſiuit Cyrum, qui profectus eò cum copiis, & factus Imperator totius exercitus, feliciter rem adminiſtrauit, vrbe capta potentiſſima. Poſt hanc victoriam non amplius anno Darius vixiſſe traditur. Et hoc quidem tempore, quum capta Babylone Darius adhuc viueret, iamque per annos ferè ſeptuaginta populus Iſraeliticus eſſet in Babylone captiuus, Danieli, reuoluenti Hieremiam, eius captiuitatis prænuncium, & precanti, Deus multo maiora patefecit, & non ſolum inſtare liberationem cõfirmat, ſed quo tem-

pore ſit etiam venturus Meſſias, qui pro peccatis hominum ſatisfaciat, oſtendit.

A morte Darii ſumma rerum ad Cyrum generum delata fuit: & hoc quidem eſt alterius initium Monarchiæ. Iam enim & Aſſyriam & Mediam & Perſiam ſolus Cyrus obtinebat ad Ionium vſque mare, ſicut Thucydides ait, cum ante captam Babylonem prœlio cepiſſet Crœſum, Lydiæ, regem potentiſſimum. Eſt ergo Cyrus Perſarum rex primus & autor secvndæ monarchiæ. Deuictis Babyloniis, bellum geſſit cum Scythis, eoque profectus ipſe cum exercitu circumuentus tandem fuit per inſidias & interfectus, princeps laudatiſſimus. Initio ſui regni, poſt captam Babylonem, populo Iudaico permiſit, vt ex captiuitate domum reuerſi, templum ac vrbem Hieroſolymam reædificarent, ad eamque rem ſumptum liberaliſſimè ſubminiſtrari iuſſit. Hoc ipſum Deus, per Eſaiam, ſeculis aliquot antè, quam naſceretur ille, prænunciauerat nominatim. De animorum immortalitate diſſerentem ad filios, ante mortem Xenophon introducit, vt eſt apud Ciceronem, qui locum illum eleganter, vt omnia, vertit. Ad ſeptuageſimum annum Cyrus peruenit: regnauit annis triginta, quum xl. natus regnare cœpiſſet. Filius ei fuit Cambyſes, quem domo profi-

proficiſcens in bellum Scythicum; regno præfecerat. Is, abſente & occupato patre, cepit Ægyptum: bello quidem egregius, ſed alioqui vitioſus, & patris virtutem minimè repræſentans. Inter alia turpiter, immaniterque facta, fratrem quoque ſuum inſidiosè necari iuſſit. In iis libris quos de legibus Plato conſcripſit, valdè Cyrum in eo peccaſſe dicit, quod molliter filios inter feminas educaſſet, qui grandiores facti, & ab aſſentatoribus corrupti, quum ipſorum auribus plerique ſeruirent, mortuo parente, vitæ periculum alter alteri creârint. Cambyſi, ſecundo Perſarum regi, qui poſt mortem patris non diu ſuperſtes fuit, Darius ſucceſſit, filius Hyſtaſpis. Et quoniam à morte Cyri, ac poſt tantam exercitus calamitatem nonnulli populi, & in his Babylonii, à Perſico regno defecerant, ſtatim ab initio principatus arma ſumſit, & imperio ſuo rurſus illos adiunxit, capta quoque Babylone poſt longam obſidionem opera Zopyri.

Bellum deinde ſuſcepit in Athenienſes; qui ſubitò collectis copiis, neq; Lacedæmoniorũ exſpectatis auxiliis, ad decẽ millia hominũ, ingentem illius exercitũ, ad Marathonem, duce Miltiade fuderunt. Cogitabat redintegrare bellum Darius: verùm in ipſo conatu mortuus filiũ habuit ſucceſ-

ſorem Xerxē, qui decimo anno ſicut Thucydides ait, poſt prœliũ illud ad Marathonem, innumerabili cum exercitu venit, vt Græciam omnem ſibi ſubiugaret. Itaque rei gerendæ ſumma, de communi conſenſu fuit demandata Lacedæmoniis, quod ii totius Græciæ plurimum tunc poterant: Athenienſes verò ſecuti conſilium Themiſtoclis, vrbe deſerta, ſuisque liberis & vxoribus huc illuc depoſitis, naues conſcendunt, & hoſtē ad Salaminem inſulam prœlio vincunt. Ea victoria toti Græciæ fuit ſalutaris: nam terra quoq; profligatus, turpi & infelici fuga domum Xerxes reuertit, & Græci quidem etiam, poſt diſceſſum illius. Verùm Athenienſes, qui claſſem haberent, ad quadringentas circiter naues, prouecti longius & inſecuti, Seſtùm oppidum in Helleſponto, quod Perſæ tenebant, capiunt, & ibi peracta hyeme reuerſi domum, ſuas vxores atque liberos recolligunt, & vrbis, quam hoſtis captam incenderat, mœnia reſtaurant, portumque muniunt. Bellum hoc Perſarum, vel, vt Thucydides vocat, Medorum, eodem ferè tempore fuiſſe ſcribit Cicero, quo bellum Volſcorum, cui Coriolanus exul Romanus interfuit. Id autem incidit in annum vrbis conditæ CCLXVI. Perſicum illud bellum deſcripſit Herodotus, Thucydide prior. Eum Cice-

Cicero vocat patrem hiſtoriæ,ſed innumerabiles apud eum fabulas eſſe dicit. Munitionem hanc Athenienſium indignè quidem ferebant Lacedæmonii, ſed quum aliud non poſſent, muſſabant. Coniunctis etiam viribus, tum ipſi,tum reliqui Græci, & Athenienſes,Cyprum capiunt &Byzantium vrbem, quam Perſæ tenebant. Erat tunc inter alios Lacedæmoniorum duces, Pauſanias,qui cõuictus proditionis,quum domum rediiſſet, & obſeſſus in quodam aſylo, fame fuit enecatus. Themiſtocles etiam accuſatus hoc nomine,profugit.

Multis deinde variiſque bellis, & diſſidiis iactata Græcia fuit, partim externis, partim ciuilibus, quæ Thucydides obiter exponit:ſed tandem quinquageſimo anno poſt Xerxis è Græcia diſceſsũ, vt poſt Thucydidem ait Cicero, bellum illud ingens natum eſt,quando Peleponneſus tota coniurauit in Athenięſes, quorum in eo bello dux erat Anaxagoræ Philoſophi diſcipulus, Pericles, quem dicendo fulgurare, tonare, permiſcere Græciam ait Ariſtophanes. nam iidem erant olim & virtutis & eloquentiæ magiſtri.Ex altera parte ſummæ rei præfectus fuit Archidamus, Rex Lacedæmoniorum.Periclis erat æqualis&æmulus Thucydides,qui & bellum illud deſcripſit. In prætura collegam Pericles habuit

Sophoclem, Poetam Tragicum, vt Cicero narrat. Nunc ad Xerxem reuertamur. Is, re malè geſta, cum in magnum contemptum veniſſet, à ſuis eſt interfectus.

Ei ſucceſſit filius Artaxerxes Longimanus. Ad hunc, Themiſtocles exul, de quo paulò antè diximus, profugit, ibique vitam finiit, ſepultus Magneſiæ.

A Longimano regnauit Darius Nothus, qui ſororem illius habebat in matrimonio. In huius regnum incidit illud, quod diximus, bellum Peloponneſiacum. Et Athenienſes quidem, licèt ſatis impediti eſſent, tamen eius belli anno quarto, ſicut Thucydides ait, claſſem in Siciliam miſerunt, verbo quidem, vt Leontinis adeſſent contra Syracuſanos, reuera autem, vt inſulam illam ſuæ ditionis efficerent, quo ſic poſſent commodius perdomare Græciam: quumque ſubinde reuerterentur & factiones alerent, Hermocrates Syracuſanus author fuit Siculis, vt omni depoſita ſimultate, pacificarent: nam Athenieſes ipſorum omnium libertati tendere inſidias. itaque perſuaſit, quod fuit eius belli an° ſeptimo.

Tribus pòſt annis, pacem Athenienſes & Peloponneſiaci faciūt in annos quinquaginta, ſed non totum ſeptennium ea pactio durauit. tūc enim hoſtiliter multa fieri cœperunt: & licèt non planè ſublata pax eſſet,

ac ſub-

ac ſubinde per inducias reſarcirentur offenſiones, tamen anno decimo rurſus ad arma ventum eſt totis viribus, durauitque bellum hoc alterum annis decẽ & ſeptem. Tunc Athenienſes denuo claſſem ornatiſſimam in Siciliam mittunt. Primi duces erant inter alios, Alcibiades & Nicias. Et hic quidem, concionibus aliquot habitis, nauigationem valdè diſſuaſit: Alcibiades verò contra. Siculis opem ferebant Peloponneſiaci: tandem in portu Syracuſano Athenienſes cum hoſte confligunt, ſed poſt ancipitem ac ſubinde variantem fortunam profligati fuerunt omnes atque conciſi. Interea Lacedæmonii, ſociique Darium regem Perſarum, in Athenienſes fœdere ſibi coniungunt. Darii legatus erat Tiſſaphernes. Ceterùm poſt Codrum, Polydorum Spartanum & Ariſtomenẽ Meſſenium, hi ferè numerãtur pręcipui maximéque clari Græcorum duces, quorum alii de tota Gręcia, alii de ſua quiſque patria bene meriti ſunt: Miltiades, Leonidas, Themiſtocles, Pericles, Ariſtides, Pauſanias, Xanthippus, Leotychidas, Cimon, Conon, Epaminondas, Leoſthenes, Aratus Sicyonius, Philopœmen. Ex iis plerique fuerunt iuſſi tandẽ exulare. Portũ Syracuſanũ Cic. deſcribit, in eumq; ſolã Athenienſiũ claſſem, poſt hominũ memoriã inuaſiſſe trecẽtis nauibus,

victam autem atque ſuparatam in eo ipſo portu, loci ipſius portusque natura, & tunc primùm opes ipſius ciuitatis victas, comminutas atque depreſſas, & nobilitatis, imperii, gloriæ, naufragium fuiſſe factum dicit. Siciliam in circuitu patere, quantum nauis magna poſſit obire intra dies octo, & à continenti diſtare Thucydides ait circiter viginti ſtadiis.

Dario filii erant duo, Artaxerxes, Mnemon & Cyrus, quorum ille mortuo parenti ſucceſſit, Cyrus autem Ioniam Lydiamque tenebat: ſed ſorte ſua non contentus fratri regi bellum fecit, in eoque victus fuit & occiſus. Cyrum hunc minorem M. Portius Cato, regem Perſarum, vt eſt apud Ciceronem, præſtantem ingenio virum, atque imperii gloriâ vocat. Laudat etiam ex Xenophonte, propter ſtudium agriculturæ: nam ei Xenophon, & militauit & fuit familiaris, ideoque poſt ab Athenienſibus, qui Mnemonem habebant amicum, pulſus fuit in exilium. A Mnemone regnauit Ochus, ex tribus natu minimus filius.

Hunc excepit Darius poſtremus. Ei bellum fecit Alexander, Philippi Macedonum regis filius; qui Thebis euerſis, & pacata Græcia, in Aſiam contendit, & tribus prœliis Darium ſuperauit, capta illius & matre, vxore, & filiabus. Ingentes quidem condi-

conditiones, & regni partem ad Euphratem vſque Darius ei deferebat; ſed ille reſpuit, neque deſtitit antè, quàm illum expugnaſſet. Quum enim pacem obtinere Darius his conditionibus non poſſet, tertium bellum inſtaurat, & educto validiſſimo exercitu, rurſus profligatur, inque fuga trucidatur à ſuis: cum eoque Perſicum imperium quod annis ſteterat ducentis & amplius, deletum fuit. His tantis victoriis in ſuam ditionem perduxit Alexander, quidquid eſt ferè terrarum ad orientem ſolem, & in Europam ex Aſia tranſportauit imperii ſummam, & TERTIAM conſtituit MONARCHIAM. Poſt etiam in India belligerauit: ſed quæ hominum eſt infirmitas, tantam fortunæ benignitatem & indulgentiam moderatè ferre non potuit: & quum inſolenter multa faceret, ſeque pro numine vellet propemodum adorari, Babylonẽ vbi veniſſet, febri, vel vt nonnulli tradunt, veneno fuit extinctus, quum annorum eſſet triginta trium, & annos regnaſſet duodecim. Vitæ finem ei prædixerat Calanus Indus, vt ait Cicero. quum enim conſcenderet in rogum ardentem, & Alexander eum rogaret, ſi quid vellet, vt diceret: *optimè*, inquit, *propediem te videbo.* Paucis poſt diebus mortem obiit Alexander. Interitus eius ad centeſimam decimamquartam po-

nitur Olympiadem, vrbis autem Romanæ conditæ anno quadringenteſimo nono, trecentis nimirum & viginti duobus annis ante natum Chriſtum. Bonarum artium inprimis amans, & in homines doctos fuit liberaliſſimus, eoque nomine multorum celebratur monimentis. Homeri poema ſibi familiariſſimũ habebat: & quanquam ſcriptores multos rerum ſuarum ſecum habuiſſe dicitur, tamen quum in Sigeo ad Achillis tumulum aſtitiſſet, *O fortunate*, inquit, *adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris.* Etenim ſicut ab Apelle potiſſimum pingi & à Lyſippo fingi, ſic etiam ab iis tantum celebrari volebat, & poſteritatis memoriæ commendari, qui in ipſo laudando propriam ingenii gloriam conſequi poſſent. Ariſtoteli præceptori negotium dedit animalium deſcribendi naturas, ad eamque rem aliquot hominum millia per Græciam Aſiamque conſtituit, pecuarios, venatores, piſcatores, cetarios, aucupes, & id genus alios, qui de ſingulis illum edocerent: ipſi verò ſcriptori præmium laboris dediſſe traditur octingenta talenta, hoc eſt, vt quidam ætatis noſtræ viri docti rationem ineunt, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta. Xenocrati Philoſopho quinquaginta per legatos talenta miſit, aureorum videlicet

delicet millia triginta: ſed illo recuſante, quod tanta pecunia non ſibi diceret opus eſſe, legatis reuerſis, Quid, inquit, nullos ne habet ille amicos, quibus benefaciat? Primis annis, quum Ariſtotelis eſſet diſcipulus, ſummo ingenio, ſummaque modeſtia præditum, poſtea verò quàm rex appellatus eſt, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe, ait Cicero. De ſplendore, deliciis & luxu Darii mira narrant ſcriptores: nam omnis generis coquos, cupedinarios, fartores, artifices, magiſtroſque gulæ & vnguentarios habebat in caſtris, ne quid ad corporis voluptatem omninò deeſſet. Quantus etiam fuerit alioqui regum Perſarum ſplendor & apparatus in quotidianis epulis, non ab vno memoriæ proditum eſt. Solebant, vt ait Cicero, plures vxores habere: his autem vxoribus ciuitates attribuere, vt hæc mulieri redimiculum præberet, illa hunc, vel illum ornatum. Talem igitur, vt dixi, vitæ finem habuit Darius, & in fuga, quum aquam turbidam bibiſſet & cadaueribus inquinatam, negabat vnquam ſe bibiſſe iucundius: nec enim ſitiens vnquam biberat.

A morte Alexandri, diuiſa fuit imperii moles in proceres, Ptolemæum, Laomedontem, Antigonum, Caſſandrum, Leonatum, Eumenem, Pythonem, Lyſimachum,

Antipatrum, Meleagrum, Seleucum: in his autem præcipui fuerunt Seleucus Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Antigonus Aſiæ minoris, Caſſander Macedonum Græciæque rex deinde factus, oppreſſis omnibus Alexandri propinquis. Lyſimachus, ille eſt quem Alexander iratus aliquando concluſerat cum leone: quum autem interfectam ab eo belluam audiſſet, magno habuit in honore. Ceterum, inter eos, quos dixi modo ſucceſſores, eorumque filios atque nepotes, grauiſſima bella fuerunt, vt fieri ſolet, dum ambitione deprauatus animus quieſcere non poteſt, & aliena cum iniuria ſuam potentiam augere ſtudet. Et his quidem bellis, quoniam diuturna fuerunt vehementer afflictæ regiones illæ omnes, in populi Romani ditionem paulatim venerunt, qui longè latéque rerum potitus, qvartam & poſtremam effecit monarchiam, de qua nobis iam dicẽdum eſt. Ceterùm, inter Ægypti reges, Alexandri ſucceſſores, numeratur Ptolemæus Philadelphus, admodum laudatus princeps: nam & pacem coluit, quantum in ipſo fuit, & artes liberales excitauit, conſtitutis præmiis, & bibliothecam effecit luculentiſſimam, & Moſi libros atque Prophetarum in Græcam linguam iuſſit conuerti.

Romæ igitur vrbis initiũ fuit, quo tem-

pore

pore Salmanaſſar rex, de quo ſupra dictum eſt, Aſſyriis imperabat, nimirum anno primo ſeptimæ Olympiadis, authore Plutarcho, conditi autem orbis anno termilleſimo ducenteſimo duodecimo, quum annis ferè quadringentis ante in Latio cœpiſſet regnare Æneas, à bello Troiano, quod Homerus ad poſteritatem tranſmiſit. de cuius quidem ætate, ſicut etiam patria, nihil certi conſtat, niſi quod ante conditam vrbem atque Romulum multis annis eum fuiſſe Cicero ſcribit. Nullum verò ſcriptum exiſtit prophanum, illius poëmate vetuſtius: Nam ſicut Horatius ait,

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte, carent quia vate ſacro.

Significat idem quoque Cicero, nec oratoris vllum extare veſtigium dicit ante Homerum. Tenuis autem, & propè deſpecta populi Romani fuit origo: ſed quia Deus ita conſtituit, ſicuti poſtea docebitur, in ſummam excreuit potentiam.

Principio, REGES ibi ſeptem imperarunt annis ducentis, quadraginta quatuor. Et ſexti quidem regis ætate Seruii Tulli, Solonem ac Piſiſtratum, apud Athenienſes: Pythagoram autem in Italia floruiſſe, Cicero ſcribit, quo tempore Tarquinius

Superbus fuit eiectus. Athenas etiam ait, regnãte Seruio Tullo, ſtetiſſe iam ſupra ſeptingentos annos. Profligatis regibus, ad binos conſules rerum ſumma delata fuit, quorum magiſtratus erat annuus. Primus conſul, L. Iunius Brutus, quàm fuerat acer & induſtrius in profligandis regibus, & conſtituenda libertate, tam etiam erat vigilans & ſtrenuus in eadem conſeruanda. Quum enim inter alios nobiles adoleſcentes Romanos, ipſius quoque filii duo, Titus & Tiberius, occulta tractarent conſilia de reſtituendis Tarquiniis, re per indicium patefacta, capitali ſupplicio palàm illos affecit. Collegæ quoque ſuo, Tarquinio Collatino imperium abrogabat, qui fuerat ſocius eius in expellendis regibus, & conſiliorum etiam adiutor. Idque Cicero defendit, vt iuſtè factũ, & patriæ tum vtile, tum honeſtum fuiſſe dicit, vt nomen Tarquiniorum & memoria regni tolleretur. Ceterùm, in varia populi Romani fortuna, quum Hetruria conſpiraſſet omnis, in hoſtem egreſſi vrbe Roma trecenti Fabiæ gentis, interfecti fuerunt omnes, vno ſuperſtite tantùm, impubere domi relicto, qui familiam deinde propagauit: fuit hoc anno triceſimo tertio poſt eiectos reges.

Ob turbulentum autem Reipubl. ſtatum conditæ vrbis anno trecenteſimo, legati in Græciam miſſi fuerunt, qui leges il-

linc adferrẽt, quib. deinde ciuitas vteretur. Iis reuerſis, mutata Reip. forma fuit, & *Decemviri* cõſtituti, qui rei ſummæ pręeſſent: ſed non totũ trienniũ durauit hic ſtatus, & Appius Claudius, ex Decẽviris vnus, nequitia ſua, cũ L. Virginii, ciuis Rom. filiã virginẽ ad libidinẽ abriperet, occaſionẽ populo dedit, vt ordinem totum profligarent.

Itaque res ad CONSVLES rediit: ſed & hi paucorum fuerunt annorum, & creati ſunt TRIBVNI MILITVM duo, conſulari poteſtate: verum hi ſub finem anni depoſito magiſtratu, conſulibus denuò locum fecerunt. Eoque tempore, quod erat anno vrbis CCCXV. L. Quintius Cincinnatus, dictator, Spr. Melium, largitione frumẽtaria captantem in vrbe regnum, per C. Seruilium Halam magiſtrum equitum interfecit, eiuſque domum complanauit.

Biennio poſt, rediit poteſtas ad tribunos militũ, qui deinde non bini, ſed plures eodẽ tempore creabantur pro voluntate populi & reip. cõditione. Durauit hic magiſtratus per annos ferè 70. & inter alios floruit in hoc ordine, M. Furius Camillus, virtute nulli ſecundus, qui præclarè de Rep. meritus in exilium fuit eiectus ab ingrata patria, quũ quartum fuiſſet tribunus militũ: ſed quũ captam à Gallis Senonibus vrbẽ Romam liberaſſet, hoſtemq; fudiſſet, reſtitutus dignitati fuit, biẽnio poſt factus Dictator. Paucis verò pôſt annis M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat, ob ſuſpicionẽ affectati regni de ſaxo Tarpeio deiicitur. & decretum fuit factum, ne quis gentis Manliæ patricius, vocaretur Marcus.

Septimùm deinde creatus eſt tribunus militum Camillus, & ætate grauis vitam finiit anno conditæ vrbis CCCLXXXIX, quum anno vno ante ipſius mortem, à tribunis militum, reipublicæ procuratio ad CONSVLES rediiſſet, ex quibus tunc primùm vnus fuit plebeius.

Dedit autem hæc ætas longè præſtantiſſimos belli duces in ea ciuitate, M. Valerium Coruinum, T. Manlium Torquatum, C. Marcium Rutilium, P. Decium Murem, Papirium Curſorem, Publium Philonem, L. Volumnium & alios. Ex his T. Manlius Torquatus, Conſul, filiũ ſuum, quod præter mandatum, extra ordinem, duello pugnaſſet in hoſtem, tametſi feliciter, ſecuri percuſſit. P. Decius Mus, Cõſul, in prœlio contra Latinos, pro exercitu populi Romani ſeſe deuouit, & in cõfertiſſimam turbam hoſtium irruptione facta, confoſſus, nutantem rem Romanam reſtituit. Idem fecit eius filius, eiuſdem nominis quartùm Conſul, annis XLIV. poſt, in bello contra Gallos Senones.

Eo, quod ante diximus, tempore, ad annum vrbis cõditæ CCCCXX, floruit ac bella geſſit Alexander Magnus, tertiæ Monarchiæ conditor, vt ſupra docuimus. Cum hoc T. Liuius componit L. Papirium Curſorem, & exſpatiatus tum ſui, tum lectoris refici-

reficiendi cauſa, demonſtrat eum inter alios Alexādro potuiſſe reſiſtere, ſi forte poſt deuictam Aſiam in Europam abductis copiis, ille populo Romano bellum feciſſet. Erat omninò ſumma præditus virtute, is quē dixi Papirius Curſor. nam, vt alia prætermittam, quando T. Veturius Caluinus, Sp. Poſthumius Albinus II. Conſules, cum toto exercitu, ſub iugum miſſi fuerunt à Samnitibus, ad furcas Caudinas, & turpiter cum hoſte pacificarunt, ille factus conſul, hoſtem victorē fudit ac profligauit. Quam etiam ſeuerè diſciplinam oporteat ſeruare militarem, in ſuo declarauit equitum magiſtro, dictator ipſe.

Protulit inſuper hæc & aliquanto ſuperior ætas in Græcia, viros longè doctiſſimos. tunc enim Socrates, & ab hoc, velut ex fonte quopiam, Ariſtippus, Plato, Antiſthenes, Speuſippus, Ariſtoteles, Dicæarchus, Xenocrates, Heraclides, Theophraſtus, Polemo, Strato, floruerunt, phyſici omnes, &, vt ait Cicero, ſpeculatores venatoresque naturæ. Floruerunt etiam oratores clariſſimi, Gorgias, Protagoras, Prodicus, Hippias, Iſocrates, Lyſias, Demoſthenes, Hyperides, Æſchines, Phalereus Demetrius, Demochares. Hiſtorici verò, Xenophon inprimis, quem Socraticum Cicero vocat, & Calliſthenes, comes Alexandri Magni.

Digitized by Google

Hac ætate vixit Syracuſanorum tyrannus, Dionyſius: ad quem Plato quum veniſſet, deque viri principis officio liberè loquutus eſſet, in maximo vitæ periculo fuit, vt Cicero narrat. Hic eſt ille, qui non propinquis, ſed conuenis quibuſdam & feris hominibus atque barbaris cuſtodiam corporis cõmittebat: qui tõdere filias ſuas docuit, ne tonſori collum committeret: qui ferrum ab eiſdem, quum eſſent adultæ, remouit, inſtituitq; vt candentibus iuglandium putaminibus barbam ſibi & capillum adurerent: qui noctu ſic ad vxores ventitabat, vt omnia ſpecularetur & perſcrutaretur antè: qui quum in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, concionari ex turri ſolebat: qui Damocli paraſito, cuiuſmodi ſua eſſet felicitas, quã ille prædicauerat, oſtendit, quũ in ſummis deliciis omniumque rerum copia luxuque accumbenti, gladium fulgentem, è lacunari ſeta equina appenſum, demitti iuſſit, vt impenderet illius ceruicibus.

Poſt Alexandri mortem, annis circiter XLII. bella geſſit cum Romanis, & in Italiam venit Epirotarum rex Pyrrhus. Altero eius belli anno, ſollicitabat ſenatum ad pacem & fœdus faciendum: ſed Appius Claudius, ætate grauis, & cæcus, qui ante annos ſeptendecim fuerat conſul II. vt ait Cicero,

venit in curiam, & ſenatum inclinantem ad pacem, deterruit, ne fœdus cum eo facerent. Tanta enim erat in eo vis animi, vt in illo ſuo caſu, nec priuato nec publico muneri deeſſet. Oratio, quam tunc habuit de Pyrrho, quum pacem dirimeret, extabat tempore Ciceronis vt ipſe ait. Inſignẽ tunc operam Reipub. nauauit C. Fabricius Luſcinus, qui ſolicitatus à Pyrrho ad defectionem, ampliſſima illius munera contempſit atque promiſſa: nec id modo, ſed captiuum etiam ei remiſit perfugam, qui veneno ſe poſſe regem tollere confirmarat. Cicero confert eum cum Ariſtide Athenienſi. Secundò reuerſum in Italiam Pyrrhum Manius Curius Dentatus omninò profligauit, ac triumphum egit. Pyrrhus omnium primus Elephantos adduxit in Lucaniam. Et adhuc quidem, per annos ferè quingentos bella geſſerunt Romani cum Italiæ ſolũ populis, è quibus acerrimè reſtiterunt ac ſæpè rebellarunt, nunc victi, nũc victores, Latini, Veiẽtes, Æqui, Faliſci, Samnites, Hetruſci: quibus demũ deuictis atque pacatis exortum eſt longe grauiſſimum bellum in Carthaginẽſes: cuius quidem vrbis originem, Roma multò vetuſtiorem eſſe conſtat.

Initium belli fuit ad annum vrbis Romę 485. in eoque cum primis memorabile eſt

illud, quod de M. Attilio Regulo memoriæ proditum eſt, qui captus à Carthaginenſibus & Romam miſſus, vt de pace ac permutandis captiuis ageret, ac niſi impetraret, ad vincula rediret, quum eô veniſſet, planè diuerſum ſenatui ſuadebat, neque ex vſu reipublicæ id eſſe demonſtrabat: deinde quod fidem hoſti ſeruandam eſſe diceret, Carthaginem reuerſus, crudeliſſimo ſupplicii genere fuit exanimatus, reſectis palpebris, & illigatus in machina, vigilando necatus.

Eo durante bello, Romani, omnium primò feliciter mari pugnarunt in Sicilia, C. Duillio, Conſule, aduerſus Hannonem. Hunc ipſum Duillium & Manium Curium & C. Fabricium, item Attilium Calatinum, Cn. & P. Scipiones, Africanum, Marcellum & Fabium Maximum Cicero nominat, vti clariſſimos vrbis Romæ conſules.

Anno ſequenti L. Cornelius Scipio Cõſul, Corſicam atque Sardiniam capit. Compoſitum tandem fuit bellum Punicum, Q. Luctatio Catulo Cerco, A. Manlio conſulibus, cum annis duraſſet viginti tribus. Biennio poſt natus eſt Ennius, annis quinque natu maior M. Porcio Catone, qui illum ſuum vocat familiarem. Tum verò nouis bellis implicati Romani fuerunt aduerſum

ſum Faliſcos, Ligures, Illyrios, Gallos, Boios, Inſubres: quibus tandem expugnatis, exortum eſt alterum bellum Punicum, anno vigeſimo quarto poſt factam pacem, P. Cornelio Scipione, T. Sempronio Longo Coss. Eius erat dux, Annibal, qui Saguntum oppugnabat, & per Hiſpanias in Galliam, ac Italiam inde contendens, tribus prœliis populum Romanum ordine ſuperauit, ad Ticinum, ad Trebiam flumen, & Traſymenum lacum. Creatus autem dictator Q. Fabius Maximus, & in hoſtem profectus, cunctatione vim illius & impetum refregit atque tardauit, ille ipſe, quem celebrans Ennius, *Vnus homo nobis*, inquit, *cunctando reſtituit rem*. Calliditatem ei Cicero tribuit, & quod facilè celaret, taceret, diſſimularet, inſidiaretur, hoſtiumque conſilia præriperet. Poſt autem ad Cannas, ingentem cladem populus Romanus accepit, quæ quidem tantam excitauit in vrbe trepidationem, vt plerique potentiores de fuga cogitarent & Italia relinquenda: ſed à P. Cornelio Scipione P. filio, ingentis animi iuuene, qui tum viceſimum quartum ætatis annum vix ingreſſus erat, confirmati fuerunt, imò retenti. Quarto poſt anno M. Claudius Marcellus, poſt diuturnam obſidionem Syracuſas capit. In eius vrbis direptione fuit occiſus Archimedes, nobi-

lis mathematicus, qui in puluere quædam deſcribens, patriam non ſenſit eſſe captam. Interitum eius tulit permoleſtè Marcellus, vbi reſciuit, & ſepeliri iuſſit, & captam vrbem non ſolum incolumem eſſe paſſus eſt, vt ait Cicero, ſed ita reliquit ornatam, vt eſſet idem monimentum victoriæ, manſuetudinis, clementiæ: immò victoria Marcelli pauciores homines deſideratos fuiſſe dicit, quàm Deos aduentu Verris prætoris in eandem vrbem. Liuius autem iræ, inuidiæ, auaritiæ, multa fœdaque dicit ibi fuiſſe edita exempla. Sepulchrum Archimedis, obſoletum prorſus, & dumis atque vepribus obſitũ, & ipſis adeò Syracuſanis ignotũ, Cicero quæſtor Siciliæ, cum illud ex deſcriptione quadã cognitum haberet, ſenatui Syracuſano demonſtrauit, centum triginta ſeptem poſt annis. Vrbem Syracuſas, maximam eſſe Græcarum vrbium, pulcherrimamque omnium, & ex quatuor vrbibus maximis conſtare dicit Marcus Tullius: Inſulâ, vbi fons eſt Arethuſa, pleniſſimus piſcium: Acradinâ, vbi forum & porticus & curia: Tyche, vbi fanum Fortunæ: Neapoli, quæ poſtrema ædificata, theatrum habet ampliſſimum. Porrò, nationum omnium exterarum princeps Sicilia ſe ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit, & primo omnium eſt ap-

eſt appellata *Prouincia*, ſicut idem Cicero teſtatur.

Annibal à Cannenſi victoria, Campaniam omnem deditione capit: exercitus illius Capuæ hybernans, copia rerum atque luxu totus fuit eneruatus atque fractus. Poſt expugnatas Syracuſas, anno tertio, Capua deditione capta fuit à Romanis. Diu multumque deliberatum fuit, an eſſet vrbs delenda: poſtremò placuit conſeruandam eſſe: verumtamen ne poſſe vnquam rebellionem facere, ademptus fuit illis ager, ſublatus omnis magiſtratus atque ſenatus, publicumque conſilium, imago nulla Reipublicæ relicta, ſed conſtitutum, vt eſſet locus comparandis condendisque fructibus, receptaculum aratorum, nundinæ ruſticorum, cella horreumque agri Campani. Biennio poſt, Aſdrubal nouas copias auxiliares in Italiam adduxit, verùm à M. Liuio Salinatore, & C. Claudio Nerone, conſulibus, ad Metaurum flumen conciſus fuit. Interea rem feliciter in Hiſpaniis gerebat P. Cornelius Scipio, quem diximus, quum ipſius & pater & patruus ibi fuiſſent interfecti: & omni recuperata prouincia, Romam reuertit, & factus conſul, Africam ſibi dari petit, vt ibi bellum gerat. Vehemēter autem ei reſtitit Q. Fabius Maximus, ætate grauis, & non adeundam

Africam, ſed cum Annibale prœliandum eſſe contendit. Scipio contra: quod ſi Carthaginẽſibus bellum inferatur in ipſorum finibus, fore, vt neceſſitate coacti, Annibalem, in quo ſummam ſpem atque præſidium collocaſſent, ex Italia domum reuocent. A multa diſceptatione, Scipioni ſenatus tribuit Siciliam: &, ſi quidem eſſet ex vſu Reipublicæ, vt in Africam eat, permittit. Ille igitur è Sicilia tandem in Africam proficiſcitur, & quod ſenatui prædixerat, re comprobauit ipſa. nam prœliis aliquot ab eo victi, plurimiſque damnis affecti Carthaginenſes, Annibalem reuocant. Sic ille, qui ſexdecim annis per Italiã graſſatus erat, qui ſub Romæ vrbis mœnia caſtris locum delegerat, domum redire coactus eſt, quantumuis inuitus atque dolens: & tandem ingenti prœlio ſuperatus à Scipione fuit, qui de ſenatus voluntate pacem deinde cum hoſte fecit. Hinc ei datum cognomen, vt Africanus diceretur.

Hîc verò conſiderandum eſt, quomodo ſummis ex anguſtiis emerſerint Romani. Iam enim per annos aliquot tenuiſſimo filo pendebat omnis ipſorum fortuna: ſed in fatis erat, vt vim omnem atque calamitatem ſuperarent, & domini fierẽt orbis terrarum: idque præuidiſſe ferunt Annibalem, quum fratrem eſſe victum Aſdrubalem

lem audiſſet. Ipſius quidem verba, quibus tunc vſus fuit, Horatius refert in illo carmine, quo Druſi laudes, eiusque familiæ celebrat. Et quia doctiſſimum eſt elegantiſſimumque carmē, planè meretur, vt iuuentus illud inter alia memoriæ commendet.

Facta cum Carthaginenſibus pace, Romani, præter ea bella, quibus occupati fuerunt per Italiam, Iſtriam, Luſitaniam, graue quoque bellum geſſerunt cum Philippo Macedonum rege, qui Græciam oppreſſerat. Eius belli fuit Imperator T. Quintius Flaminius, qui tandem hoſte deuicto, de ſenatus voluntate Græciam libertati reſtituit, & inter alia Philippo regi præſcripſit, ne ſenatus iniuſſu belligeraret extra Macedoniæ fines.

Huic bello ſucceſſit alterum, aduerſus Antiochum Syriæ regem, qui transgreſſus in Europam, deuictus fuit à Manio Glabrione, Græciaque pulſus, auxilium Romanis ferente Macedonum rege, Philippo. Sunt autem hi, quos diximus, Aſiæ, Syriæ, Macedoniæ reges, ex eorum poſteritate, qui poſt Alexandri Magni mortem, prouincias inter ſe partiti fuerant, vt ſupra diximus. Nam Carthagine pacata, totaque ſubacta Italia Romani, cum reliquas etiam Europæ partes viciniores terra marique debellaſſent, eò iam potentiæ creuerant,

vt longinqui etiam reges atque populi fidem ipſorum implorarent. Hunc ad modum Ægyptii, quorum rex Ptolemæus Epiphanes admodum adoleſcentulus, per ætatem non poterat adminiſtrare, cum ab Antiocho Magno periculum immineret, miſſis Romam legatis petebant, vt ſenatus tutelam regis pueri ſuſciperet. Eo facto, ſenatus Antiocho denunciat, vt ab Ægypto abſtineat: ille, offenſus, præſertim, quum Annibal profugus, & hoſpes ipſius, vehementer bellum ſuaderet, in Græciam cum claſſe traiecit, ibique profligatus fuit, vt antea diximus. Cõparata deinde claſſe, Romani perſequuntur illum, & in Aſiam tranſportati, maximo prœlio vincunt, & vltra Taurum montem reiiciunt. Poſt acceptam cladem dicere eſt ſolitus, vt Cicero narrat, benignè ſibi à populo Romano eſſe factum, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Bellum hoc gubernabat L. Cornelius Scipio, P. Scipionis Africani frater, vocatus ob hoc ipſum Aſiaticus.

Pòſt Ætolos debellauit M. Fuluius Nobilior, de iisq; triumphauit. Et quum ex Aſia domum reuertiſſet, P. Scipio Africanus, qui legatus eo bello fratri fuerat, à tribunis plebis diuexatur. Itaque Liternum ſeceſſit, in villam ſuam, atque ibi, ſicut nonnulli

nulli tradunt, mortem obiit, vir longè præſtantiſſimus, natus annos LII. æqualis M. Porcii Catonis. In Dialogo, quem de ſenectute Cicero ſcribit, Catonem introducit amanter, & honorificè de Scipione, deque ſua & illius ætate ſtudiisque loquentem, in primis verò celebrãtem illius magnitudinem animi: Liuius autẽ inimicum ei Catonem, ſolitumq; fuiſſe dicit, hanc ipſius fortitudinẽ odioſius exagitare: celeritatem ei Cicero tribuit in re gerenda. Florebant eo tempore, Ennius, Plautus, Næuius, poëtæ.

Debellato Antiocho, Annibal ad Pruſiam Bithyniæ regem profugit, & quum illum ſibi dedi Romani poſtularent, hauſto veneno vitam finiit. Antiocho ſucceſſit filius Antiochus Epiphanes, qui & ipſe per inſidias Ægyptum occupare cogitabat, quum eſſet Ptolemæi Philometoris, Ægypti regis, qui mortuo patri ſucceſſerat, auunculus. Itaque tutorem ſe profeſſus adoleſcentis, opprimere illum, ac rei ſummam ad ſe traducere conſtituit: ſed intellecta fraude, Romani, quorum auxilia denuò ſollicitauerant Ægyptii, legatum miſerunt C. Popilium Lænatem. Is, quum in colloquium veniſſet, Antiocho, populi Romani nomine denunciat, vt ab Alexandria, quam obſidebat, diſcederet: qui quum deliberandi ſpacium peteret, ille

virgula ſtantem circumſcripſit, & quid facturus eſſet, clarè iuſſit antè reſpondere, quàm ex ea circumſcriptione excederet. Ita perterrefactus, quod populi Romani potentiam non ignoraret, pacem promiſit.

Hæc eô commemorantur, vt videri poſſit, quemadmodum Romani paulatim à paruis initiis creuerint; ac progreſſus fecerint ad ſummam rerum conſtituendam. Iam enim virtus illorum egreſſa fines Italiæ, in diuerſas quidem mundi plagas impreſſionem fecit, ſed permultum adhuc operis reliquum erat ad coaceruationem illius imperii molis, quæ potiſſimam orbis terrarum partem ambitu ſuo complectitur, vt ordine deinceps, tametſi breuiter, exponam.

Is, quem ſupra dixi, Philippus, Macedonum rex, quod à Romanis in anguſtias redactum ſe grauiſſimè ferret, bellum redintegrare cogitabat: ſed præoccupatus morte, ſucceſſorem habuit Perſea filium, qui iampridem in Romanos exacerbatus, belli quoque gerendi velut hæreditatem ſuſcepit. Sed L. Æmilius Paulus, II. Conſul, prœlio tandem illum vincit, & vnà cum vxore, matre, liberisq; capit, inque triumpho ducit, vocatus idcircò Macedonicus, ab eoq; tempore Macedonia facta eſt populi Romani

mani prouincia. Superiori proximo anno mortuus erat Ennius, annorum ſeptuaginta, ſicut ait Cicero.

Paucis deinde poſt annis, P. Cornelius Naſica, Dalmatiam ſubigit: neque multò poſt, tertium eſt bellum Punicũ exortum. Etenim, quum Carthaginenſes, quietis impatientes & ocii, reliquis vicinis, præcipuè verò Maſaniſſæ, Numidiæ regi, populi Romani ſocio & amico, vim atque bellum inferrent, ſollicitati Romani de auxiliis, bellum decreuerunt, ad annum vrbis conditæ circiter ſexcenteſimum quartum. Sed in eo ſententiis variabant, vtrum euerti ciuitatem, an verò ſeruari oporteret integram: vna erat eorum ſententia, qui non delendam eſſe cenſebant, eò quòd Carthagine ſublata fore dicerent, vt ciuilibus inter ſe diſſidiis atque bellis conflictarentur ipſi: M. autem Porcius Cato, diuerſum ſuadens, quantum Reipublicæ Romanæ periculum impenderet ab ea ciuitate, niſi funditus euerteretur, demonſtrabat, eaque ſententia vicit, ipſo in hac deliberatione mortuo, cum ad octogeſimum quintum annum ætatem produxiſſet. Eum Cicero nominat inter oratores antiquos, & proximum à Marco Cornelio Cethego ponit, quem ab Ennio celebratum eſſe dicit, Catonis autem orationes extare centum

ait quinquaginta, refertas & verbis & rebus illuſtribus, & ſui temporis homines delicatiores reprehendit, quòd non eas diligenter euoluant. Confert eum cum Lyſia ſcriptore Attico. Bello Punico tertio præfectus demum fuit P. Scipio Æmilianus, Pauli Macedonici filius, P. verò Scipionis Africani, per adoptionem nepos. Is poſt inchoatum bellum ab aliis, anno quarto, Carthaginem aliquot diebus vehementer oppugnatam capit, diripit, incendit, complanat: adeptus ideò cognomen, vt Africanus etiam diceretur, ſicut ille, qui Annibalem debellauit, vt ſupra dictum eſt. Et hic quidem eſt vrbis potentiſſimæ finis, quæ & origine vetuſtior, quàm Romana, & ducum præſtantia ferè non inferior, longè latéque dominata fuit. P. Scipionem Cicero ſcribit, Carthagine capta, Siculis reddidiſſe, quæ ſuperioribus annis Carthaginenſes illis ademerant ſigna & ornamenta, & Agrigentinis quidem taurum illum nobilem, quem Phalaris tyrannus habuiſſe dicitur, quo viuos, ſupplicii cauſa, demitteret homines, & ſubiicere flammam ſolebat. Phalaris hic non ex inſidiis interiit, vt alii multi tyranni, ſed in eum vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Africam Cicero vocat prouinciarum omnium arcem.

Eodem

Eodem ferè tempore, bellum Romani fecerunt Achæis, Græciæ populo propter violatos legatos. Belli dux erat Lucius Mummius Cos. qui prœlio victor Achaiam omnẽ deditione cepit, & Corinthum, primariam vrbem, ac totius Græciæ lumen, vt Cicero inquit, ex ſenatusconſulto incendit, funditusque ſuſtulit, ne quando recreata exurgere, atque erigere ſeſe poſſet. Mummius ob eam rem vocatus eſt Achaicus.

Ad hoc etiam tempus Luſitaniam occupauit Viriatus quidam, ex paſtore venator, ex venatore latro, ac deinde validi exercitus dux factus: qui cum Romanis, per aliquot annos, ac ſæpè quidem feliciter prœliatus, inſidioſè tandem fuit interfectus: ac tum demum Decius Iunius Brutus Conſul, Luſitaniam ad Oceanum vſque perdomuit.

Romani magnam interea cladem à Numantinis, Hiſpaniæ populo, acceperant: quumque pacem à Mancino Conſule factam repudiarent, quod eſſet ignominioſa, P. Scipionem Æmilianum Africanum extra ordinem denuò creant conſulem, eiq; bellum demandant. Is cum exercitu profectus, & ad ſeueram diſciplinam reuocato milite, qui mollior factus erat, & laboris

impatientior, Numantiam vrbem, vbi circumuallaſſet aliquandiu, capit ac deleuit, anno poſt deletam Carthaginem decimo quarto, vrbis autem conditæ anno ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo. Carthaginem, Numantiamque Cicero vocat duos terrores imperii Romani.

Eodem tempore ſeruorum eſt ortus in Sicilia tumultus, qui maximis collectis copiis vix tandem à C.Fuluio conſule fuerunt oppreſſi.

Poſt hæc, bellum fuit Romanis cum Ariſtonico in Aſia: nam Pergami rex Attalus, populum Romanum teſtamento fecerat heredem. Ariſtonicus autem eius propinquus, occupata ea parte Aſiæ teſtamento Romanos fraudabat. Hunc & debellauit & tandem cepit M.Perperna conſul.

Anno autem ſequenti qui fuit annus vrbis conditæ DCXXV, P. Scipio Africanus, domi ſuæ cubans noctu fuit oppreſſus à propinquis, vti creditur. Eloquẽtiam ſummam, fidem, integritatem ei Cicero tribuit: & quamquam ipſius interitu, maximum dolorem ciuitas tota perciperet, nullam tamen quæſtionem de illius morte latam fuiſſe ſcribit: Solem verò fuiſſe geminatum eodem anno tradit. Itaque ducum longè omnium præſtantiſſimus periit, natus annos LVI. quod quidem Africanum ei maiorem

iorem præſignificaſſe, commentatione quadam ſuauiſſima fingit Cicero.

Vixerunt hac ætate Lucilius, Terentius, Pacuuius, Accius, Licinius, Cæcilius, Afranius: & Pacuuium quidem C. Lælius, Africano coniunctiſſimus, amicum ſuum vocat, Terentium verò, familiarem.

Poſt hæc Fabius Maximus conſul, Allobroges, Aruernos, Rutenos, Galliæ populos ingenti prœlio ſuperauit: eodemque tempore fuit interfectus Romæ C. Gracchus, tribunus plebis, vir eloquens, legis Agrariæ defenſor, quum ante annos XII. eius frater Tiberius Gracchus conſimili de cauſa cæſus fuiſſet. Vtrique Cicero tribuit eloquentiæ laudē, & Tiberii quidem orationes non ſatis ſplendidas verbis, ſed acutas, prudentiæque pleniſſimas, C. verò fratrem eius legendum eſſe cum primis iuuentuti dicit, quod non ſolum acuere, ſed etiam alere ingenium poſſit, eumque vocat Romanorum ingenioſiſſimum atque eloquentiſſimum. Somniauerat Gracchus, Tiberium fratrem ſibi viſum eſſe dicere, fore vt eodem letho quo ipſe periret: & hoc illum dixiſſe nonnullis antequam tribunus plebis factus eſſet, Cicero refert. Extant illorum leges frumentariæ, de coloniis deducendis, de commodis militum, de prouinciarum adminiſtratione, de po-

puli ſuffragiis, de locatione agri Attalici & Aſiæ.

Hos motus tribunicios conſequutum eſt bellum populi Romani cum Iugurtha Numidiæ rege, quod quidem bellum à L. Calpurnio Beſtia Coſ. ſuſceptũ, & à Quinto Cæcilio Metello continuatum; à Caio Mario conſule, qui Publio Scipioni militauerat, tandem confectum eſt: nam rex Mauritaniæ Bocchus, Iugurthæ ſocius prœlio victus, cum belli periculum nollet ſuſtinere diutius, vinctum Iugurtham Syllæ tradidit, qui miſſus à Mario fuerat, huius rei cauſa.

Et ad hoc ipſum tempus, quod erat vrbis conditæ anno DCXLVII. natus eſt M. Tullius Cicero, cum annis ante ipſum octo natus eſſet Q. Hortenſius, clariſſimus orator. Per bellum Iugurthinum Cimbri & Theutoni innumerabili multitudine penetrant, alii in Italiam, alii in Galliam: ac vbi maximis cladibus populum Romanum affeciſſent, & nunc proconſules, nunc legatos aliquot prœliis viciſſent, tandem ad internecionem cæſi fuerunt à C. Mario IV. conſule, Theutoni quidem, ad aquas Sextias, prouinciæ Galliæ oppidum, Cimbri autem ad fines Inſubriæ.

Hanc felicitatem excepit nouus tumultus: nam Italiæ populi aliquot à Romanis defe-

defecerunt, Samnites, Peligni, Marſi, Veſtini, Marrucini, Vmbri, Picentes, Lucani. Variè cum his pugnatum eſt, & vix tandem ad officium reducti fuerunt.

Mox aliud malum, ac Reipublicæ perniciosiſſimũ interuenit. Mithridates, Ponti rex, Cappadociæ regem Ariobarzanem, & Bithyniæ regem Nicomedem, populi Romani ſocios & amicos, finibus eiecerat, & occupata Phrygia, Romanorum prouincia, penetrauerat in Aſiam. Itaque ſenatus bellum decreuit: hic autem orta factione, alii L. Syllam, nobili genere natum, alii C. Marium poſcebant Imperatorem. Marii partes iuuabat P. Sulpicius, tribunus plebis. Habebat autem exercitum Sylla, Mariumque vrbe eiecit, qui maximo deinde vitæ periculo, cum in paludibus circa Minturnas delituiſſet, parua nauicula in Africam traiecit exul.

Per abſentiam Syllæ, belligerantis in Aſia, Lucius Cornelius Cinna, Conſul tumultuari cœpit, & moliri res nouas: verùm eiectus à Cn. Octauio collega, & pulſus vrbe recolligit vires, & C. Mariũ, iſta occaſione reuerſum ex Africa, ſibi coniungit. Itaq; contractis copiis Romam obſident ambo, qua parte Ianiculum erat: & cum non ignauè tantum, ſed & perfidioſè multa in vrbe fierent, neque iam illis reſiſti poſ-

ſet,intromiſſi cædibus atque rapinis omnia complent: deinde ſeipſos renunciant conſules, in eoque magiſtratu crudeliter multa fecerunt:& L.quidem Cinna præſtantiſſimum oratorem M. Antonium interfici iuſſit: Marius verò Q. Catulum. His rebus cognitis, L. Sylla, quum pleraque omnia bello recuperaſſet, pace cũ Mithridate facta, in Italiam reuertit: ſed iam è vita deceſſerat Marius VII. Conſul. L. verò Cinna collegam habebat ſuarũ partium, Cn. Papirium Carbonem: qui, licèt vim & arma Syllæ opponerent, vnà cum filio Marii profligati fuerunt: & Sylla rerum potitus, aduerſarios omneis acerbiſſimè perſequitur, proſcriptionis tabulam proponit, proſcriptorum bona vendit, eorumque liberis facultatem eripit, atque ius vllos honores in republica conſequendi: factus inde Dictator, pro ſuo arbitratu omnia conſtituit, ac tribuniciam poteſtatem infringit, & quum ciuium Romanorum bona venderet, prædam ſe ſuam vendere pro concione dicebat: breuiter, nemo illo inuito nec bona, nec patriam, nec vitam retinere poterat. In C. verò Marium odio tam acerbo fuit incitatus, vt eius reliquias apud Anienem fluuium ſitas diſſipari iuſſerit: ipſe autem primus è patriciis Corneliis igni voluit cremari, fortaſſe timens idem ſuo corpori poſſe ac-

ſe accidere. Mario vim & virtutem, & in iracundia perſeuerantiā Cicero tribuit: Syllā, vehementem, L. verò Cinnam vocat crudelem. Marium appellat etiam terrorē hoſtium, ſpem, ſubſidiumque patriæ. L. Sylla quatuor nouas leges tulit, de falſo, de parricidio, de ſicariis, de iniuriis. Ipſo dictatore, M. Cicero, natus annos XXVI. in forum prodiit, & pro S. Roſcio publicam cauſam dixit. Ante ipſum clariſſimi nominis oratores fuerunt Q. Catulus, C. Iulius, M. Antonius, L. Craſſus, cuius quidem ætate lingua Latina ſuam quaſi maturitatem habuit, vt ait Cicero. Fuit autem hæc Ciceronis ætas omniū erudítiſſima: nam vt tot, tamque præſtantes oratores omittam, Iurecōſulti quoq; fuerunt inſignes, & in his C. Aquillius Gallus, L. Lucilius Balbus, C. Iuuentius, Sex. Papyrius, auditores Q. Mutii Scæuolæ, pontificis, cui & Cicero dedit operam adoleſcens. Æqualis autem propè Ciceronis erat P. Seruius Sulpicius, qui ſuperiorū auditor, diſcipulos habuit, A. Offilium, P. Alphenum Varum, Caium, Titium Cæſium, duos Aufidios, C. Atteium Pacuuium, Flauium Priſcum, Cinnam, P. Cæcilium. Floruit etiam cum Sulpicio, C. Trebatius, cui diſcipulus fuit Antiſtius Labeo. Sulpicium mortuum Cicero verbis ampliſſimis laudans, omnes, ait, qui ex omni ætate

hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non ſunt comparandi. Neque enim ille magis iuriſconſultus quàm iuſtitiæ fuit.

Ex proſcriptorum numero Q. Sertorius reſtabat, vir animi robore bellique ſcientia præclarus. Is in vlteriori Hiſpania grauiſſimum bellum excitauit, & deuictis aliquot ducibus populi Rom. complures vrbes in ſuam poteſtatem redegerat. Itaq; belli administratio tandē commiſſa fuit Cn. Pompeio: cumque varia fortuna ſæpè pugnatum eſſet, tandem inſidioſè fuit interfectus Sertorius, & Pompeius deinde decimo ferè anno poſt incœptum bellum, Hiſpanias recipit.

In hoc tempore Nicomedes Rex Bithyniæ, moriens populum Romanum inſtituit heredem: Mithridates autem Ponti rex, qui fœdus antea cum Sertorio fecerat, in illa Mariana & Syllana factione, occupata Bithynia, maximis viribus bellum reſtaurat. In eum miſſus eſt cum exercitu L. Lucullus, qui Coſ. equeſtribus prœliis feliciter rem geſſit, ac deinde procōſul, cæſo exercitu, & erepta Bithynia, coëgit illum in Pontum retrocedere. Ibi quoque ingenti prœlio victus Mithridates, ad Tigranem Armeniæ regem confugit. Lucullus verò per-

perſequens & inſtans vtriuſque copias aliquot prœliis concîdit, & quo minus planè bellum conficeret, optatumque victoriæ fructum atque laudem reportaret, in cauſſa fuerunt ſeditiones militares, callidè à nonnullis excitatæ. Nam paulò pòſt reuocato Lucullo, belli adminiſtratio cõmiſſa fuit Cneo Pompeio: cuius quidem rei ſuaſor etiam fuerat M. Cicero, quum in Pompeii laudem luculentam haberet ad populum orationem. Lucullus reuocatus, triumphauit nihilo ſecius, & epulũ ſplendidiſſimum populo Romano dedit: relicta deinde Republica, domi vixit priuatus in Philoſophiæ ſtudiis, & ampliſſimam inſtituit Bibliothecam, in victu quotidiano ſplendidus & magnificus, vt antea ſemper. Eius Bibliothecæ meminit Cicero, ſeque eò venire ſolitum eſſe oſtendit, vt libros inde promeret. Pompeius Mithridatem in fugam coniecit, longiſſimèque perſecutus eſt. Et Tigranem regem deditione cepit: quumque in ſuis caſtris illum ſupplicem abiectumque vidiſſet, erexit, vt ait Cicero, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, & imperatis certis regibus regnare iuſſit. Mithridates tandẽ obſeſſus à filio ſuo Pharnace, mortẽ ſibi cõſciuit ipſe. Cn. Pompeio magnã au-

Africam, ſed cum Annibale prœliandum eſſe contendit. Scipio contra: quod ſi Carthaginẽſibus bellum inferatur in ipſorum finibus, fore, vt neceſſitate coacti, Annibalem, in quo ſummam ſpem atque præſidium collocaſſent, ex Italia domum reuocent. A multa diſceptatione, Scipioni ſenatus tribuit Siciliam: &, ſi quidem eſſet ex vſu Reipublicæ, vt in Africam eat, permittit. Ille igitur è Sicilia tandem in Africam proficiſcitur, & quod ſenatui prædixerat, re comprobauit ipſa. nam prœliis aliquot ab eo victi, plurimiſque damnis affecti Carthaginenſes, Annibalem reuocant. Sic ille, qui ſexdecim annis per Italiã graſſatus erat, qui ſub Romæ vrbis mœnia caſtris locum delegerat, domum redire coactus eſt, quantumuis inuitus atque dolens: & tandem ingenti prœlio ſuperatus à Scipione fuit, qui de ſenatus voluntate pacem deinde cum hoſte fecit. Hinc ei datum cognomen, vt Africanus diceretur.

Hîc verò conſiderandum eſt, quomodo ſummis ex anguſtiis emerſerint Romani. Iam enim per annos aliquot tenuiſſimo filo pendebat omnis ipſorum fortuna: ſed in fatis erat, vt vim omnem atque calamitatem ſuperarent, & domini fierẽt orbis terrarum: idque præuidiſſe ferunt Annibalem, quum fratrem eſſe victum Aſdrubalem

lem

lem audiſſet. Ipſius quidem verba, quibus tunc vſus fuit, Horatius refert in illo carmine, quo Druſi laudes, eiusque familiæ celebrat. Et quia doctiſſimum eſt elegantiſſimumque carmẽ, planè meretur, vt iuuentus illud inter alia memoriæ commendet.

Facta cum Carthaginenſibus pace, Romani, præter ea bella, quibus occupati fuerunt per Italiam, Iſtriam, Luſitaniam, graue quoque bellum geſſerunt cum Philippo Macedonum rege, qui Græciam oppreſſerat. Eius belli fuit Imperator T. Quintius Flaminius, qui tandem hoſte deuicto, de ſenatus voluntate Græciam libertati reſtituit, & inter alia Philippo regi præſcripſit, ne ſenatus iniuſſu belligeraret extra Macedoniæ fines.

Huic bello ſucceſſit alterum, aduerſus Antiochum Syriæ regem, qui transgreſſus in Europam, deuictus fuit à Manio Glabrione, Græciaque pulſus, auxilium Romanis ferente Macedonum rege, Philippo. Sunt autem hi, quos diximus, Aſiæ, Syriæ, Macedoniæ reges, ex eorum poſteritate, qui poſt Alexandri Magni mortem, prouincias inter ſe partiti fuerant, vt ſupra diximus. Nam Carthagine pacata, totaque ſubacta Italia Romani, cum reliquas etiam Europæ partes viciniores terra marique debellaſſent, eò iam potentiæ creuerant,

vt longinqui etiam reges atque populi fidem ipſorum implorarent. Huncad modum Ægyptii, quorum rex Ptolemæus Epiphanes admodum adoleſcentulus, per ætatem non poterat adminiſtrare, cum ab Antiocho Magno periculum imminerer, miſſis Romam legatis petebant, vt ſenatus tutelam regis pueri ſuſciperet. Eo facto, ſenatus Antiocho denunciat, vt ab Ægypto abſtineat: ille, offenſus, præſertim, quum Annibal profugus, & hoſpes ipſius, vehementer bellum ſuaderet, in Græciam cum claſſe traiecit, ibique profligatus fuit, vt antea diximus. Cōparata deinde claſſe, Romani perſequuntur illum, & in Aſiam tranſportati, maximo prœlio vincunt, & vltra Taurum montem reiiciunt. Poſt acceptàm cladem dicere eſt ſolitus, vt Cicero narrat, benignè ſibi à populo Romano eſſe factum, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Bellum hoc gubernabat L. Cornelius Scipio, P. Scipionis Africani frater, vocatus ob hoc ipſum Aſiaticus.

Pòſt Ætolos debellauit M. Fuluius Nobilior, de iisq; triumphauit. Et quum ex Aſia domum reuertiſſet, P. Scipio Africanus, qui legatus eo bello fratri fuerat, à tribunis plebis diuexatur. Itaque Liternum ſeceſſit, in villam ſuam, atque ibi, ſicut nonnulli

Digitized by Google

nulli tradunt, mortem obiit, vir longè præſtantiſſimus, natus annos LII. æqualis M. Porcii Catonis. In Dialogo, quem de ſenectute Cicero ſcribit, Catonem introducit amanter, & honorificè de Scipione, deque ſua & illius ætate ſtudiiſque loquentem, in primis verò celebrãtem illius magnitudinem animi: Liuius autẽ inimicum ei Catonem, ſolitumq; fuiſſe dicit, hanc ipſius fortitudinẽ odioſius exagitare: celeritatem ei Cicero tribuit in re gerenda. Florebant eo tempore, Ennius, Plautus, Nęuius, poëtæ.

Debellato Antiocho, Annibal ad Pruſiam Bithyniæ regem profugit, & quum illum ſibi dedi Romani poſtularent, hauſto veneno vitam finiit. Antiocho ſucceſſit filius Antiochus Epiphanes, qui & ipſe per inſidias Ægyptum occupare cogitabat, quum eſſet Ptolemæi Philometoris, Ægypti regis, qui mortuo patri ſucceſſerat, auunculus. Itaque tutorem ſe profeſſus adoleſcentis, opprimere illum, ac rei ſummam ad ſe traducere conſtituit: ſed intellecta fraude, Romani, quorum auxilia denuò ſollicitauerant Ægyptii, legatum miſerunt C. Popilium Lænatem. Is, quum in colloquium veniſſet, Antiocho, populi Romani nomine denunciat, vt ab Alexandria, quam obſidebat, diſcederet: qui quum deliberandi ſpacium peteret, ille

virgula ſtantem circumſcripſit, & quid facturus eſſet, clarè iuſſit antè reſpondere, quàm ex ea circumſcriptione excederet. Ita perterrefactus, quod populi Romani potentiam non ignoraret, pacem promiſit.

Hæc eô commemorantur, vt videri poſſit, quemadmodum Romani paulatim à paruis initiis creuerint, ac progreſſus fecerint ad ſummam rerum conſtituendam. Iam enim virtus illorum egreſſa fines Italiæ, in diuerſas quidem mundi plagas impreſſionem fecit, ſed permultum adhuc operis reliquum erat ad coaceruationem illius imperii molis, quæ potiſſimam orbis terrarum partem ambitu ſuo complectitur, vt ordine deinceps, tametſi breuiter, exponam.

Is, quem ſupra dixi, Philippus, Macedonum rex, quod à Romanis in anguſtias redactum ſe grauiſſimè ferret, bellum redintegrare cogitabat: ſed præoccupatus morte, ſucceſſorem habuit Perſea filium, qui iampridem in Romanos exacerbatus, belli quoque gerendi velut hæreditatem ſuſcepit. Sed L. Æmilius Paulus, II. Conſul, prœlio tandem illum vincit, & vnà cum vxore, matre, liberisq; capit, inque triumpho ducit, vocatus idcircò Macedonicus, ab eoq; tempore Macedonia facta eſt populi Romani

mani prouincia. Superiori proximo anno mortuus erat Ennius, annorum ſeptuaginta, ſicut ait Cicero.

Paucis deinde poſt annis, P. Cornelius Naſica, Dalmatiam ſubigit: neque multò poſt, tertium eſt bellum Punicũ exortum. Etenim, quum Carthaginenſes, quietis impatientes & ocii, reliquis vicinis, præcipuè verò Maſaniſſæ, Numidiæ regi, populi Romani ſocio & amico, vim atque bellum inferrent, ſollicitati Romani de auxiliis, bellum decreuerunt, ad annum vrbis conditæ circiter ſexcenteſimum quartum. Sed in eo ſententiis variabant, vtrum euerti ciuitatem, an verò ſeruari oporteret integram: vna erat eorum ſententia, qui non delendam eſſe cenſebant, eò quòd Carthagine ſublata fore dicerent, vt ciuilibus inter ſe diſſidiis atque bellis conflictarentur ipſi: M. autem Porcius Cato, diuerſum ſuadens, quantum Reipublicæ Romanæ periculum impenderet ab ea ciuitate, niſi funditus euerteretur, demonſtrabat, eaque ſententia vicit, ipſo in hac deliberatione mortuo, cum ad octogeſimum quintum annum ætatem produxiſſet. Eum Cicero nominat inter oratores antiquos, & proximum à Marco Cornelio Cethego ponit, quem ab Ennio celebratum eſſe dicit, Catonis autem orationes extare centum

ait quinquaginta, refertas & verbis & rebus illuſtribus, & ſui temporis homines delicatiores reprehendit, quòd non eas diligenter euoluant. Confert eum cum Lyſia ſcriptore Attico. Bello Punico tertio præfectus demum fuit P. Scipio Æmilianus, Pauli Macedonici filius, P. verò Scipionis Africani, per adoptionem nepos. Is poſt inchoatum bellum ab aliis, anno quarto, Carthaginem aliquot diebus vehementer oppugnatam capit, diripit, incendit, complanat: adeptus ideò cognomen, vt Africanus etiam diceretur, ſicut ille, qui Annibalem debellauit, vt ſupra dictum eſt. Et hic quidem eſt vrbis potentiſſimæ finis, quæ & origine vetuſtior, quàm Romana, & ducum præſtantia ferè non inferior, longè latéque dominata fuit. P. Scipionem Cicero ſcribit, Carthagine capta, Siculis reddidiſſe, quæ ſuperioribus annis Carthaginenſes illis ademerant ſigna & ornamenta, & Agrigentinis quidem taurum illum nobilem, quem Phalaris tyrannus habuiſſe dicitur, quo viuos, ſupplicii cauſa, demitteret homines, & ſubiicere flammam ſolebat. Phalaris hic non ex inſidiis interiit, vt alii multi tyranni, ſed in eum vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Africam Cicero vocat prouinciarum omnium arcem.

Eodem

Eodem ferè tempore, bellum Romani fecerunt Achæis, Græciæ populo propter violatos legatos. Belli dux erat Lucius Mummius Cos. qui prœlio victor Achaiam omnē deditione cepit, & Corinthum, primariam vrbem, ac totius Græciæ lumen, vt Cicero inquit, ex ſenatusconſulto incendit, funditusque ſuſtulit, ne quando recreata exurgere, atque erigere ſeſe poſſet. Mummius ob eam rem vocatus eſt Achaicus.

Ad hoc etiam tempus Luſitaniam occupauit Viriatus quidam, ex paſtore venator, ex venatore latro, ac deinde validi exercitus dux factus: qui cum Romanis, per aliquot annos, ac ſæpè quidem feliciter prœliatus, inſidiosè tandem fuit interfectus: ac tum demum Decius Iunius Brutus Conſul, Luſitaniam ad Oceanum vſque perdomuit.

Romani magnam interea cladem à Numantinis, Hiſpaniæ populo, acceperant: quumque pacem à Mancino Conſule factam repudiarent, quod eſſet ignominioſa, P. Scipionem Æmilianum Africanum extra ordinem denuò creant conſulem, eiq; bellum demandant. Is cum exercitu profectus, & ad ſeueram diſciplinam reuocato milite, qui mollior factus erat, & laboris

impatientior, Numantiam vrbem, vbi circumuallaſſet aliquandiu, capit ac deleuit, anno poſt deletam Carthaginem decimo quarto, vrbis autem conditæ anno ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo. Carthaginem, Numantiamque Cicero vocat duos terrores imperii Romani.

Eodem tempore ſeruorum eſt ortus in Sicilia tumultus, qui maximis collectis copiis vix tandem à C. Fuluio conſule fuerunt oppreſſi.

Poſt hæc, bellum fuit Romanis cum Ariſtonico in Aſia: nam Pergami rex Attalus, populum Romanum teſtamento fecerat heredem. Ariſtonicus autem eius propinquus, occupata ea parte Aſiæ teſtamento Romanos fraudabat. Hunc & debellauit & tandem cepit M. Perperna conſul.

Anno autem ſequenti qui fuit annus vrbis conditæ DCXXV, P. Scipio Africanus, domi ſuæ cubans noctu fuit oppreſſus à propinquis, vti creditur. Eloquẽtiam ſummam, fidem, integritatem ei Cicero tribuit: & quamquam ipſius interitu, maximum dolorem ciuitas tota perciperet, nullam tamen quæſtionem de illius morte latam fuiſſe ſcribit: Solem verò fuiſſe geminatum eodem anno tradit. Itaque ducum longè omnium præſtantiſſimus periit, natus annos LVI. quod quidem Africanum ei maiorem

iorem præſignificaſſe, commentatione quadam ſuauiſſima fingit Cicero.

Vixerunt hac ætate Lucilius, Terentius, Pacuuius, Accius, Licinius, Cæcilius, Afranius: & Pacuuium quidem C. Lælius, Africano coniunctiſſimus, amicum ſuum vocat, Terentium verò, familiarem.

Poſt hæc Fabius Maximus conſul, Allobroges, Aruernos, Rutenos, Galliæ populos ingenti prœlio ſuperauit: eodemque tempore fuit interfectus Romæ C. Gracchus, tribunus plebis, vir eloquens, legis Agrariæ defenſor, quum ante annos XII. eius frater Tiberius Gracchus conſimili de cauſa cæſus fuiſſet. Vtrique Cicero tribuit eloquentiæ laudẽ, & Tiberii quidem orationes non ſatis ſplendidas verbis, ſed acutas, prudentiæque pleniſſimas, C. verò fratrem eius legendum eſſe cum primis iuuentuti dicit, quod non ſolum acuere, ſed etiam alere ingenium poſſit, eumque vocat Romanorum ingenioſiſſimum atque eloquentiſſimum. Somniauerat Gracchus, Tiberium fratrem ſibi viſum eſſe dicere, fore vt eodem letho quo ipſe periret: & hoc illum dixiſſe nonnullis antequam tribunus plebis factus eſſet, Cicero refert. Extant illorum leges frumentariæ, de coloniis deducendis, de commodis militum, de prouinciarum adminiſtratione, de po-

puli ſuffragiis, de locatione agri Attalici & Aſiæ.

Hos motus tribunicios conſequutum eſt bellum populi Romani cum Ingurtha Numidiæ rege, quod quidem bellum à L. Calpurnio Beſtia Coſ. ſuſceptũ, & à Quinto Cæcilio Metello continuatum; à Caio Mario conſule, qui Publio Scipioni militauerat, tandem confectum eſt: nam rex Mauritaniæ Bocchus, Iugurthæ ſocius prœlio victus, cum belli periculum nollet ſuſtinere diutius, vinctum Iugurtham Syllæ tradidit, qui miſſus à Mario fuerat, huius rei cauſa.

Et ad hoc ipſum tempus, quod erat vrbis conditæ anno DCXLVII. natus eſt M. Tullius Cicero, cum annis ante ipſum octo natus eſſet Q. Hortenſius, clariſſimus orator. Per bellum Iugurthinum Cimbri & Theutoni innumerabili multitudine penetrant, alii in Italiam, alii in Galliam: ac vbi maximis cladibus populum Romanum affeciſſent, & nunc proconſules, nunc legatos aliquot prœliis viciſſent, tandem ad internecionem cæſi fuerunt à C. Mario IV. conſule, Theutoni quidem, ad aquas Sextias, prouinciæ Galliæ oppidum, Cimbri autem ad fines Inſubriæ.

Hanc felicitatem excepit nouus tumultus: nam Italiæ populi aliquot à Romanis defe-

defecerunt, Samnites, Peligni, Marſi, Veſtini, Marrucini, Vmbri, Picentes, Lucani. Variè cum his pugnatum eſt, & vix tandem ad officium reducti fuerunt.

Mox aliud malum, ac Reipublicæ pernicioſiſſimũ interuenit. Mithridates, Ponti rex, Cappadociæ regem Ariobarzanem, & Bithyniæ regem Nicomedem, populi Romani ſocios & amicos, finibus eiecerat, & occupata Phrygia, Romanorum prouincia, penetrauerat in Aſiam. Itaque ſenatus bellum decreuit: hic autem orta factione, alii L. Syllam, nobili genere natum, alii C. Marium poſcebant Imperatorem. Marii partes iuuabat P. Sulpicius, tribunus plebis. Habebat autem exercitum Sylla, Mariumque vrbe eiecit, qui maximo deinde vitæ periculo, cum in plaudibus circa Minturnas delituiſſet, parua nauicula in Africam traiecit exul.

Per abſentiam Syllæ, belligerantis in Aſia, Lucius Cornelius Cinna, Conſul tumultuari cœpit, & moliri res nouas: verùm eiectus à Cn. Octauio collega, & pulſus vrbe recolligit vires, & C. Mariũ, iſta occaſione reuerſum ex Africa, ſibi coniungit. Itaq; contractis copiis Romam obſident ambo, qua parte Ianiculum erat: & cum non ignauè tantum, ſed & perfidioſè multa in vrbe fierent, neque iam illis reſiſti poſ-

ſet, intromiſſi cædibus atque rapinis omnia complent: deinde ſeipſos renunciant conſules, in eoque magiſtratu crudeliter multa fecerunt: & L. quidem Cinna præſtantiſſimum oratorem M. Antonium interfici iuſſit: Marius verò Q. Catulum. His rebus cognitis, L. Sylla, quum pleraque omnia bello recuperaſſet, pace cũ Mithridate facta, in Italiam reuertit: ſed iam è vita deceſſerat Marius VII. Conſul. L. verò Cinna collegam habebat ſuarũ partium, Cn. Papirium Carbonem: qui, licèt vim & arma Syllæ opponerent, vnà cum filio Marii profligati fuerunt: & Sylla rerum potitus, aduerſarios omneis acerbiſſimè perſequitur, proſcriptionis tabulam proponit, proſcriptorum bona vendit, eorumque liberis facultatem eripit, atque ius vllos honores in republica conſequendi: factus inde Dictator, pro ſuo arbitratu omnia conſtituit, ac tribuniciam poteſtatem infringit, & quum ciuium Romanorum bona venderet, prædam ſe ſuam vendere pro concione dicebat: breuiter, nemo illo inuito nec bona, nec patriam, nec vitam retinere poterat. In C. verò Marium odio tam acerbo fuit incitatus, vt eius reliquias apud Anienem fluuium ſitas diſſipari iuſſerit: ipſe autem primus è patriciis Corneliis igni voluit cremari, fortaſſe timens idem ſuo corpori poſſe ac-

ſe accidere. Mario vim & virtutem, & in iracundia perſeuerantiã Cicero tribuit: Syllã, vehementem, L. verò Cinnam vocat crudelem. Marium appellat etiam terrorẽ hoſtium, ſpem, ſubſidiumque patriæ. L. Sylla quatuor nouas leges tulit, de falſo, de parricidio, de ſicariis, de iniuriis. Ipſo dictatore, M. Cicero, natus annos XXVI. in forum prodiit, & pro S. Roſcio publicam cauſam dixit. Ante ipſum clariſſimi nominis oratores fuerunt Q. Catulus, C. Iulius, M. Antonius, L. Craſſus, cuius quidem ætate lingua Latina ſuam quaſi maturitatem habuit, vt ait Cicero. Fuit autem hæc Ciceronis ætas omniũ eruditiſſima: nam vt tot, tamque præſtantes oratores omittam, Iurecõſulti quoq; fuerunt inſignes, & in his C. Aquilius Gallus, L. Lucilius Balbus, C. Iuuentius, Sex. Papyrius, auditores Q. Mutii Scæuolæ, pontificis, cui & Cicero dedit operam adoleſcens. Æqualis autem propè Ciceronis erat P. Seruius Sulpicius, qui ſuperiorũ auditor, diſcipulos habuit, A. Offilium, P. Alphenum Varum, Caium, Titium Cæſium, duos Aufidios, C. Atteium Pacuuium, Flauium Priſcum, Cinnam, P. Cæcilium. Floruit etiam cum Sulpicio, C. Trebatius, cui diſcipulus fuit Antiſtius Labeo. Sulpicium mortuum Cicero verbis ampliſſimis laudans, omnes, ait, qui ex omni ætate

hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio non ſunt comparandi. Neque enim ille magis iuriſconſultus quàm iuſtitiæ fuit.

Ex proſcriptorum numero Q. Sertorius reſtabat, vir animi robore belliqueſcientia præclarus. Is in vlteriori Hiſpania grauiſſimum bellum excitauit, & deuictis aliquot ducibus populi Rom. complures vrbes in ſuam poteſtatem redegerat. Itaq; belli adminiſtratio tandē commiſſa fuit Cn. Pompeio: quumque varia fortuna ſæpè pugnatum eſſet, tandem inſidiosè fuit interfectus Sertorius, & Pompeius deinde decimo ferè anno poſt inceptum bellum, Hiſpanias recipit.

In hoc tempore Nicomedes Rex Bithyniæ, moriens populum Romanum inſtituit heredem: Mithridates autem Ponti rex, qui fœdus antea cum Sertorio fecerat, in illa Mariana & Syllana factione, occupata Bithynia, maximis viribus bellum reſtaurat. In eum miſſus eſt cum exercitu L. Lucullus, qui Cos. equeſtribus prœliis feliciter rem geſſit, ac deinde procōſul, cæſo exercitu, & erepta Bithynia, coëgit illum in Pontum retrocedere. Ibi quoque ingenti prœlio victus Mithridates, ad Tigranem Armeniæ regem confugit. Lucullus verò per-

perſequens & inſtans vtriuſque copias aliquot prœliis concîdit, & quo minus planè bellum conficeret, optatumque victoriæ fructum atque laudem reportaret, in cauſſa fuerunt ſeditiones militares, callidè à nonnullis excitatæ. Nam paulò pòſt reuocato Lucullo, belli adminiſtratio cōmiſſa fuit Cneo Pompeio: cuius quidem rei ſuaſor etiam fuerat M. Cicero, quum in Pompeii laudem luculentam haberet ad populum orationem. Lucullus reuocatus, triumphauit nihilo ſecius, & epulū ſplendidiſſimum populo Romano dedit: relicta deinde Republica, domi vixit priuatus in Philoſophiæ ſtudiis, & ampliſſimam inſtituit Bibliothecam, in victu quotidiano ſplendidus & magnificus, vt antea ſemper. Eius Bibliothecæ meminit Cicero, ſeque eò venire ſolitum eſſe oſtendit, vt libros inde promeret. Pompeius Mithridatem in fugam coniecit, longiſſimeque perſecutus eſt. Et Tigranem regem deditione cepit: quumque in ſuis caſtris illum ſupplicem abiectumque vidiſſet, erexit, vt ait Cicero, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, & imperatis certis regibus regnare iuſſit. Mithridates tandē obſeſſus à filio ſuo Pharnace, mortē ſibi cōſciuit ipſe. Cn. Pompeio magnā au-

thoritatem conciliauerat bellum illud, quod cum piratis geſſit: quod quidem fuit antè quàm in Mithridatem iret.

Eo ſedato bello, mox aliud incendium ciuile ortum eſt. nam L. Catilina cum aliis multis in perniciem reipub. coniurauerat: verùm ſingulari Ciceronis induſtria, qui tum conſul erat, patefacto ſcelere, pulſus vrbe, cùm copias in Hetruria & manus perditorum hominum coegiſſet, à C. Antonio conſule, Ciceronis collega, prœlio victus occubuit. Operam, quam tum Reipublicæ præſtitit Cicero, paſſim in ſuis ſcriptis prædicat: & non modò tunc viſas nocturno tẽpore faces, ardoremque cœli, fulminumque iactus, & terræ motus extitiſſe dicit, verum etiam illa prodigia, quæ L. Cotta & Torquato, conſulibus annis duobus ante ipſum conſulem acciderant, huc accommodat, quando complures in Capitolio turres percuſſæ, & ſimulacra Deorum depulſa, & ſtatuæ veterum hominum deiectæ, & legum æra liquefacta fuerũt, tactus etiam, qui Romam vrbem condidit, Romulus, paruus atque lactens, & vberibus lupinis inhians. Catilinæ naturam & ingenium Cicero deſcribens, nunquam ait fuiſſe tale monſtrum in terris vllum, tam ex contrariis diuerſiſque inter ſe repugnantibus naturę ſtudiis cupiditatibusq; conflatum. Cicerone

cerone Conſule, natus eſt C. Octauius, & Iudæa Romanis facta ſtipendiaria, cum Hieroſolymam Cneus Pompeius expugnaſſet.

Quinto pòſt anno L. Piſone, A. Gabinio, conſulibus, Heluetii ſedes mutarũt, & maximis cum copiis per prouinciam Galliam conſtituerunt in reliquam Galliam penetrare, & ibi propter agri fertilitatem conſidere. Quo cognito, C. Iulius Cæſar, ſex annis natu minor Cicerone, collecto exercitu, quod ei prouinciam ſenatus attribuiſſet, profectus illuc, & commiſſo prœlio fudit hoſtem: poſt etiam Ariouiſtum, Germanorum regem, qui Galliam Celticam, inprimis autem Heduos, populi Romani ſocios oppreſſerat, non procul à Rheno debellauit, Veſontione, Sequanorum oppido, profectus. Omnem deinde Galliam in ditionem populi Romani perduxit, ſimul traiecto mari, Britanniam deuicit. Ex Britannia Cæſarem ad ſe dediſſe literas ait Cicero, Calendis Septembris, quas ipſe pòſt acceperit ad quartum Calend. Octobris. Cum in Galliam Cæſar iret, Cicero vexatus à P. Clodio tribuno plebis, in exilium diſceſſit, oratione prius habita ad populum & equites, qua ſuos liberos atque familiam illis commẽdat. Reuocatus autem aliquot pòſt menſibus à ſenatu, maxima cum po-

puli gratulatione, alteram habuit orationem ad Quirites, qua gratias agit amicis. Cauſam exilii pòſt contulit in L. Piſonem, A. Gabinium, cõſules, ab iiſque proditum ſeſe demonſtrat, habitis orationibus in vtrumque, quarum in altera ſenatui ſuadet, vt prouincias illis adimant, Syriam ac Macedoniam, & ne C. Cæſarem feliciſſimè belligerantem in Galliis, reuocent, ſed vt imperium ei proferant, quo planè bellum conficiat.

Interea Ptolemęus Auletes, Ægypti rex, propter ignauiam & crudelitatem regno pulſus, Romam venit, & perſuaſus à Cn. Pompeio ſenatus, per A. Gabinium reſtituit illum, Archelao pulſo, qui de populi voluntate regnabat. Gabinius fuit damnatus tandem, vt in ærarium inferret decem millia talenta, vel vt quidam noſtri homines rationem putant, ſexagies centena millia, quòd tantam ſummam à Ptolemæo accepiſſet.

M. etiam Craſſus, cui Parthicum bellum fuit decretum, Euphrate transmiſſo, victus in colloquio deinde per fidem fuit interfectus. Hic eſt ille, qui dicere ſolebat, neminem eſſe diuitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus. Per hoc quoque tempus fuit occiſus à T. Annio Milone P. Clodius: Milonem Cicero defendit, Cn. Pompeio,

peio, III. & ſolùm conſule: ſed ille tamen iuſſus eſt exulare.

Confecto bello Gallico, quod fuit octauo circiter anno, bellum eſt natum ciuile Caii Cæſaris, cum Cneo Pompeio genero. Cauſſa erat belli, quod Cæſar à conſulatu repudiaretur, nî dimitteret prius copias, & prouinciam traderet: illi verò perſuaſum erat, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu recederet: ferebat tamen eam condicionem, vt tum ipſe, tum Pompeius traderent exercitus: quumque id repudiaretur, progreſſus incredibili celeritate cum copiis, è Gallia venit in Italiam, & Flaminiam ingreſſus, oppida quamplurima, partim gratia, partim deditione capit. Ea re cognita, Pompeius, & ambo conſules, C. Marcellus, L. Lentulus Roma fugiunt, & Brunduſium Apuliæ oppidum maritimum petunt. Eò venit etiam Cæſar: ſed iam conſules traiecto mari Dyrrhachium iuerant, neque multò pòſt inſequitur eos Pompeius: & quum Cæſar, tempore excluſus, quod claſſem idoneã non haberet, illũ perſequi non poſſet, Romã venit, & conuocato ſenatu, de iniuriis queritur, ac ſimul pacis condiciones proponit: cumque remiſſius ageretur à ſenatu, Maſſiliam petit, quæ portas illi clauſit. Itaq; comparata claſſe, terra mariq; illam obſidet, & relictis ibi legatis in Hi-

ſpaniam proficiſcitur. Ibi Petreium, & Afranium, Pompeianos duces, totumque exercitum deditione tandem capit. Poſt, Maſſiliam redit: quæ tum primum deſperatis rebus omnibus, in poteſtatem illius ſe permiſit, & abſens à M. Lepido prætore dictator factus, Romam venit, comitia habet, & conſul creatur cum P. Seruilio Iſaurico: deinde rebus in vrbe conſtitutis, in Græciam transmittit, ac tandem in Theſſalia Pompeium maximo prœlio vincit, copiis multo ſuperiorē, & caſtris exuit. Pompeius fugiens, Ægyptum petit. Erat tum Ægypti rex Ptolemæus Dionyſius, Ptolemæi Auletæ filius, quem expulſum regno, Pompeius conſul per A. Gabinium reduxerat, vt ſupra diximus. Propter hoc beneficium ſperabat opem atque tutelam in ea regione: rex autem erat ætate puer, eiuſque familiares, vel quòd fortunam Pompeii deſpicerent, vel quod motum aliquem metuerent, inſidioſè illum interficiunt. Cæſar fugientem perſequutus, Alexandriam peruenit cum tribus millibus hominū, & ducentis, atque ibi primùm de morte Pompeii cognoſcit. Cicero iudicans de vtroque, proximo bello, inquit, ſi aliquid de ſumma grauitate Pompeius, multùm de cupiditate Cæſar dimiſiſſet, & pacem ſtabilem, & aliquam Rempublicam nobis habere licuiſſet.

iſſet. Gerebat tunc bellum Ægypti rex cum ſorore Cleopatra. Cæſar itaque, cum eſſet Alexandriæ, voluit de controuerſiis iure potius apud ſe, quàm armis inter ipſos diſceptari, eò, quòd conſul eſſet populi Romani, & quòd ſuperioribus annis, cum Ptolemęo, patre regis, lege & ſenatusconſulto ſocietas facta erat. Hoc ipſum verò indigniſſimè ferebant præfecti, querentes maieſtatem regiam minui, quòd ad dicendam cauſam euocaretur. Concitatis ergò animis, bellum aduerſus Cæſarem moliuntur, ſed ille, poſt magna pericula victor, extincto rege, non quidem redegit Ægyptum in prouinciæ formam, ſed Cleopatrę eiuſque fratri minori regnum permiſit. Inde profectus in Syriam, ac pòſt in Pontum, Pharnacem regem, Mithridatis filium, profligat; Cappadociam, Armeniam, Gallogræciam, Pontum & Bithyniam pacat. In Italiam ac Romam deinde reuerſus, media pòſt hyeme, & ad ſolſtitium hybernum, ex Lilybęo traiicit in Africam, licèt à ſummo aruſpice monitus eſſet, ne antè brumam tranſmitteret. Eò confugerant à pugna Pharſalica Scipio & Cato, M. Porcii Catonis pronepos, magniſque contractis copiis, Iubam regem ſibi conſociauerant. Profectus igitur eò Cæſar ad internecionem omnes deleuit. Et Cato quidem, ne in illius poteſta-

tem veniret, Vticæ mortem ſibi conſciuit ipſe, quod quidem Cicero defendit, & cui incredibilem quandam natura grauitatem dediſſet, ei potius hoc faciendum fuiſſe dicit, quàm tyranni vultus aſpiciendus. Erat Stoicæ diſciplinæ Cato, & ſententias horridiores nonnumquam in ſenatu defendebat, tamquam in Platonis verſaretur politia, ſicut ait Cicero, non tamquam in Romuli fece. Romã poſtea Cęſar venit: quumque de Gallia, Ægypto, Ponto, & Africa triumphaſſet, aduerſus Sextum Pompeium bellum ſuſcepit in Hiſpaniam profectus, eumque debellauit. Itaque deuictis omnibus aduerſariis, & longè latéque pacatis populis in vrbem redit anno quinto poſt inceptum bellum ciuile: & quum de Hiſpania triumphaſſet, Dictatoris quoque nomen atque poteſtatem ſibi delatam perpetuò ſumeret, ac ſenatum pro ſuo conſtitueret arbitratu, reliquos etiam honores ac munera publica propè ſolus elargiretur, ac quibus vellet, diſtribueret, in odia plurimorum incurrit.

Mutato igitur Reipublicæ ſtatu, & ad vnius principatum redacta ſumma rerum, coniurationes in eum factæ, tandem exarſerunt, & quinto pòſt menſe, quam Romam veniſſet, in curia Pompeii fuit Idibus Martiis interfectus, ab iis ipſis, quos

recen-

recenti beneficio ſibi deuinxerat, quibuſque ignouerat, quod bello Pompeiano contra ipſum militaſſent. Hi erant M. & D. Brutus, Caius Caſſius, Cneus Domitius, C. Trebonius, Q. Tullius Cimber, duo Seruilii, Caſca, Hala, & complures alii. Ciceronem quoque Marcus Antonius, conſul, collega Cæſaris, vt conſcium cædis, ad ſenatum coarguit, quòd interfecto Cæſare ſtatim cruentum altè extollens Marcus Brutus pugionem, ipſum nominatim exclamaſſet, atque ei recuperatam libertatem eſſet gratulatus. Tradunt nonnulli C. Cæſarem Græcis verbis affatum eſſe Marcum Brutum irruentem, & appellaſſe filium: id quomodo accipiant illi, neſcio: hoc quidem ex Cicerone conſtat, Brutum annis quindecim fuiſſe natu minorem illo. Leges aliquot tulit, partim conſul, partim dictator, quæ propter ipſum Iuliæ dicuntur; agraria, de iudiciis, de vi, maieſtatis, repetundarum, de ſacerdotiis, de fœnore. Sunt aliæ quædam eius nominis, verum ab Octauio latæ. Clementiam Cæſari tribuunt omnes: Cicero etiam ingenium, acumen, rationem, memoriam, litteraturam, cogitationem, diligentiam: ſed eius dominatum ægerrimè tulit, occultè tamen, & in quadam ad Atticum Epiſtola, Intelliges, inquit, id regnum vix ſemeſtre eſſe

poſſe. Fuit autem in hac tota cauſa Cicero valdè lubricus & inconſtans. nam in bello ſecutus eſt partes atque caſtra Pompeii, licèt ipſius animi deiectionem, atque negligentiam reprehenderet: & in epiſtolis ad amicos, C. Cæſarem belligerantem vocabat tyrannum atque monſtrum. Profligato autem & extincto Pompeio, quum Cæſar multis ignoſceret, ſtylum vertit, & tribus habitis orationibus, ad cœlum vſque laudibus eum efferebat: quumque ſibi fieri Cæſar inſidias audiſſet, ſeque ſatis vixiſſe nonnumquam diceret, ille deprecatur, & orat, vt hanc opinionem deponat: nam etſi gloria ſit cumulatiſſimus, ideoq; ſibi quidem ſatis vixerit, non tamē ſatis vixiſſe Reipublicæ, quæ præſidio carere non poſſit ipſius atq; tutela: de periculo non eſſe quod ſit ſollicitus: Nam omnes, inquit, tibi non modò excubias, & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus & corporum pollicemur. A nece verò Cæſaris mirum in modum exultabat, & qui illum occidiſſent, eam gloriam conſecutos eſſe dicebat, quæ vix cœlo capi poſſe videretur.

Hæc eſt igitur QVARTA & poſtrema MONARCHIA. quo quidem in loco notandū eſt, quomodo ex minimis initiis paulatim ad ſummam potentiam creuerit ea ciuitas, quæ à paſtoribus condita, domina

tandem

tandem euaſit orbis terrarum. Nunc deinceps breuiter, quantum licebit, exponam, quemadmodum ab illo rerum faſtigio, ſenſim poſteà declinarit ad interitum.

IOHANNIS SLEIDANI DE QVATVOR SVMMIS Imperiis,

LIBER II.

CÆſare interfecto, C. Octauius, qui Cæſaris ſororis erat nepos, traductis ad ſe legionibus, acerbiſſimè perſequutus eſt illius percuſſores. Et quũ initio pro Republica videretur in M. Antonium arma ſumere, tandem partitus Imperium cum illo, & M. Lepido, Triumuiratum inſtituit, in quo M. Cicero, qui vehementer Antonium oppugnauerat, trucidatus ab eo fuit, natus annos LXIII, quum ante annos octo mortem obiiſſet Q. Hortenſius totidem annis natu maior illo, ſicut ſuprà dictum eſt. Ciceronem planè feſellerunt ſua conſilia: quum enim à morte C. Cæſaris Remp. perturbaret Antonius, C. Octauium Cæſaris propinquum, viginti annorum adoleſcentem, miris laudibus ſe-

Digitized by Google

natui Cicero commendabat, & ſuadere cœpit, vt non habita illius ætatis ratione crearetur cõſul, adductis ex veteri memoria multis exemplis, quamobrem id fieri poſſet, refutatis etiam iis, quæ metuenda videbantur, fidem ſuam obligare ſe profitebatur ſenatui, ſemper illum talem fore ciuem, qualis tum eſſet, qualemque eum maximè velle & optare deberent. Sed pòſt ab illo deſtitutus, in Antonii manus deuenit. Marcus Brutus etiam grauiter eum reprehendit, quod illi ſic adularetur. Ceterùm in æmulatione imperii, natis, vti fieri ſolet, offenſionibus, quum propter coniurationem in Octauium triumuiratu iam antea motus eſſet, & relegatus Marcus Lepidus, bellum in Antonium alterum collegam ſuſcepit Octauius, & ipſum atque Cleopatram, de qua ſuprà diximus, poſt Actiacam victoriam, expugnauit ad Alexandriam, & ad mortem ſibi ipſis inferendam adegit, & Ægyptum populi Romani prouinciam fecit. Tradunt authores, Ægypti fructus annuos fuiſſe, Ptolemæo Aulete regnante, duodecim millia quingenta talenta: hanc ſummam noſtri temporis viri docti redigunt ad ſeptuagies & quinquies centena coronatorum aureorum millia. Quum autem in populi Romani deditionem veniſſet, multò putant fuiſſe fru-

ſe fructuoſiorem, propter Indiæ & Æthiopiæ commercia.

Deuicto & ſublato Antonio, ſolus per annos XLIIII. rempublicam geſſit Octauius, & ipſius imperii anno XXIX. conditi autem orbis ter milleſimo nongenteſimo quinquageſimo quarto, ſicut plerique numerant, natus eſt ſaluator noſter IESVS CHRISTVS, quum ante ſeptē annos Herodes, cognomento Magnus, templū Hieroſolymæ dirutum reædificaſſet magnificentiſſimè.

M. Antonius habebat in matrimonio, C. Octauii ſororē, ſed amore captus Cleopatrę, quum Aſiam peragraret, illa deſerta, duxit hanc vxorem, eaque res partim etiam belli cauſſam dedit. Summus autem erat vtriuſque luxus, deque conuiuiis illorum atque deliciis & voluptatibus incredibilia ferè prodiderunt authores: verùm is, quem dixi, fuit ipſorum exitus, vitæque finis. M. Antonius erat M. Antonii, de quo ſuprà dictum eſt, oratoris clariſſimi nepos.

C. Octauio regnante, populi Romani exercitus omnium primò bellum Germaniæ fecit, in ipſorū finibus. C. Iulius Cæſar bis quidē profligauit Germanos, verùm in Galliis, nempe Arioniſtū in Celtis, & deinde ad Moſæ confluentem atq; Rheni: poſt

eam victoriam extructo ponte Rhenum tranſiit, ſed paucis diebus ibi commoratus, exercitú in Galliam reduxit, pontemq; reſcidit. Biennio deinde pòſt, rurſus ponte Rhenum transmiſit, paullò ſupra eum locum, quo antea exercitum traduxerat, ac tum planè conſtituit in Sueuos proficiſci: verùm per exploratores certior factus de rebus omnibus & difficultatem veritus inopiamque commeatus, in Galliam ſe recepit, partem aliquam pontis reſcidit, & in altera parte turrim atque caſtellum conſtituit, præſidiiſque firmauit, ne ſui reditus metum hoſtibus omninò tolleret. Et hæc quidem ſolùm aduerſum Germanos geſſit C. Cæſar, ſicut ipſe commemorat: verum Octauius per Tiberium atque Druſum fratres, bellum Rhætis intulit atque Vindelicis: & ex Vbiis, populi Romani ſociis, eam Germaniæ partem, quæ *Weſtphalia* dicitur, inuaſit, duce Quinctilio Varo: ſed hunc ad internecionem propè concîdit Cheruſcorum dux Arminius, inter Amiſiam flumen & Luppiam. Eius morte grauiſſimè perturbatum Vergilium, Horatius carmine pulcherrimo conſolatur. Druſus in Germania periit, relictis filiis, Germanico, viro præſtantiſſimo, & Claudio. Celebrat eum Horatius, ode doctiſſima, ſicut antè quoque diximus, & ſtirpem

ipſius

ipſius refert ad C. Claudium Neronem, qui conſul cum M. Liuio Salinatore, II. fratrem Annibalis, Aſdrubalem, nouas adducentẽ copias, ad Metaurum flumen concîdit. Cãtabros præterea domuit Auguſtus, & Aquitanos, & Pannonios, & Dalmatas, & Illyricos, & Salaſſios, Alpium incolas. De deponenda quidem imperii mole dicitur cogitaſſe non ſemel: ſed quum inuicem reputaret, & ſe priuatum non ſine periculo futurum, & illam arbitrio multorum temerè committi, ſententiam mutauit. Regni ipſius anno XXXIII. Herodes magnus, quem M. Antonius & ipſe, tertio triumuiratus anno Iudææ regem conſtituerant, mortuus eſt: & octauo pòſt anno, filius eius atque ſucceſſor Archelaus, relegatus fuit in exilium, Viennam Galliæ oppidum. Ad prouinciarum Imperii tutelam legiones aluiſſe ſcribitur Octauius XLIV, & in Ægypto quidem ternas, in Hiſpania totidem, per Germaniam octonas. Quantus autẽ fuerit eius rei ſumptus annuus, nonnulli rationem inierunt, & ad centies atq; vicies centena coronatorum aureorum millia ponũt, ſic, vt in ſingulas legiones annua ducenta ſeptuaginta duo diſtribuant aureorum millia. Legionem verò ſex millibus peditũ cenſent, equitibus quingentis. In Octauio valdè prædicatur ſtudium &

liberalitas erga viros doctrina præſtantes. Erant tunc præcipui nominis poëtæ, Varius, Vergilius, Plotius, Valgius, Fuſcus, duo Viſci, Pollio, Meſſalla, Bibuli, Seruius, Furnius, Horati⁹ qui ſua ſcripta cupit illis probari, minimè ſollicitus, quid alii ſentiant. Ceterum inde à M. Porcio Catone & Africano maiore, ad hoc vſque tempus, perpetua quadam ſerie clariſſima Romæ fulſerunt ingenia: ſed hoc Auguſti ſæculum ferè poſtremum eſt, quod natiuum illum linguæ Latinæ ſuccum, & ſanguinem incorruptum retinuit. Nam deinceps paulatim magis atque magis fuit ſermo viciatus, donec in meram degenerauit barbariem, quæ ad hanc noſtram vſque memoriam adhæſit. Cordubæ natos Poëtas pingue quiddam ſonare Tullius ait & peregrinum: quid de illis iudicaturum fuiſſe putamus, qui centum & amplius poſt annis vixerunt, non Cordubæ nati ſolùm & educati, ſed etiam Romæ?

Ceterum, Tiberius, Octauii Auguſti priuignus & gener & filius adoptiuus, admodum inuitus, vt quidē præ ſe ferebat, & vix tandem exoratus à ſupplicante ſenatu, principatum ſuſcepit, & initiò quidem nihil ſolus agebat, deque rebus omnibus, quæ alicuius eſſent momenti, cum ſenatu communicabat, ſed paulò pòſt, Reipublicæ cura

cæ cura planè depoſita, totum ſe volupta-tibus tradidit. Eo regnante, Armeniam Parthi occuparunt, Mœſiam Daci & Sarmatæ. Galliam vaſtabant Germani: ſed his incommodis nihil ipſe mouebatur. Eius regni anno decimoquinto, Chriſtum ſeruatorẽ noſtrum eſſe crucifixum, nonnulli tradunt, & magni quidem in re Theologica viri: ſed eodem anno Lucas baptiſatum eſſe ſcribit à Iohanne. Floruerunt tunc Marcus Cocceius Nerua, pater & filius, Caſſius Longinus, Iureconſulti. Tiberii pater fuit Tiberius Nero, qui Caio Cæſari bello militarat Alexandrino. Succeſſit ei C. Cæſar Caligula, parẽtis optimi, Germanici, peſſimus filius, & planè monſtrũ. Viginti tribus illis annis quibus præfuit, infinitam auri vim Tiberius collegiſſe ſcribitur, quam iſte primo ſtatim anno totã profudit. Ipſius regni anno ſecundo circiter, Herodes Antipa, Magni filius, interfector Iohannis Baptiſtæ, Lugdunum fuit miſſus in exilium: & ſucceſſorem habuit Herodem Agrippam, qui Iacobum Apoſtolum extinxit.

Caligulæ necato ſubrogatus eſt Claudius patruus. Is, vbi defeciſſet Britannia, profectus eò, & parte inſulæ in deditionem recepta, domum rediit. Maxima fuit, eo regnante, paſſim inedia, quam ab

Agabo prænunciatam fuiſſe, Lucas Euangeliſta commemorat.

Claudii ſucceſſor Nero Claudius non obſcurè ſignificabat, ſe quandoque ſublaturum eſſe prorſus ordinem ſenatorium. Eo regnante, Britannia magnam cladem accepit, direptis ibi ciuibus atque ſociis populi Romani: Legiones etiam ſub iugum miſſæ fuerunt in Armenia, & vix ægrè retenta Syria: deinde Gallia defecit, authore Iulio Vindice eius prouinciæ præfecto, pòſt etiam Hiſpania, duce Sergio Galba. Quumque de recuperandis amiſſis cogitaret, inque Galliam pararet profectionem, reliqui etiam exercitus, quos habebat paſſim in prouinciis rebellarunt. Quam fuerit immanis & efferata bellua, notum eſt ex hiſtoriis: itaque iudicatus hoſtis à ſenatu, ſeipſum interfecit, adiuuante ſeruulo. Florebant eo tempore præter Senecam, Lucanus, Perſius, Silius Italicus, poetæ: & hic quidem vltimo Neronis anno fuit conſul.

Ab eo tempore ſtatus Reipubl. fuit eò redactus, vt penes exercitum atque legiones populi Romani eſſet, creare Cæſarem. Hunc ad modum factus eſt etiam Cæſar Veſpaſianus. Nam qui per Mœſiam erant, & Pannoniam, & Iudæam & Syriam exercitus, ab A. Vitellio defecerunt, & in Veſpaſiani verba iurarunt. Hic Achaiam, Lyciam,

ciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Ciliciam, & Comagenem populi Romani prouincias fecit, & Hieroſolymã funditus deleuit, adminiſtrante bellum Tito filio.

Flauius Domitianus, cum Chattis, cum Dacis, cum Sarmatis bella geſſit, deque iis triumphauit. Vixerunt tunc Statius, Iuuenalis, Martialis, Poëtæ.

Vlpius Traianus à Nerua Cocceio adoptatus, ac deinde Cæſar factus, Dacos bis rebellantes domuit, ac Romanæ ditionis fecit, coloniasque deduxit. In Armeniam & Parthos cum exercitu profectus deditione & gratia ſibi illos adiunxit, & Parthicus deinde vocatus eſt: Verum plerique omnes ab eo ſubiecti populi rebellarunt tandem, præcipuè per Armeniam & Meſopotamiam. Parthi etiam regem ipſis datum ab illo, repudiarunt, cum in Italiam reuerti cœpiſſet.

Ælius Adrianus Iudæam rebellantem domuit. Eius cauſſa belli fuit, quòd Hieroſolymæ, quam rurſus habitari permiſit, Ioui Olympio templum ædificaſſet, quam rem indigniſſimè Iudæi ferebant. Gallias, item Germaniam, & Britanniam, & Hiſpanias inuaſit: deinde Mauritaniam & Parthos & Aſiam, & Græciam, perque Siciliam Romam rediit: inde rurſus, in Africam profe-

ctus, Romamque reuerſus, denuò Græciam, Aſiamq; petit, illinc in Arabiam contendit, & poſt in Ægyptum. Conuocato ſenatu, commẽdauit eis Antoninum Pium, qui poſt eum factus Cæſar, pacem coluit, deque omnibus benè mereri ſtudens, exteros reges atque populos litteris & humanitate in officio continuit. Eius tempore Iureconſulti floruerunt, Aburnius Valens Tuſcianus, Vinidius Verus, Vlpius Marcellus, Arrianus, Tertullianus, Saluius Iulianus, L. Voluſius Metianus.

Antonino Pio ſucceſſit filius M. Antoninus, cognomento Philoſophus, qui propinquum L. Aurelium Verum, ſocium imperii ſibi ſumpſit. Per eum feliciter geſſit Parthicum bellum: ipſe domi & in vrbe Rempublicam curans: deinde mortuo Vero, ſolus imperauit, & in Germanos benè rem geſſit: Marcomanos etiam oppreſſit & Sarmatas & Vandalos, & Quados, qui Pannonias inuaſerant. Plærique enim omnes populi, inde ab Illyrico vſque in Galliam, eo tempore contra nomen Romanum conſpirauerant.

Huius laudatiſſimi principis filius flagitioſiſſimus, Commodus Antoninus, per legatos deuicit Mauros atque Dacos: compoſuit Pannonias, Germaniam, Britanniam, imperium eius recuſantes, ipſe interim

in omni

in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degens.

Septimius Seuerus, ciuile bellum geſſit cum Nigro, qui Aſiam, & cum Albino, qui Galliam ad defectionem ſollicitabat: cum Parthis feliciter pugnauit; Iudæos per Syriam debellauit. Perſarum regem Abagatum ſubegit, Arabas in deditionem accepit, Britanniam communiuit, muro vtrinque ad Oceanum ducto, per transuerſam inſulam, & ſubactis populis, Britanniæ infeſtis, Eboraci vitam finiit.

Eius filius Antoninus Baſſianus Caracalla bellum intulit Parthis & Armeniis. Hic eſt, qui Papinianum, prætorii præfectum, nolentem defendere parricidium, trucidari iuſſit. Viguerunt hoc tempore complures Iureconſulti plerique omnes Papiniani auditores, Tarruntius Paternus, Macer, Terentius Clemens, Menander, Arcadius, Ruffinus, Papyrius Fronto, Anthius, Maximus, Hermogenianus, Africanus, Florētinus, Tryphoninus, Iuſtus, Calliſtratus, Venuleius, Celſus.

Interfecto Caracallæ ſucceſſit Macrinus, qui parum feliciter pugnans cum Artabano, Parthorum rege, quum legiones animaduerteret ad Heliogabalum Baſſiani filium inclinare, pacem fecit.

Alexander Seuerus, fœdiſſimi hominis Heliogabali ſucceſſor, vir ſtrenuus, Artaxerxem, Perſarum regem, ingenti prœlio vicit, Meſopotamiam recuperauit, deperditam ab Heliogabalo: per legatos in Mauritania, in Illyrico, in Armenia feliciter belligerauit: in Germanos deinde profectus, qui Galliam vaſtabāt, à quibuſdam ſuis militibus interfectus eſt. Huic erat familiaris admodum Vlpianus Iureconſultus, Papiniani diſcipulus. Vixerunt tunc etiam Paulus, & Pomponius, & Modeſtinus.

Alexandrum excepit Maximinus. Is totis viribus in Germaniam profectus, non ſolum Romano milite, ſed Mauris etiam, & Oſdroënis, & Parthis, quos Alexander habuerat, vſus eſt: Vicos Germaniæ longè latéque incendit, hoſtium vim magnam concîdit, ac multò plures cepit, militemque reduxit opulentum. Germania pacata, Sirmium venit, & Sarmatis bellum inferre cogitabat: nec id modo, ſed ipſius etiam erat propoſiti, regiones illas omnes, quæ ſunt ſub ſeptentrionibus, ad Oceanum vſque Romano ſubiicere Imperio: ſed offenſus crudelitate illius exercitus, Gordianum ſummæ rei præficit, eamque rem ſenatus, qui & ipſe Maximinum oderat, habuit ratam, & illum Reipublicæ hoſtem pronunciat. Hoc factum vindicaturus ille, habita

concione

concione ad exercitum, Romam contendit: quo cognito, ſenatus Pupienum, & Balbinum Imperatores declarat: & Pupieno quidem belli tradit adminiſtrationem aduerſus Maximinum, qui, Aquileiam obſidens, à ſuis militibus, vnà cum filio, quieſcens in tabernaculo fuit interfectus.

Poſt hæc, Pupieno & Balbino per ſeditionem militarem occiſis, quum biennio regnaſſent, ad Gordianum adoleſcentem, rerum ſumma delata fuit. Is quarto ſui Imperii anno per Mœſiam atque Thraciam in Perſas profectus eſt, in iiſque locis populi Romani hoſtes profligauit: inde per Syriam venit Antiochiam, quæ tum à Perſis tenebatur: illic frequentibus prœliis decertauit, & Saporem Perſarum regem eiecit, ita quidem, vt Perſæ, qui iam propè formidabiles erant Italię, ſuos intra fines recipere ſeſe cogerentur. Sexto demum imperii anno circumuentus à Philippo, prætorii præfecto, qui milites ad ſeditionẽ concitauerat, interfectus eſt.

Idem fuit etiam exitus Philippi, qui cõtra Scythas, Romanorum ſociis ac municipiis inferentes bellum, legatos cum exercitu miſit.

Hic ſucceſſorem habuit Decium, qui à legionibus Illyricis factus Cæſar, aſſentiente poſtea ſenatu, primùm Galliæ motus

compoſuit. deinde republica ſenatui commendata, profectionem vnà cum filio, imperii ſocio, de ſenatus voluntate, ſuſcipit in Scythas, qui terra marique Thraciam & alia imperi loca vaſtabant: & prœliis aliquot victor, hoſte in anguſtias locorum redacto, plenam victoriam reportaſſet, niſi Gallus Hoſtilianus, extremæ Mœſiæ præfectus, conſilium illius ad hoſtem enunciaſſet: quò factum eſt, vt, prœlio commiſſo, pater & filius ex inſidiis circumuenti interficerentur.

Gallus deinde, Cæſar factus à legione vna & militum reliquiis, qui ſuperſtites erant, pacem cum Scythis fecit, populo Romano turpe & ignominioſam quando tributum eis dependere promiſit, rem inauditam, & tanti nominis maieſtate prorſus indignam. Itaque ferociores facti Scythæ, rupto fœdere, populabantur Dardaniam, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam; nec id modo, ſed Aſiam quoque, vaſtatis & deletis quamplurimis vrbibus. Demum Scytharum exemplo multi alii facti ſunt Romanorum hoſtes, complures etiam rebellarunt. In Syriam penetrabant Parthi, & Armeniam occupabant fugato ipſorum rege Tyridate. Scythæ verò tam erant inſolentes, vt etiam Italiæ minarentur: & magna perfecturi videbantur, niſi Æmilianus,

Mœſiæ

Mœſiæ præfectus ad oram Sarmaticam, confirmato ſuo milite pollicitationibus & ſpe præmiorum illos fudiſſet, ac longiſſimè perſecutus, ipſorum quoque fines diripuiſſet. hac de cauſa Cæſar fuit ſalutatus à milite; Gallus autem eo cognito, profectus, vt obſiſteret, vnà cum filio Voluſiano, imperii ſocio, fuit interfectus. Hoc tempore Cyprianus floruit, Epiſcopus Carthaginenſis, cuius extant, inter alias multas, epiſtolæ quædam ad Lucium Epiſcopum Romanum, quem fratrem vocat, & collegam: multò autem plures ad Cornelium, vbi conqueritur, inter alia, de iis, qui propter delicta condemnati ab Africanis Epiſcopis, & ſacerdotio deiecti Romam confugerant, amplioris cognitionis cauſa. Nam æquum eſſe dicit, vt quo loco crimen eſt admiſſum, ibi cauſſa diſceptetur: ſingulis enim paſtoribus attributam eſſe portionem gregis, de qua ſint rationem reddituri domino: non ergò ſcindendam eſſe concordiam Epiſcoporum, neque deſpiciendum iudicium eorum, qui per Africam de cauſa iam ſtatuiſſent.

Interim exercitus alter, qui in Alpibus erat, Valerianũ, nobili genere natum, Cæſarẽ creat: quod cum Æmiliani milites audiſſent, ne turbis implicarentur, ſuum Cæſarem interficiunt, & ad Valeriani partes

tranſeunt. Æmilianus datis ad ſenatum literis, quum Imperator factus eſſet, promiſerat ſe liberaturum Thraciam, & Meſopotamiam ab hoſtibus, recuperaturum Armenias, & depulſurum vndique hoſtes Romani nominis. Valerianus in bellum Perſicum profectus, culpa cuiuſdam ſui ducis captus fuit à Sapore, Perſarum rege, quem vicini principes, atque populi confœderati hortabantur, fruſtrà tamen, vt captiuum dimitteret: hoc enim eſſe Romanorum fatum, vt victi multò fortius reſiſtant.

Capto Valeriano, ſucceſſit eius filius, Gallienus. Hic totum ſe voluptatibus dabat, neglecta Republica, ſic quidem, vt milites, qui paſſim per prouincias erant, nouos Imperatores ſibi deligerent, per Galliam, Hiſpaniam, Pannonias, Illyricum, Ægyptum, Africam ceteriſque in locis, qui tamen omnes partim ab illo, partim ciuilibus inter ipſos diſſidiis oppreſſi fuerunt. Ipſo regnante, Gothi Thraciam occupant, Macedoniam vaſtant, Theſſalonicam obſident: Scythæ in Bithyniam, & Cappadociam & Aſiam inuadunt, & ab Euxino Ponto in Iſtrum deuecti, Romanorũ municipiis vim faciũt. Eius verò tanta ſocordia fuit, vt cum de prouinciarũ defectionibus, & publicis calamitatib. audiret, ridiculè ſemper & contemptim reſponderet, quaſi Reſpublica

publica nihilominus conſiſtere, ſuamque dignitatem retinere poſſet, nec ideò facta ſit eius deterior conditio: contemptus igitur tam domi, quàm foris, ob dedecoroſum vitæ genus, Reipublicæ quamplurimos conciliauit hoſtes. ac Scythæ quidem, & Gothi, cumque his permixti quamplures alii populi erant tum in armis, ac in perniciem populi Romani coniurauerãt, circiter c c c x x. hominum millia: ſed hos omnes in Mœſia, multisque aliis in locis debellauit tandem Flauius Claudius, qui interfecto Gallieno ſucceſſerat, vir magnæ virtutis ac dignus longiori vita.

Poſt Claudium fuit Aurelianus, quoniam eius erat perſpecta virtus, quam regnante Claudio, multis locis in hoſtem declarauerat. Is per Inſubriam bella geſſit, & cum Marcomanis conflixit, dubiè quidem initiò & periculoſè, verùm feliciter tandem, poſtquam illius mandatu, libris inſpectis Sibyllinis religionem ſenatus procuraſſet: Romam inde profectus, & mulctatis nonnullis, ob ſeditionem excitatam ſe abſente, bellum ſuſcepit, vt, quæ ſunt ad orientem ſolem, & in Syria, prouincias recuperaret: quas Zenobia, fortis & animoſa fœmina, ſuorum liberorum tutrix, obtinebat, ab Odenato, coniuge ſibi relictas, qui Gallieno Cęſare, multa fortiter ac pręclarè

iis in locis geſſerat. Quacunque tranſiret Cæſar, hoſtes populi Romani fudit, in Illyrico, in Thracia ceteriſque in locis, ac demum in hoſtilem regionem vbi veniſſet, poſt variam, & periculi plenam dimicationem vicit, & reginam cepit, quæ Perſarum & Armeniorum auxiliis confiſa, fortiſſimè repugnauerat. Eius autem regionis, quam debellauerat, præcipua erat ciuitas Palmyra: quumque Cæſar ex Aſia rediiſſet in Europam, Palmyrani rebellarunt, occiſo duce, & militibus in præſidio collocatis. Reuerſus igitur eò, captã vrbẽ euertit, interfectis omnibus, ita quidẽ, vt nec ætati parceret vlli, neq; ſexui. Ægyptum deinde, quæ tum defecerat, recepit, & Gallias denuò Rom. ditionis fecit: pòſt Romæ triumphauit: inde per Illyricũ profectus, Perſis bellũ indixit: ſed in itinere à ſuis familiaribus eſt interfectus.

Ab eius interitu fuit interregnum aliquamdiu, quod poſt Romuli mortem acciderat nunquam. Tandẽ ſucceſſit Tacitus, qui paucorum menſium Imperator, nihil memorabile perfecit: hunc ſenatus orauerat, ne moriens liberos ſuos, verùm aliquẽ ſpectatæ virtutis ac probitatis virum, imperii ſucceſſorem faceret. Is fuit Probus, qui tam ab exercitu, quàm à ſenatu confirmatus Galliam recepit, & Francones Germanos,

manos, qui illam obtinebant, multis prœliis deuicit. In Illyrico Sarmatas aliasque gentes concîdit, & itinere facto per Thraciam, barbaros populos, Romani nominis terrore & rerum geſtarum magnitudine, ſibi deuinctos reddidit: Aſiam pacauit, & Parthorum regem ad petendam pacem ſola nominis ſui fama excitauit: pacem cum Perſis fecit, ac inde in Thraciam reuertit, & externos populos deuictos in Romanum ſolum tranſtulit: ex quibus aliqui fidem ſeruarunt, alii contra, quos tamen omneis magna ex parte pòſt oppreſſit. Et quum rebelliones per Galliam, Hiſpaniam atque Britanniam ſedaſſet, iter ingreſſus per Illyricum, vt Perſis bellum inferret, à ſuis inſidiosè fuit interfectus. Florebat tum Reſpublica, longè latéque pacatis vndique populis, ita quidem, vt Probus aliquando diceret, breui futurum, vt legionibus atq; præſidiis nihil eſſet opus: hoc illius dicto, milites offenſi, iudicabant è medio tollendum eſſe.

Poſt eum ſubiit Carus, qui Sarmatas, morte Probi factos inſolentiores, & Italiæ minitantes fregit, inque Perſas proficiſcens Meſopotamiam cepit, longiúsque profecturus interiit. Ex filiis natu minorem, Numerianum, militiæ ſecum habuit, alterum, Carinum Galliis præ-

fecerat. Numerianus à ſocero ſuo fuit occiſus, in eiusque locum venit Diocletianus: cum eo prœliis aliquot conflixit Carinus, adipiſcendi imperii cauſſa, ſed victus occubuit. Diocletianus, propter naſcentes non vno in loco turbas ac ſeditiones collegam ſibi ſumpſit Maximianum. Is Galliam commotam pacauit & Africam. Diocletianus autem Ægyptum, interfectis turbarum authoribus. Britanniam quoque decimo pòſt anno, quam defecerat, recepit: & vt firmior eſſet Reipublicæ ſtatus, neve propter ſucceſſionem noui motus excitarentur, Galerium adoptauit, Maximianus autem Conſtantinum Chlorum. Contra Narſem, Perſarum regem, miſſus à Diocletiano Galerius, infeliciter pugnauit, amiſſa maiore parte exercitus: ſed iuſſus redintegrare bellum, ingenti prœlio ſuperauit hoſtem, & longius, quàm quiuis alius Imperator, excepto Traiano, iis locis progreſſus, capta Cteſiphonte, totam Aſſyriam domuit, & quinque trans Tigrim flumen prouincias, quæ Traiano Cæſare, defecerant, recepit. Per Aſiam, rebus compoſitis, in Europam Diocletianus rediit, in qua pacati tum erãt Scythæ, Sarmatæ, Alani, Baſtarnæ, Carpi, Catti, Quadi. Poſtea tum ipſe, tum Maximianus, abdicato magiſtratu, ſuos conſortes, de quibus antè diximus, imperio præfi-

præficiunt, Conſtantium quidem Galliis, Britanniæ, Hiſpaniis, Italiæ, Africæ; Galerium autem Illyrico, Græciæ & Aſiæ. Hoc tempore Romæ fuit Epiſcopus Marcellus, cuius extat decretum, Epiſcopis non licere conuocare Synodum, abſque Romanæ ſedis authoritate, non licere item damnare vllum Epiſcopum, qui Romam prouocarit. Erat huius etiam, ſicut aliorum ante ipſum, afflicta tenuiſque fortuna, quum Cæſar eum perſequeretur Maxentius. Itaque facilè colligi poteſt, an in his anguſtiis atque latibulis tantùm ille ſibi ſumpſerit, vt eiuſmodi faceret decreta.

Conſtantio tandem Eboraci mortuo, Galerius adoptauit Seuerum & Maximianum. Interea milites prætoriani Maxentium Romæ ſalutant Cæſarem. Interfecto Seuero Maximianus imperii collegam aſſumpſit Licinium. Inter hos magni fuerunt motus, ideoque nobiles Romani Conſtantinum Conſtantii filium in Galliis agentē euocant, vt vrbem à tyrannide Maxentii liberaret. Ille cum parte copiarum in Italiam profectus commiſſo prœlio vincit, & tandem ad vrbem Romam exercitum Maxentii planè concidit. Tandem etiam cum Licinio bella geſſit, qui prœlio victus, & pleriſque omnibus exoſus, à militibus demum fuit interfectus. Eius belli cauſam

fuiſſe nonnulli ſcribunt, quòd Chriſtianæ profeſſionis homines acerbè Licinius perſequeretur, cum quidem perſæpè rogatus eſſet atque monitus à Conſtantino ne faceret. Nam inde à reſurrectione Chriſti ad hanc ætatem vſque per annos ferè trecentos, qui Chriſtum profitebantur, variè fuerunt afflicti. Nam vt illa prætermittam, quæ ſacra ſcriptura de Stephano, de Iacobo fratre Iohannis, de Petro captiuo, ſed per angelum liberato, commemorat, vt Paulum quoque taceam, qui & ipſe grauiter Eccleſiam Dei perſecutus eſt, & poſtea conuerſus, nullum non periculorum genus adiit propter Chriſtum: Romani quoque Cæſares horrendas & immanes excitarunt lanienas, Nero, Domitianus, Traianus, Septimius Seuerus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Maximianus. Rerum autem potitus Conſtantinus, & veram complexus religionem, portus extitit atque refugium Chriſtianis. Tunc primum etiam Epiſcopi Romani cœperunt eſſe in tuto: nam hucuſque plerique omnes fuerant affecti ſuppliciis.

Numerantur autem inde à Petro, quem ipſi primum fuiſſe volunt, ad hoc vſq; tempus triginta tres. Horum decreta ſunt in libros inſerta conciliorum: ſed ex iis pleraque

que tam ſunt leuicula, tam nugatoria, tam aliena prorſus à ſacris literis, vt credibile ſit, ab aliis longo pòſt tempore fuiſſe conficta. Sin autem vera ſunt, & ab illis emanarunt, tunc ſanè, quod vaticinando Paulus dicebat, filium illum perditum, hominemque peccati iam tum operari cœpiſſe myſterium iniquitatis, rectiſſimè videtur hanc etiam ad partem accommodari poſſe. Anacleto, qui ponitur quartus à Petro, tribuitur, & extat decretum, quo ſtatuit Eccleſiam Romanam eſſe mandatu & inſtitutione Chriſti, caput aliarum Eccleſiarum. Alteri poſt eum, Alexandro, decretum adſcribitur, quo mandat, vt aqua cum ſale conſecretur ad expurgandum populum & amoliendum inſidias Diaboli. Quæſo, quantum iſta differunt ab Apoſtolorum illa maieſtate, quantum autem à Iohannis Euangeliſtæ ſcriptis, qui propè ad hoc vſque tempus, ætatem produxit? Hæc duo poſui ſolùm, vt de reliquis iudicium fieri poſſit. nam ferè ſunt eius generis, & ambitionem apertè præ ſe ferunt, &, vt ſermo eſt illotus, ita quoque res ipſa nihil habet ſalis, quem in Eccleſiæ miniſtris Paulus requirit. Huc etiam pertinet illud Conſtantini Cæſaris Edictum, quod ſuis libris inſeruerunt, ipſorum potentiæ videlicet fundamentum atque robur. Nam

quæ ponitur ibi liberalitatis, illius immenſæ cauſſa & occaſio, falſi redargui poteſt ex hiſtoriis atque conuinci. Deinde, vt maximè fuerit Cæſar profuſus, vni ſibi fortaſſe potuit hoc ipſo ius ſuum imminuere: ſucceſſoribus autem, æquali poteſtate præditis, & reipublicæ tutoribus, non potuit. Nam qui ius & imperii vectigalia deteriora facit, patriæ pater appellari non debet, & par pari præſcribere non poteſt, aut præiudicare.

Conſtantini Cæſaris mandatu, Nicęæ vrbe Bithyniæ, fuit indictum & habitum concilium longè frequentiſſimum, in eoque dogma damnatum Arrii, qui Chriſtum negabat eiuſdem eſſe cum patre ſubſtantiæ. Non ex Europa tantùm & Aſia, ſed ex Ægypto etiam atque Libya conueniſſe eô ſcribuntur Epiſcopi. Decretum inter alia fuit, vt per Ægyptum, Libyam, Pentapolim vetus conſuetudo ſeruetur, nimirū vt hi omnes Alexandrino ſubſint Epiſcopo, quum Romanus etiam Epiſcopus hunc morem vſurpet & retineat: Item vt Antiochiæ ceterisque prouinciis & Eccleſiis, integra maneant ſua cuique priuilegia. Poſt hanc Synodum, Euſtathio quodam authore, natæ fuerūt opiniones prauæ, de vitando matrimonio, de nouo & inuſitato genere veſtitus, de non edendis carnibus, de relinquen-

linquendis poſſeſſionibus. Quum ergo plerique coniuges diuortium facerent, & ſerui, relictis dominis, ad nouum illum ac religioſum veſtitum, vti vocabant, confugerent: idem quoq; facerent mulieres, deſertis maritis: quum ii, qui carnibus veſcebantur, item Eccleſiæ miniſtri, qui duxerant vxores, vulgò deſpicerentur, tanquam impuri & ingrati Deo, Gangræ, oppido Paphlagoniæ, fuit habita Synodus, in eaque damnati, qui ſic docerent atque ſentirent. Salutatus ampliſſimè à ſenatu populoque Romano Conſtantinus, propter reſtitutam Reipublicæ pacem, ad externa bella totum ſeſe conuertit, multisque prœliis Gothos, atque Sarmatas vicit, Thraciam diripientes: deinde iam ætate grauis, bellum indixit Perſis, Meſopotamiam vaſtãtibus, & in Aſiam vbi veniſſet cum exercitu, ſumpto pharmaco, valetudinis curandæ cauſſâ, vitam finiit, non abſque veneni ſuſpicione. Hic ille eſt, qui cognomento dicitur Magnus, & qui Byzantium, vrbẽ Thraciæ, ſuo de nomine vocauit, eò translata ſede regia. Cœpit autem regnare ad annum à natali die Chriſti circiter trecenteſimum duodecimum. Cometes inuſitatæ magnitudinis mortem eius anteceſſiſſe dicitur.

Tres reliquit filios, Cõſtantinum, Conſtantium, Conſtantem: hos inter diuiſum

fuit imperii corpus: Conſtantino pars obtigit Alpium, Gallia, Hiſpania, Britannia, Orcades, Hibernia, Thyle: Conſtanti, Italia, Africa cum Inſulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, Peloponneſus, Græcia: Conſtantio Aſia & Thracia. Conſtantinus ea diuiſione non contentus, bellum intulit fratri Conſtanti: iamque peruenerat Aquileiam: ibi congreſſus cum copiis Conſtantis, amiſſo exercitu, confoditur. Conſtans, qui interea cum Getis & Sarmatis in Dacia belligerabat, poſt eam victoriam, de qua diximus, in Italiam venit, & ſuperatis Alpibus, in Galliam penetrauit, & biennio ditionem omnem mortui fratris obtinuit: ſed paullò pòſt inſidiis & fraude Magnentii fuit interfectus. Hunc Magnentium milites anteà deliniti ac præmiis allecti, ſalutarunt imperatorem. Ea re cognita, Conſtantius, ex tribus fratribus adhuc ſuperſtes, relicto per Aſiam legato patruele & ſororio ſuo Gallo, magnis cum copiis in Italiam, ac inde in Galliam accedit, & hoſtem ingenti prœlio vincit. Elapſus autem Magnentius, de pace legatos mittit, ſed reiectus à victore, denuò prœliatur & infeliciter quidem: itaque Lugdunum fugiens, quum ſuos etiam comites inſidiari ſibi videret, nec quô ſe reciperet, haberet, mortem ſibi conſciuit ipſe. Conſtantius deinde, Gal-

de, Gallum, patruelem, legatum ſuum per Aſiam, vt dictum eſt, abutentem imperio ac poteſtate, cum alia ratione ſanare non poſſet, interfici mandat: poſt in Aſiam redit, perfecturus bellum Perſicum, quod propter factionem Magnentii, vt ſupra diximus, intermiſerat. Et quoniam ſub hoc ipſum tempus, Germani facta impreſſione, Galliam vaſtabant, alterum ſuum patruelem, Iulianum, Galli fratrem adoptauit, & Galliæ tutelam illi commiſit. Iulianus feliciter adminiſtrata re, multisque prœliis victor, hoſtem trans Rhenum expulit, complures cepit, ac Romanos milites captiuos liberauit, & ad Argentoratum hoſtilem exercitum ferè totum concîdit, ideoque ſalutatus eſt ab exercitu non modo Cæſar, verùm etiam Auguſtus, & diademate ornatus, licèt inuitus, vti præ ſe ferebat. Nam litteris ad Conſtantium datis, inuidiam facti conabatur à ſe deriuare: ſed Conſtantius ea re plurimùm offenſus, omiſſo Perſico bello, vicinisque populis liberaliter & amicè compellatis, vt in fide perſiſterent, iter ingreſſus eſt, vt Iulianum ad officium reduceret: ſed in itinere, quum adhuc eſſet in Aſia, febri correptus, vitam finiit, Iuliano prius conſtituto ſucceſſore.

Regnante Iuliano, populi Rom. hoſtes

intra ſuos fines ſe cõtinebant,nec vllus erat vſpiam motus. Ipſe cõtra Perſas profectus & Aſſyriam populatus exercitu hoſtili profligato,Cteſiphõtem vſque peruenit: tandem reducturus copias, à tergo inuaditur ab hoſte: quumque medius verſaretur inter ſuos milites, accepto vulnere, paullò pòſt exceſſit è vita, Chriſtiani nominis hoſtis.

Milites,amiſſo duce,cùm in magnis verſarentur anguſtiis, Cæſarem faciunt Iouinianũ. Erat tum Epiſcopus Romanus Iulius,eius nominis primus.Epiſtolę eius quędam extant ad Epiſcopos Orientales, in quibus non ſemel inculcat, ſibi ſoli, qui ſit primæ ſedis, vt ait, præſul, ſingulari quodam priuilegio & ex præſcripto diuino ius competere conuocandi ſynodos generales. Mirum autem videri poſſit,qua fronte iſtud ſcribat, aut alii iactent, quum & ante ipſum, Conſtantinus, Nicænum, & poſt ipſum, annis omninò centum, Martianus Imperator, Chalcedonenſe coëgerit concilium. Ad ſe quoque ſolum,eius vrbis Antiſtitem, pertinere dicit, vt de cauſſis Epiſcoporum,& id genus aliis grauioribus negotiis cognoſcat. Hanc eius arrogantiam Epiſcopi illi ferre non poterant, & Antiochiæ congregati maſculè reſpondent, ſententiam ab ſe latam, retractari ab ipſo non oporte-

oportere, quòd eundẽ dignitatis gradum obtineant, quem ipſe: nam inde à ſuis finibus, Chriſti doctrinam, Apoſtolorum opera & miniſterio, Romam perueniſſe tandem: quòd ſi pergat & noua decreta faciat, non ſe parituros, & nihil ſibi fore commune cum ipſo, conſiliumque capturos eſſe, quemadmodum res ipſa poſtulabit. In alia quoque Synodo eius vrbis, multò frequentiori, quæ prius habita fuit, inter alia ſtatuunt, quod ſit Epiſcopi, quod officium Metropolitani, ſi quando grauiores cauſſæ diſceptentur. Nam ſi diſſentiant Epiſcopi, iubent, vt Metropolitanus è finitima prouincia quoſdam adhibeat iudices, litemq; definiat: ſin autem Epiſcopus aliquis de communi ſententia reliquorum Epiſcoporum ſit condemnatus ob crimen, firmum eſſe mandant iudicium, neque retractandum ab alio. Decernunt etiam, vt bona ſacra diſpenſet fideliter, & elargiatur Epiſcopus in vſus pauperum, & ipſe quoque, ſi ſit opus, deſumat ex illis, quod erit neceſſarium ad tolerandam vitam, quum Paulus dicat, victu & amictu nos oportere eſſe contentos: quòd ſi forſan in ſua ſuorumque priuata commoda, facultates illas auertat Epiſcopus, & ſuis propinquis eorum adminiſtrationem committat, ſynodo coërcendum eſſe dicunt. Iouinianus, imminente hoſte,

pacem demùm fecit ignominioſam Reipublicæ: nam prouincias illas quinque trans Tigrim, occupatas à Galerio, ſicut anteà diximus, ac ſimul Meſopotamiæ partem reddidit: deinde pactus fuit, populum Romanum non eſſe laturum opem Armeniæ regi, ſocio & amico. Progreſſus cum exercitu, vt domum rediret, in finibus Bithyniæ mortuus eſt.

Ilicò Cæſarem fecit exercitus Valentinianum, qui deinde, poſtquam Conſtantinopolim venit, imperii collegam ſibi ſumſit, fratrem ſuum, Valentem, eique regiones illas commendans, & profectus in Germaniam, Saxones Oceano vicinos domuit. In Galliam deinde poſtquam venit, ira concitatus periiſſe fertur. Erat per id tempus in Aſia frater ipſius Valens, alter Cæſar, vt Parthos Armeniam vaſtantes, & Perſarum regem, rupto fœdere, belligerantem coërceret: ſed cùm Huni ſiue Tartari & Scythæ Pannoniam, Epyrum, & Theſſaliam vaſtarēt, in Europam rediit, &, commiſſo prœlio victus, ac in fuga vulneratus, inque tugurium quoddam delatus, immiſſo ab hoſtibus igne, conflagrauit. Valentiniani Cæſaris atque Valentis edictum extat, quo mandatur, vt qui monaſticam vitam ſectantur atque ſolitudinem, eaque ra-

que ratione militiam & onera publica defugiunt, extrahantur è ſuis latibulis, & aut patriæ ſeruiant, aut omnibus aliis commoditatibus careant, quæ poſt conferantur in eos, qui laborem & periculum pro Republica ſuſtinent. Hoſtes deinde circumſeſsâ Conſtantinopoli, quum donis atque pecuniis eſſent ab Imperatore placati, diſceſſerunt.

Valentinianus Cæſar, pacatâ Saxoniâ, filium ſuum Gratianum cooptarat collegam. Cùm ergò tam pater, quàm patruus Valens, mortem obiiſſent, Gratianus vtrique ſuccedit. quumque variis turbarum fluctibus agitaretur reſpublica, Theodoſium belli ducem inſignem allegit, & ad ſolem orientem miſit. Is ad Conſtantinopolim Hunos fudit atque Gothos, & Thraciæ finibus eiecit. Gratianus deinde à quodã ſuo belli duce, Maximo, affectante imperium per inſidias fuit in Galliis interfectus. Præceptorem habuit in literis Auſonium Burdegalenſem, cuius extant poëmata quædam, eumque tandem ad conſularem dignitatem Romæ perduxit. Eodem propè fato, filius eius Valentinianus occubuit etiam, fraude ſui familiaris Arbogaſti. Sed non tulerunt impunè percuſſores: nam cæſi poſtea fuerunt vterque à Theodoſio Cæſare, & Maximus quidem

captus, Aquileiæ fuit interfectus, alter verò mortem ſibi conſciuit ipſe.

Deletis ergò tyrannis, Theodoſius rerum potitus, imperii ſocios conſtituit filios, Honorium & Arcadium: &, quoniam ætate minores erant, duces, ac veluti moderatores illis attribuit, Arcadio Rufinum, Honorio Stiliconem: neque multò pòſt vitam finiit. Ipſo iubente, Conſtantinopoli fuit habita Synodus, damnatumque in ea Macedonii dogma, diuinitatem Spiritui S. derogantis. Qui fuerunt ibi patres, ad centum quinquaginta, ſicut traditur, inſtituerunt Epiſcopos, tum ibi, tum Antiochiæ, quam vocant ſeniorem & verè Catholicam Eccleſiam, tum Hieroſolymæ, quam Eccleſiarum omnium matrem eſſe dicunt, & hæc quidem acta ſua perſcribunt ad Damaſum Epiſcopum Romanum, qui conatus fuerat eos euocare Romam. Damaſo fuit familiaris Hieronymus, quum eſſet iuuenis. Eius eſt dictum illud memorabile: Vbicunque Epiſcopus fuerit, ſiue Romæ, ſiue Eugubii, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegii, ſiue Alexandriæ, eiuſdem meriti eſt atque ſacerdotii. Theodoſius magnâ fuiſſe pietate fertur, & ab Epiſcopo Mediolanenſi Ambroſio reprehenſus, adituq; templi prohibitus, patienter tulit. Arcadius ad orientem ſolem Conſtantinopoli præerat:

Hono-

Honorius autem Romæ: ſed Rufinus, vt imperium ad ſe transferret, Gothorum regem clam hortabatur, vt Arcadio bellum faceret: intellecta perfidia, Rufinus à militibus trucidatur. Arcadium Cæſarem, Innocentius, eius nominis primus, Epiſcopus Romanus excõmunicauit, quòd conſenſerat, vt Iohannes Chryſoſtomus ab Eccleſia ſua pelleretur, ſicut in iure Pontificio refertur. Floruit tunc etiam Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus, qui concilio Carthaginenſi tertio interfuit, & quarto: vbi decretum inter alia fuit;

Vt Epiſcopus non longè ab Eccleſia ſuum hoſpitiolũ, item, vt vilem ſupellectilé, & menſam & victum pauperem habeat, & fide vitæque integritate ſibi paret authoritatem, vt rebus Eccleſiæ, tanquam commendatis, non tanquam propriis vtatur. Auguſtino quoque ſcripſit Innocentius primus, & Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, & cohortatus ad mutuas precationes, germanos vocat & conſacerdotes. Ab Innocentio fuit Zozimus, qui patrũ, & antiquitatis decreta laudãs, ne Romanæ quidẽ ſedi, ſicut vocãt, licere dicit, vt in iis aliquid mutet, aut contra ſtatuat. Morem quoque ſui temporis inſectatur & corrigit, quod plerique nullis imbuti literis ad ſacerdotalem ordinem aſpirabant. Zozimum exce-

pit Bonifacius primus. Erat tunc Carthagine concilium ſextum valdè frequens, cui & Auguſtinus interfuit. Eò miſſis legatis, Bonifacius oſtendit, Synodum Nicænam ſedi Romanæ tribuiſſe ius illud, vt ad ipſam ex omnibus prouinciis vndiq; prouocaretur: petit igitur à patribus, vt hoc ipſi quoque ſanciant & confirment. Illi reſpondent, nihil eiuſmodi fuiſſe Nicææ decretum, quod quidem ipſi ſciant: veruntamen, vt certò res inueſtigari poſſet atque ſciri, placuit ab Alexandrina & Conſtantinopolitana Eccleſia petendum eſſe verum eius Synodi exemplar. Eo tandem allato, deprehenſum eſt planè contrarium fuiſſe ſtatutum, hoc videlicet, vt de ſuis cauſis quæque prouincia cognoſceret, & ab Epiſcopis ad Synodum prouinciæ, vel etiam ad Oecumenicum, vti vocant, concilium prouocaretur. Erat tum Alexandrinus Epiſcopus, Cyrillus. Antequam exemplar veniret, mortuus erat Bonifacius: quumque ſucceſſor eius Celeſtinus idem vrgeret, reſponſum tulit iuxta formulam decreti.

Mortuo Arcadio, ſucceſſit filius Theodoſius II. quo regnante, & iubente, Epheſina fuit habita Synodus, in eaque damnatus Neſtorius, qui Chriſtum, natum eſſe Deum ex Maria virgine, negabat, Auguſtinus tunc è vita diſceſſit. Ab altera

tera parte Stilico, tutor Honorii, perfidiosè rem etiam egit, vti Rufinus. Et quum in Gallia domiciliũ ſedemq; Gothis tribuiſſet: commouit illos, vt in Italiam ingreſſi, duce Alarico Romam caperent, quod fuit anno conditæ vrbis MCLXII, poſt Chriſtũ verò natũ CCCCXII. Romæ paucis diebus Gothi commorati, quum Rhegiũ veniſſent populabundi, ac in Siciliã traiicerent; naufragium fecerunt, extincto etiã rege. Cum deinde multa Stilico nequiter faceret & inſidiosè, quò ſuum ad filiũ Eucherium imperii ſummã transferret, intellecta fraude captus & Honorii iuſſu fuit interfectus. Alarico rege mortuo, Gothi regẽ ſibi ſumſerunt Adolphũ, eius propinquum, eóque duce Romã redeunt, & quod reliquum erat, abſumũt. Eo interfecto, regnauit Genſericus, & hoc ſublato, Wallis, cũ quo Cõſtantinus, Honorii per Gallias legatus & ſororius, ac deinde imperii ſocius, amicitiã & fœdus iniit conceſſa illi Aquitania, Galliæ parte, quã inhabitaret. Vexabant tum Britanniã Scoti & Picti, verùm auxiliis, ab Honorio Cæſare miſſis, profligati fuerunt. Per Hiſpaniam quoque Wandali & Alani, Genſerico duce, graſſabantur.

Honorio tandẽ Romę mortuo ſucceſſit ad occidentẽ ſolem atq; Romæ, Valẽtinianus, ſororis filius: quum interim Theodo-

ſius Arcadii filius, vt ſupra diximus, alteram mundi plagam Conſtantinopoli gubernaret. Ad hoc tempus Wandali & Alani diſſidiis & factionibus Romanorum ducum, qui per Africam erant, inuitati, penetrarũt ex Hiſpaniis in Africam, ferroque regionem atque flamma vaſtabant. Ab ea clade pars quædam Africæ fuit illis ad habitandum attributa. Gothi qui Galliam Aquitaniã incolebant, Honorii Cæſaris voluntate atque permiſſu, vt paullò ante diximus, nõ contenti ſuis finibus vim & iniuriam inferebant vicinis, & Narbonem obſidione fatigabant: ſed miſſus eò cum copiis Litorius oppidum obſidione liberauit, annonam intulit, & commiſſo prœlio feliciter primò pugnabat: pòſt autem toto ferè exercitu deleto, captus eſt: tantaque fuit ea clades, vt populus Romanus pacem orare cogeretur. Wandalorum etiam rex Genſericus, pace violata, quam cum Romanis in Africa fecerat, vt anteà diximus, Carthaginem ex improuiſo capit, ac multa crudeliter ibi facit: quę quidem ciuitas per annos quingentos octoginta quinque populi Romani tũ fuerat. Occupata Carthagine in Siciliam traiicit, magniſque cladibus eam afficit. Tum demum inſtructa claſſe Theodoſius Imperator bellum in Wandalos mouebat: ſed quum eodem tempore Huni Thraciam

ciam & Illyricum vaſtarent, exercitus è Sicilia fuit ad ea loca propugnanda reuocatus. Faciebant tunc denuò impreſſionem in Britanniam Picti atq; Scoti: quumque de Romanorum auxiliis Britanni deſperarent, ab Anglis populo Saxoniç opem petunt: ſed hi puchritudine regionis allecti, quum paulatim maioribus copiis eò adnauigaſſent, maximam Inſulæ partem ſuæ ditionis fecerunt, Britannis oppreſſis. Non multò pòſt Conſtantinopoli mortuus eſt Theodoſius II. eo regnante, ſolis deliquium fuiſſe traditur, & apparuiſſe cometa, inde ab Idibus ferè Iuliis ad menſem vſque Septembrem.

Theodoſio ad orientem ſolem ſucceſſit Martianus. De Genſerico Wandalorum rege, ſuprà diximus: cum eo pacem facit Valentinianus, diuiſa inter ipſos Africa. Circiter hoc tempus Athila Rex Hunorum, qui Dacia & Pannonia occupata, vicinas regiones, Macedoniam, Myſiam, Thraciam crudeliſſimè vaſtabat, ad occupandam Imperii Romani partẽ, quæ eſt ad occidentem ſolem, animum adiecit. Et quoniam eius belli ſummã fore difficultatem videbat, ſiquidem Gothi, qui tum pacem cum Romanis colebant & Galliæ partem inhabitabant, vt ſupra dictum eſt, auxilia Romanis ferrent, idcircò miſſis legatis

amicitiam eorum atque fœdus expetebat: verùm Aëtius, Valentiniani Cæſaris legatus, huic rei præuertit: &, cum Theodorico, Gothorum rege, firmato fœdere, totum ſe comparabat ad bellum. Athila nihilo ſecius progreditur: fit prœlium longè maximum, in campis Catalaunicis, quæ quidem Galliæ pars, propter ingentem planiciem, hodiè vocatur Campania. Cecidiſſe in eo prœlio feruntur CLXXX. hominum millia: in his etiam Gothorum rex Theodoricus occubuit. Victus autem Athila, ſeipſum interficere cogitabat, ne viuus in poteſtatem hoſtis veniret: ſed cum Theodorici regis filius Aëtii ducis conſilium ſequutus, cum ſuis copiis domum rediret, vt mortuo parenti ſuccederet, Athila colligendi ſui ſpacium adeptus, in Pannoniam redit, & nouis collectis copiis, iræ plenus, Italiam ingreditur: Aquileiam vrbem obſidione diuturna fatigatam demum expugnat, diripit, incendit: inde Concordiam, Patauium, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, & Papiam capit: poſtea graſſatus per Flaminiam, caſtra tandem facit ad Mincii confluentem atque Padi. Quo quidem in loco, quum deliberaret an Romam iturus eſſet cum exercitu, Leo venit ad ipſum, vrbis Romæ Epiſcopus, eius nominis primus, idque perfecit, vt,

mutata voluntate, non ſolùm non Romam peteret, verùm etiam, Italia omni relicta, rediret in Pannoniam, vbi non multò pòſt vitam finiit. Hic eſt Leo ille, cuius exſtant Epiſtolæ complures ad Theodoſium II. & Martianum Impp. in quibus partim excuſat, quamobrem ad conſilia venire non poſſit, ab illis indicta, & deprecatur, ne moleſtè ferant, quòd legatos eò mittat: partim etiam orat, vt in Italia potius, quàm in Aſia concilii locum deſignent: ſed nihil impetrauit. Dum per Italiam ita ſæuiret Athila, Venatorũ vrbs condita fuit, quando ex vicinis locis plerique potentiores in illa maris æſtuaria, & inſulas, tumulosque velut in portum aliquem, ſeſe receperunt. Humile fuit igitur ac propè deſperatum & calamitoſum huius vrbis initium, & nunc in tantam, vti videmus, amplitudinem excreuit. Octoginta quinque numerantur illorum duces, ad hoc vſque tempus: ex iis primus fuit Paulus Anazatus, anno ſalutis ſeptingenteſimo ſexto, quum ante ducentos quinquaginta duos annos vrbs ædificari cœpta fuiſſet.

Interfecto poſtea Valentiniano, Wandalorum rex Genſericus, claſſe deuectus in Italiam ex Africa, cum exercitu longè maximo, & adiutus à Mauris, Romam

contendit, & vrbem propè deſertam ab omnibus capit: ſed exoratus à Leone Epiſcopo, qui & Athilam placauerat, vti diximus, ab incendiis abſtinuit atque cæde. Direpta vrbe, captiui maximo numero Carthaginem deportati ſunt. Hoſtes deinde Campaniam magnis calamitatibus afficiunt, Capuam, Nolam, Neapolim aliasque ciuitates euertunt: ſuperſtites à cæde coniiciunt in catenas, & opibus Italiæ facti diuites in Africam reuertuntur.

Martianus ad Orientem ſolem Imperator, pacem coluit, naturâ quietus: ac dicere ſolebat, quamdiu pacatè viuere liceret, non eſſe principi decorum, vt arma ſumat. Ipſo regnante, & iubente Chalcedone fuit coactum concilium ampliſſimum & damnatus Eutyches, duas naturas in Chriſto confundens. Ibi decretum inter alia fuit, ne quis clericus, vti vocant, in duarum ciuitatum Eccleſiis recipiatur. Non erat nota tunc temporis illa, quæ dicitur, pluralitas beneficiorum, quæ nunc ſic inoleuit, vt nihil ſit ea frequentius. Et noſtra quidem ferè memoria, conſuetudo illa, inter alias Eccleſiæ maculas obrepſit, vt vni duos attribueret Pontifex Epiſcopatus. Quod ſi iam eum, qui ſuperiori proxima ætate fuit, hac in parte, morem reſtitueret, officium ſuum faceret: ſed quoniam id ferre non po-

teſt,

teſt, an putamus vmquam eſſe permiſſurum, vt iuxta ſacras litteras, & Apoſtolorum, atque primi temporis decreta, res emendentur? Nimirum fruſtra laborant, qui facta Paparum ad antiquæ religionis rationem exquirunt.

Imperii anno ſeptimo, Martianus mortuus eſt, eique Leo ſucceſſit: Romæ autem & ad ſolem occidentem, vbi Roma capta, Genſericus in Africam reuertiſſet, Valentiniano ſucceſſit Auitus, deinde Maiorianus, poſtea Seuerus, ab hoc Anthemius, pòſt alii parum celebres, qui mutuis lanienis & inſidiis interierunt, neque diu regnarunt, adeò quidem, vt iam altera pars Imperii Romani, verſus occidentem ſolem valdè eſſet afflicta. De Leone Cæſare nihil memorabile proditum eſt, niſi quod cum Gothis, Illyricum vaſtantibus, amicitiam atque fœdus iniit. Exſtant ad ipſum quoque Leonis Epiſcopi Romani vna & altera Epiſtola. Succeſſorem habuit Zenonem Iſauricum. Inter eos, qui Romæ præfuerunt, à morte Valentiniani, fuit etiam Auguſtulus quidam.

Ad hoc tempus, Odoacer, cum ingenti manu Herulorum & Scirorum, ex Pannonia in Italiam inuadit: Oreſtem, patricium Romanum, qui Papiam cum ſuis copiis ſeſe receperat, capit & occidit, oppidum di-

ripit & incendit: progreſſus, omnem regionem vsq; Romã occupat. Auguſtulus, animo fractus, Imperium ſponte deponit: Odoacer vrbem ingreditur, & Italiæ regnum adeptus; per annos XIV. nullo reſiſtente, præfuit. Tunc demum Theodoricus Oſtrogothorũ rex, miſſus à Zenone Imperatore, & Conſtantinopoli profectus Gepidas & Bulgaros reſiſtentes vincit: deinde per Myſiam, & Pannoniam iter faciens, in Italiam accedit, & non procul ab Aquileia caſtra ponit: quo poſtquam & Odoacer veniſſet, ſummis copiis dimicatur. Victus Odoacer in fugam coniicitur: ſed recollectis copiis denuo prœliatur non procul à Verona, iterumque victus, & quamplurimis deſideratis, qui partim in conflictu, partim in Atheſi flumine perierant, Romam fugiens contendit. Illinc excluſus, vaſtato circum agro, Rauennam venit, ibi per triennium ferè circumſeſſus, ac deditione tandem captus, interficitur. Theodoricus, Odoacro ſublato, factus Italię Dominus, Romam venit, ibique concilium habuit vnum & alterum Epiſcoporum, quos ex diuerſis Italiæ prouinciis eô conuocauerat, vt de Symmachi cauſa cognoſcerent, Epiſcopi Romani, quem plerique repudiabant, vt indignum & vitio creatum. Theodoricus hic fuit Arianus, vt quidem

dem pontificiorum libri dicunt. Eſt autem ille, qui cognomine dicitur Veronenſis, Theodorici illius, qui in prœlio cõtra Hunnorum regẽ Athilam occubuit, vt ſupra dictũ eſt, propinquus. Odoacer erat Rugus, qui eſt ad mare Balthicum, Germaniæ populus. Theodoricus, muniendi ſui cauſſa Wandalorum, Viſigothorum, & Burgundionum reges per affinitatem ſibi conciliauit. Dum hæc in Italia geruntur, magni fuerunt motus per Thraciam, Africam, Britanniam, in qua ſuperiores tandem extiterunt Saxones.

Zenoni mortuo Conſtantinopoli, ſuccedit Anaſtaſius. Is nonnullos fouebat, qui dogma probabant Eutychianum: ideoque diſſidium ei fit cum Epiſcopo Romano Gelaſio, qui litteris prolixis eum dehortatur, vt quidẽ ipſorum habent libri, ne tutelam eorum ſuſcipiat: duo enim eſſe præcipuè, quibus hic mundus gubernetur, ſacram pontificum authoritatem, & poteſtatem regalẽ: & ſacerdotibus quidem eo plus oneris incumbere, quòd aliorum etiam nomine, Deo ſint aliquando reddituri rationem: ipſum quidẽ ciuili prę eſſe politię; ſed tamen ſubiici ſacrorum miniſtris, & ab eorum pendere iudicio: cumq; ſacerdotes legibus politicis obtẽperent, æquum eſſe, vt ipſe viciſſim non recuſet ea, quæ rerum

diuinarum antiſtites decernunt: & quum hic honos omnibus Eccleſiæ miniſtris debeat impendi, rem ipſam poſtulare, vt ei cum primis deferatur, quem & ſua voce Deus, & Eccleſiæ deinde conſenſus toti ſacerdotum ordini voluit præeſſe: deſiſtat igitur, & in hac vita deprecatorem ſe potius audiat, quàm in altera ſentiat accuſatorem. Subiungitur poſtea decretum eius de ſacris Bibliis, in eoque ſedi Romanæ, quam vocant, tribuit principatum, pòſt Alexandriæ tertium locum dat Antiochiæ. Regnante Anaſtaſio, turbæ fuerunt & bellici motus per Ciliciam; ſed ſedati, oppreſſo authore. Huni tum etiam vaſtabant Armeniam & Cappadociam, Getæ verò Macedoniam, Theſſaliam, Epirum: vtroſque Cæſar coactus eſt præmiis & maximis iacturis placare. Hoc ferè tempore, quod erat anno ſalutis quingenteſimo, rex Francorum Clodoueus, Chriſti religionem primus fuit amplexus, quum ſæpè multumque fuiſſet ab vxore, quæ familiæ Burgundicæ erat, ſolicitatus, vt id faceret, relictis idolis atque ſuperſtitione. Concilium exſtat Aurelianenſe, triginta trium Epiſcoporum Gallorum, habitum, ipſo regnante: quo ſtatuitur inter alia, ſi raptor virginis confugerit ad templum, etiamſi vim puellæ fecerit, ne mortis adeat diſcrimen, ſed vel ſer-

vel ſeruili ſit condicione, vel ab ea ſeſe redimat. Anaſtaſiũ, fulmine extinctũ, vel, vt ius pontificium ait, emiſſis inteſtinis exanimatum, Iuſtinus excepit obſcuro genere natus, & è ſubulco factus miles, vti ſcribitur. Diſſidium huic erat cum Theodorico, Gothorũ rege, Italiæ domino, propter diuerſam religionem: ſed ab armis tamen temperatum fuit. Mortuo deinde Theodorico ſucceſſit Alaricus, è filio nepos, magna Gothorum alacritate atque ſtudio. Erat tum Epiſcopus Romæ, Iohannes, eius nominis primus, hic à Theodorico rege, quem diximus, Cõſtantinopolim fuit miſſus legatus cum aliis, & exceptus honorificentiſſimè, ſicut ipſorum habent libri, non à populo tantùm, ſed ab ipſo quoque Cæſare. Nam ſumma lætitia fuiſſe dicunt affectos, quòd beati Petri vicariũ, vti loquuntur, nunc demum Græciæ contingeret videre, & ſuſcipere, quod inde à Conſtantini Magni tempore, & à Syluestro datum ipſis non fuiſſet. Illud autem de Syluestro mirum eſt cur dicant, quum Græciam non adierit, vti conſtat: nam tunc, quum inprimis oportuit & opus erat, nimirum in Synodo Nicæna, non ſe commouit, ſed legatos eò miſit Victorem, atque Vincentium: & alteram ipſe poſt habuit Romæ, ſicuti tradunt, qua concilii Nicæni decreta con-

firmat. Extat etiam Iohannis primi, ad Epiſcopos Italiæ conſolatoria quædã Epiſtola, quâ monet eos, quanquã rex Theodoricus, hæreſi pollutus Arriana, vaſtitatem ipſis & toti minitetur Italiæ, ne tamen ab inſtituto deſiſtant, ſed fortiter agant. Poſt Iuſtinũ, factus eſt Imperator Iuſtinianus, ſororis Iuſtini filius. Is ad reſtaurandã Remp. animũ adiecit, & initio quidẽ toti adminiſtrationi Beliſariũ pręfecit. Is Perſas, egreſſos extra fines, ac Romanorum ditioni vim adferẽtes, magnis prœliis vicit, Illyricũ à Gepidis & Bulgaris vaſtatũ, liberat: Parthos belligerantes ad amicitiã adducit: Wandalorũ maximas copias in Africa fundit: regẽ capit: Carthaginẽ recuperat: inde tranſgreſſus in Siciliã, accepto nuncio de rebellione per Africã, eò reuerſus feliciter rẽ gerit. Tunc demũ in Italiã profectus, Neapolim occupat, diripit, Gothosq; fundit, quorũ rex tũ erat Theodatus. Poſtea Romã venit, amanter ab omnibus exceptus & honorificè: illinc digreſſus, oppida paſſim & munitiones occupat, & in his Peruſiã: pòſt obſidet Rauennã: ibi cõgreſſus cũ eo Vitiges Gothorũ rex, amiſſo exercitu capitur, Cõſtantinopolim ductus à Beliſario. Gothi, redintegratis viribus, in regione Tranſpadana regẽ ſibi ſumũt Hildebrandũ. Huic ſucceſſit vnus & alter, ac deinde Totilas. Is abſente Beliſario, per totã Italiã graſſatus, Romã obſeſſam capit, diripit, incendít. Itaq; reuocatus Beliſarius, cõfecto bello Parthorũ, qui Syriã denuò vaſtabãt, reuertitur in Italiã, & vrbẽ propè deſertã recreat. Inde cũ hoſte cõgreſſus feliciter prœliatur, & annonæ cauſſa, nauigãs in Siciliã, à Iuſtiniano reuocatur, quæ quidẽ res occaſionẽ To-
Digitized by Google

tilæ præbuit, vt, reſtauratis viribus, Romã rediret. Cæſar deinde Narſetẽ Eunuchũ Italico bello præficit, qui Gothos omni expulit Italia: quod eò facilius fuit, quũ Totilã regẽ ex vulnere mortuũ illi amiſiſſent. Bellũ illud Gothicũ, in annos XVIII. fuit productũ. Iuſtinianus ergò, recuperata Italia & Africa, quũ ex filia nepotem Iuſtinũ imperii ſociũ aſſumpſiſſet, mortẽ obiit. Sunt qui ſocordis ingenii principẽ, & vxoris imperio Theodorę ſubiectũ fuiſſe tradũt. Erat apud eũ in ſumma gratia Tribon. IC^tus, qui, veterũ ſcriptis ac diſputationib. abolitis, legũ cẽtones ex illis collegit, & fragmẽta nobis tãtùm reliquit, quæ nũc Pandectarũ nomine cẽſentur. Eius autẽ operis quoſdã habuit adiutores, qui paſſim nominãtur. Idẽ poſtea fecit in principũ reſcriptis atq; legibus, quas tribus libris cõprehenſis, Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano, cõtraxit in vnũ volumẽ, & Iuſtinianeũ codicẽ vocat, vſus aliorũ opera, quos in eius libri prefatione Cęſar enumerat. Sunt authores, qui Tribonianũ fuiſſe hominẽ auarũ, & precio fixiſſe leges, vt ille ait, ac refixiſſe tradũt. In eo, quẽ diximus, Codice, quamplurimę ſunt Iuſtiniani leges, quæ ſuperioribus derogãt: acceſſit etiã opus peculiare, Nouellarũ cõſtitutionũ, quod per omnia Iuſtin. nomẽ atq; titulũ habet. Eum, quẽ dixi, Beliſariũ quo duce tot tamq; glorioſas conſecutus erat victorias, ignominioſiſs. tractauit Cæſar, & valdè ſenẽ excœcauit etiã. Ipſo regnante, Cõſtantinopoli fuerũt aliquot habitę Synodi, quibus Menna prǽerat, eius vrbis Patriarcha, qui ſanctiſſ. & beatiſſ. vocatur & œcumenicus, vt ipſorũ habẽt libri. Initio codicis Epi-

ſtola ponitur Cæſaris ad Iohannem Archi-
epiſcopum vrbis Romæ, quâ caput ipſum
vocat omnium Eccleſiarum, eique ſubiicit
omnia. Porrò, quamquam homines docti
commentitiam eſſe iudicant, tamē, etiam-
ſi vera eſſet, certum eſt, cōtrouerſiam illam
duraſſe multis poſt annis, donec tandem E-
piſcopi Romani, facultatibus amplificati,
peruincerent, & in Eccleſiæ poſſeſſione ſibi
conſtituerent arcem, quæ manibus homi-
num exædificata ſeu fauore principum,
nunc titulum habet, quaſi diuinitus eò ſit
collocata. Diximus antea, quemadmodum
Auguſtini tempore ſextum fuit habitum
Carthagine concilium, in eoque fraus de-
prehenſa Paparum, Bonifacii primi & Ce-
leſtini, quando Nicææ conſtitutum fuiſſe
dicebant, vt ad ipſos ex omnibus vndique
locis prouocaretur. Iuſtiniani verò tempo-
re Romæ erat Epiſcopus, Bonifacius II.
Huius extat Epiſtola, quâ grauiter taxat
Aurelium, qui ſuperiori concilio, Cartha-
ginis fuerat Epiſcopus, eumque cum ſuis
collegis impugnaſſe Romanam Eccleſiam
ait, inſtigante Diabolo: ſimul Deo gratias
agit, quòd huius temporis Epiſcopus Eu-
lalius, Aurelii ſucceſſor cum Eccleſia Ro-
mana redierit in gratiam. Deinde ſcriptum
Eulalii recitat, quo profitetur ille, ſe da-
mnare ſuos maiores & ſucceſſores, quicun-
que ſan-

que ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ priuilegia labefactare conantur. Alter à Bonifacio, Agapetus, Anthemium Patriarcham Conſtantinopolitanum loco remouit, negantem duas naturas in Chriſto: tulit hoc in primis ægrè Theodora, Cæſaris vxor, & Syluerium Agapeti ſucceſſorem monuit per Beliſarium, vt illum reſtitueret: quum etiam aliæ quædam criminationes accederent, Beliſarius eum loco deiicit, & in exilium mittit, ſubrogato Vigilio: ſed quum & iſte Conſtantinopolim euocatus, Anthemium nollet reuocare, conſimili pœna fuit mulctatus: vnde ſatis apparet, quomodo in Cæſarum tunc poteſtate fuerint vrbis Romæ Epiſcopi.

Iuſtino II. Cæſare, renouatum eſt bellum Perſicum, quod quum primum feliciter gereretur, Cæſaris legatus, Archelaus, pacem denuò fecit. Narſes, Cæſaris per Italiam legatus, expulſis Gothis, & mortuo Totila, per annos XVI. obtinuit Italiam: pòſt reuocatus à Cæſare, quum parum lætas accepiſſet literas, & ingratitudinem in iis deprehenderet, nõ ſolùm non reuertit, verùm etiam vlciſcendi ſui cauſſa miſſis legatis, Langobardos, qui tunc in Pannonia conſederant, maximis propoſitis emolumentis, excitauit, vt Pannonia relicta, in Italiam venirent, omnium regionum & pul-

cherrimam&fructuoſiſſimam.Itaque partem illam Italiæ, quæ nomen ab ipſis ad hoc vſque tempus retinet, occuparunt. Iuſtinus hic per Italiam inſtituiſſe ſcribitur magiſtratum, Exarchum: is erat tanquam Cæſaris vicarius,atque legatus: Rauennæ potiſſimum habitabat, neglecta Roma, ſingulisque ciuitatibus & oppidis vnum aliquem præficiebat.Itali ſcriptores nouum hoc inſtitutum,Romę acItaliæ fuiſſe tradunt exitiale. Narſes deinde Romæ mortuus eſt.

Iuſtini ſucceſſor fuit Tiberius, iam antè cooptatus,& imperii factus collega. Is cōtra Perſas bis feliciter pugnauit: pacē cum Longobardis fecit,qui tum,inde à Samnitibus, ad Alpes vſque regnabant, excepta tantùm vrbeRoma,quam vbi grauiter obſediſſent aliquamdiu,vi tempeſtatis & imbrium coacti,tandem caſtra mouerunt.

Tiberii gener, Mauritius factus Cæſar, per legatos prœliis aliquot fudit Perſas,ac demum pacem cum iis fecit: reuocato exercitu Scythas expulit è Myſia:Longobardos per Italiam repreſſit: Hunos è Pannoniis eiecit: propter auaritiam exoſus militi, coactus eſt, orta ſeditione, profugere Chalcedonem. ibi tandem cum vxore, & liberis, omnique ſtirpe fuit interfectus à Phoca centurione,qui per ſeditionem deinde

inde ſalutatus eſt Imperator. Mauritio regnante, cometa, ſenis menſibus apparuiſſe: tunc etiam natus eſſe traditur Mahometus, de quo paullò pòſt dicetur. Eo tempore Conſtantinopolitanus Epiſcopus Iohannes, vniuerſalem ſe vocabat Patriarcham: Pelagius verò ſecundus, Epiſcopus Romanus, vehementer obſtitit, eiusq; decreta pronunciauit irrita. Qui ſucceſſit huic, Gregorius primus, grauiter hoc ipsũ in illo reprehendit, & in concilio Chalcedonenſi, titulum hunc atque honorem ſuis maioribus attributum quidem fuiſſe, verùm ex ipſis neminem vſurpaſſe dicit. Datis etiam litteris ad Mauritium Imp. hortatur vt illum coërceat: nam ad ipſius authoritatem hoc quoque pertinere, quam ille, dum talem ſibi poteſtatem ſumit, multum imminuat. Alter autem poſt Gregorium Bonifacius tertius, à Phoca ſcribitur obtinuiſſe primatum, diuulgatis in eam rem edictis atque diplomatis.

Phoca rerum potiunte, Perſæ magnis incommodis Remp. affecerunt, occupata Meſopotamia & Aſſyria, & in minorem Aſiam vsq; progreſſi: tanta erat principis ignauia: ſed & Germania, Gallia, Hiſpania, bonaq; pars Italiæ defecerunt. Ægyptum vaſtabant Saraceni: ſic ille, propter crudelitatem & neglectam Remp. occiſus, Heraclium habuit ſucceſſorem.

Tunc iterum Perſæ longiſſimè progreſſi ex Ægypto in Africam inuadunt,& ſuæ ditionis efficiunt. Europam variè lacerabant Scythæ: profectus tandem in Aſiam Heraclius, quum pacem impetrare non poſſet, parum etiam honeſtis nominis Romano propoſitis conditionibus,penè coactus decertauit cum Perſis,qui iam Iudæam vaſtabant, eosque vno aut altero prœlio fudit: inde Tigrim flumen transgreſſus, & Perſiam longè latéque populatus, amicitia demum inita cum Perſarum regis filio Sirocho, qui, necato parente, regnum inuaſerat, Africam,Ægyptum,& quicquid omnino Perſæ occupauerant, recepit: pactumque fuit, vt Perſicam ditionem à Romana ſepararet Tigris. Ad hoc tempus, Saraceni, Heraclio militantes, quum ſtipendiis fraudarentur, maxima multitudine deficiunt, & Mahometo duce, per Syriam graſſati, Damaſcum occupant, Ægyptum vaſtant, Arabiam ſubigunt, & in Perſas quoq; feliciter prœliantur. Fuit Mahometus obſcuro genere natus, verùm aſtutus & audax, poſt etiam locupletatus matrimonio:quumque propter animi promptitudinem authoritate valeret, nouum doctrinæ genus, rationi valdè iucundum, ſed magna ſui parte ridiculum & ineptũ, propoſuit,quo ſic animos hominum magis at-

que

que magis deuinciret, & regnum ſibi firmius conſtitueret, & quamquam initio facilè potuiſſet hoc incendium reſtingui: tamen quia neglectum fuit, breui tempore creuit in immenſum: ab eoque tempore, magis atque magis populi Romani maieſtas & imperium, ad orientem ſolem, interiit, deficientibus aliis atq; populis. Heraclio regnante, quartum fuit concilium Toletanum. Et quia per Hiſpaniam plerique ſacerdotes, precationem, quam Chriſtus ipſe nos docuit, non quotidiè, ſed eo die ſolùm orabant, quem Dominicum vocamus, decretum inter alia fuit, vt id corrigeretur: item, vt Apocalypſis Iohannis Euangeliſtę, ſicut aiunt, à Paſchate doceretur in templis, ad vſque Pentecoſten. Regnabant tunc in Hiſpaniis Gothi: quumq; dominationis externæ, ſicut fieri ſolet, Hiſpani pertæſi res nouas captarent, graui pœna Synodus edicit, ne qua coniuratio fiat in Regem, Gothicamve gentem, vtque mortuo rege, primores totius gentis atque ſacerdotes communi conſilio ſucceſſorem conſtituant. Idem pòſt in aliquot aliis ipſorum conuentibus repetitum fuit. Prohibetur etiam, ne per quadrageſimæ tempus, vti vocāt, Hebręum illud Alleluia canteretur in tēplis: nam eſſe mœſtitiæ tempus illud, non lætitiæ.

Heraclio ſucceſſit Conſtans, è filio Conſtantino nepos: hic infeliciſſimè mari pugnauit cum Saracenis, qui, victoria potiti, Rhodum occuparunt, longius haud dubiè progreſſuri, niſi factiones inter ipſos ortæ biennii inducias Romanis impetraſſent: eo dato reſpirandi ſpacio, Cęſar cum exercitu tranſmiſit in Italiam, quo ab hoſtibus eam liberaret, vt quidem iactabat: quumque Tarentum eſſet delatus, Luceriam, & alia quædam Apuliæ loca, ditionis Langobardorum expugnat & euertit. In itinere, cùm Neapolim iret, poſtremũ eius agmen cæſum fuit à Langobardis. Romam placidè ingreſſus, omnibus tandem ornamentis eam ſpoliat, & paucis diebus ibi commoratus in Siciliam traiicit. Ibi demum in balneo fuit interfectus: cumq; poſt eius mortem de ſucceſſione eſſent nata diſſidia, Saraceni, eam nacti occaſionem, magna cum claſſe ingrediuntur Siciliam, vaſtam edunt hominum ſtragem, Syracuſas capiunt, & prædam omnem Conſtantis ablatam ex vrbe Roma, ſecum aſportant.

Conſtanti ſucceſſit Conſtantinus quartus, vulgò dictus Barbatus: hic per annos aliquot cum Saracenis congreſſus, tandem eos fudit, ita quidem, vt pacem illi peterent, & inducias annorum xxx. ſimulque vectigal annuum paciſcerentur: ea re commoti,

moti, qui erant ad occidentem ſolem, populi Romani hoſtes pacem quoque petebant. Bulgari autem ſuis finibus egreſſi, Thraciam vaſtabant: cum his tandem pacificatum eſt, & conceſſa illis vtraque Myſia, tametſi poſtea, quum ignauiam Romanorum deprehenderent, violata pace, rurſus euolarunt, & imperii vires attenuabant. Hic Cæſar omnium primus conſtituiſſe traditur, vt, quem clerus populusque Romanus cum exercitu creaſſet ciuitatis Epiſcopum, is plenam obtineret poteſtatem. nam ad hoc vſque tempus Epiſcopi Rom. dignitas, vel à Cæſaris, vel ab eius per Italiam vicarii cõfirmatione pendebat. Exſtat ad Conſtantinum, Papæ Leonis II. Epiſtola prolixa, quâ damnat omnis generis hæreticos, & ipſum, propter ſtudium ac patrocinium religionis, & liberalitatem atq; munificentiam ſummis laudibus extollit, & Eccleſiam, quæ talem ſit nacta propugnatorem, planè triumphare dicit. Eo regnante, Synodus fuit ſexta Conſtantinopoli, centum quinquaginta Epiſcoporum. In ea ſub finem ipſum fit mentio Canonum, qui dicuntur Apoſtolorum, ſed obſcuris verbis. Gratianus autem contrarias opiniones recenſet. nam dicit eſſe, qui cõſcriptos ab hæreticis, & ab Eccleſia veteri repudiatos, affirment, & inter Apocrypha numerẽt. Zepherinus autẽ Epiſcopus Ro-

manus, ordine decimus ſextus, approbaſſe illos dicitur, & poſt eum, iſta, quam dixi, Synodus, quam Iuſtiniani II. tempore, qui filius erat Conſtantini quarti, tradunt abſolutam fuiſſe. Breuiter, incertis rationibus omnia fluctuant. Sed & de numero canonum non conuenit: nam alii L. alii LX. ponunt, alii LXXXIV. & eo quidem numero exſtant: vnde facilè coniici poteſt paullatim additos fuiſſe plures, & vno poſtea nomine comprehenſos, quum à diuerſis emanaſſent. Tunc etiam Archiepiſcopus Rauennas Epiſcopo Romano ſe ſubieciſſe fertur, quum antea, maximè verò poſt eò translatum Exarchatum, nihil Romano concederet.

Conſtantino ſucceſſit Iuſtinianus filius: is per ætatem, & imperitiam malè Rempublicam gerebat, & violata pace, quam eius pater cum Saracenis fecerat & Bulgaris, eò demum redactus eſt, vt pacem ab vtriſque cogeretur ipſe petere. Tandem ob crudelitatem eiectus, & præciſis naribus relegatus, Leontium habuit ſucceſſorem, qui propter affectati imperii ſuſpicionem per biennium fuerat captiuus. In his motibus Africam inuadunt Saraceni: ſed biennio poſt illinc eiecti fuerunt, commiſſo prœlio.

Milites Romani, præſidio in Africa relicti,

licti, quum lentè & ignauè omnia adminiſtrarentur à Cæſare, veriti, ne à Saracenis, quorum tunc erat ingens potentia, rurſus eiicerentur, Tiberium quendam faciunt Imperatorẽ. Is cum copiis profectus Conſtantinopolim, & vrbe potitus, Leontium capit, naribus truncat, in catenas coniicit & per Italiam nouum cõſtituit Exarchum. Et cum ad hunc modum tumultuosè omnia fierent, Saraceni, tempus idoneum nacti, maximisque cum copiis ex Ægypto profecti, Africam rurſus occupant, & Libyam & Hiſpaniam propè totam.

Is, quem ſupra dixi, Iuſtinianus à Leontio Imperatore eiectus & relegatus, Trebellii Bulgariæ regis auxilio Conſtantinopolim tandem occupat, & Leontium Tiberiumque captos interfecit: per annos deinde ſex crudeliter imperauit, ingratus etiam in Trebellium regem: tandem commiſſo prœlio, cum Philippico Bardane, ad quem exercitus defecerat, occubuit tum ipſe, tum filius Tiberius.

Philippicum Conſtantinus Pontifex ob diuerſam religionem, pronunciat ſchiſmaticum, tandem à ſuis exoculatus Cæſar, Anaſtaſium II. habuit ſucceſſorem. Is claſſem inſignem miſit Rhodum, belligerandi cauſſa cum Saracenis, eique bello quendam ordinis Eccleſiaſtici virum præfecit:

ſed quum ei parêre milites recuſarent, orta ſeditione, factus eſt Imperator quidam obſcuri generis Theodoſius, qui, mutata nauigatione, Conſtantinopolim venit, vrbem occupat, & Anaſtaſium prœlio victum ſacris addicit: ſed non multò pòſt eiectus à Leone, copiarum præfecto, vitamque monaſticam fuit amplexus. Ad hoc tempus, quod erat anno ſalutis ſeptingenteſimo, decimoſeptimo, Mauritani, totis viribus irruunt in Hiſpaniam, & ſuæ ditionis illam faciunt, Roderico, Hiſpaniarum Rege, quem etiam Gothi elegerant.

Leone regnante, Saraceni, vaſtata Thracia, Conſtantinopolim per triennium obſident terra marique: tandem peſtilentia propè conſumpti domum redire coacti ſunt. Erat Leo valdè infeſtus Epiſcopo Romano, Gregorio I I. ſuoque per Italiam vicario, ſiue Exarcho mandauerat, vt illum quocumque modo tolleret è medio: Papam verò defendebant Langobardi, non quidem illius charitate quadam, ſed vt in eo diſſidio ſuos ipſi fines amplificarent: nam Exarchatus oppida multa per hanc occaſionem occuparunt. Huius Gregorii quædam extant Epiſtolæ ad clerum & plebem Thuringiæ, monentis, vt in cognitione Dei magis atque magis proficiant:

Item

Item ad Saxones grauiter eos deterrentis ab idolorum cultu: Bonifacio quodam fuit vſus in his rebus adminiſtro, quem in Germaniam emiſerat. Leo Cæſar ſtatuas omneis, & diuorum imagines è templis eiicit, Papæ quoque mandat, vt idem faciat; ille verò non modò non morem gerit, ſed illi, in ſuo propoſito perſeueranti, graues pœnas denunciat.

Leoni ſucceſſit filius Conſtantinus, eius nominis quintus, cognomento Copronymus, eiuſdem cum patre religionis. Hic magna cum claſſe profectus in Saracenos, vt Alexandriam Ægypti recuperaret, accepto nuntio de ſeditione domi nata, & Artabaſto, nouo Imperatore electo, Conſtantinopolim reuertit, vrbem vi capit, & Artabaſtum exoculat. Huic etiam, ſicut parenti Leoni, graue fuit cum Epiſcopo Romano Gregorio III. diſſidium: qui ſubinde miſſis internunciis eum excommunicabat, & quum in vincula coniicerentur nuncii, collecta Synodo decretum fecit, vt, qui poſthac diuorum imagines demolirentur, aut contumelioſè tractarent, ab Eccleſiæ conſortio planè reiicerentur; deinde, omni ſtudio, & opera ſtatuas in variis templis erexit, & magnificè, quantum potuit, exornabat. A Gregorio III. fuit Zacharias. Huius extat

ad Epiſcopum quendam Bonifacium epiſtola, qui per Germaniam erat, ille ipſe, vt apparet, cuius opera fuit vſus Gregorius II. vt paullò ſuprà diximus. Eius poſtulatis reſpondet Zacharias, & permittit vt Merſeburgi, Bambergæ, Erphurdiæ ſint Epiſcopatus. Concedit etiam, vt ad Carlomannum, Caroli Martelli filium, qui in aliqua vrbe regni Francorum petebat haberi Synodum, proficiſcatur, & Eccleſiæ mores diligenter reformet, inprimis autem ab ordine ſacerdotali remoueat adulteros, & eos, qui plures habent vxores: quum enim poſt ſuſceptum miniſterium ſacrum, ne vnam quidem vxorem habere, vel attrectare liceat, multò minus, vt, eodem tempore, plures quis habeat, licere: nam quod Paulus ait, vt Epiſcopus ſit vnius vir vxoris, intelligendum eſſe non de præſenti, ſed de præterito tempore, ne videlicet plures habuerit, quàm vnam vxorem, is, qui cupit in ſacerdotum ordinem cooptari. Huic Epiſtolæ ſubiungitur Carlomanni, qui ſe Francorum ducem vocat, edictum, quo ſtatuit, vt, ipſo præſente, quotannis habeatur Synodus: adulteros autē ſacerdotes & ſcortatores loco ſubmoueri iubet: venationibus etiam & aucupio illis interdicit, neve mulierem vllam domi foueant, mandat: ſed de vxoribus verbum nullum. Ab hoc tempore Aiſtul-

re Aiſtulphus, Langobardorum rex, tributum annuum à Romanis petebat, grauia minatus, niſi dependerent. Qui tum erat Epiſcopus vrbis Romæ, Stephanus, eius nominis ſecundus, quum blanditiis, atque donis hominem placare non poſſet, Conſtantinum Cæſarem de auxiliis interpellat: quumque nihil ab eo præſidii veniret, Pipinum, nuper factum Francorum regem, vt infrà dicemus, orat, vt opem ferat. Is cum copiis in Italiam profectus, Papiam obſidet, & illum ad pacis conditiones adigit: quum autem domum reuertiſſet, hoſtis ferocior factus, iterum arma mouet. Quare denuo ſollicitatus, in Italiam Pipinus venit: tunc demum Aiſtulphus Exarchatum Pipino tradit, qua quidem in regione hæ ſunt vrbes primi nominis, Rauenna, Fauentia, Cæſena, Forum Liuii, Forum populi, Bononia, Rhegium, Parma, Placentia. Regionem hanc omnem Pontificis fidei Pipinus permiſiſſe fertur, quum Cæſar antea rogaſſet, vt eam ſibi reſtitueret, quod eſſet imperii, non Eccleſiæ Romanæ.

Conſtantino ſucceſſit filius, Leo IV. Is vnicam ſuſcepit profectionem in Syriam: repulſus domum rediit, neque multò pòſt mortuus eſt, eiuſdem cum patre religionis filio relicto Conſtantino ſexto. Sed quum is per ætatem regere nō poſſet, mater eius

Irene rempublicam gerebat: Ille autem grandior factus, deiecta matre, cœpit inſolenter admodum & acerbè regnare: quumque idcirco coniurationes in ipſum fierent, inter alios mulctauit etiam Nicephorum patruum, & exoculauit. Tandem & ipſe fuit exoculatus, conſilio matris, & aliquanto pòſt luctu mortuus eſt: itaque rerum ſumma rediit ad Irenem matrem, quæ quarto demum anno ſui imperii deiecta inque exilium relegata, ſucceſſorem habuit eum, quem diximus Nicephorum.

Interea, dum ita Conſtantinopoli tumultuosè res aguntur, celebris erat Caroli, regis Francorum, fama. Nam is Aquitanico bello confecto, rogatus ab Adriano Epiſcopo Romano, cum exercitu venit in Italiam: & ſicut ipſius parens Pipinus Aiſtulphum regem Langobardorum oppreſſerat, vt ſuprà dictum eſt: ita hic Aiſtulphi ſucceſſorem Deſiderium grauem Italiæ & Adriano primo, poſt longam obſidionem cepit, eiuſque filium Adalgiſium regno deiecit, & omni expulit Italia. Nam Cæſares Romani, quoniam & longius aberant, Conſtantinopoli videlicet, inde à tempore Conſtantini Magni, & quia non ſolùm externis bellis, verùm etiam domeſticis, & ciuilibus erant impediti diſſidiis,

Italiam

Italiam ferè negligebant, aut certè non poterant idoneè tueri, præſertim Langobardis ibi graſſantibus: deinde, ex ipſis plerique diſſidebant etiam grauiter à Romanis Epiſcopis, vt antè diximus, & ipſorum odio non admodum mouebantur illis Langobardorum ſucceſſibus. Hac de cauſſa Pontifices externam defenſioné circumſpiciebant: &, quia tum temporis nulla erat illuſtrior aut potentior familia, quàm Franciæ regum, propter magnitudiné rerum geſtarũ, idcirco ad eam, velut ad portum aliquem, rebus turbulentis, confugiebant. Hunc etiam ad modum Adriano mortuo, cui ſucceſſit Leo tertius, quum graues haberet Romæ aduerſarios, Carolum, Pipini filiũ, implorabat: qui cũ ad vrbem quartò veniſſet, à pontifice ſimul & omni populo ſalutatus eſt Imperator. quod quidé accidit, quo tempore Conſtantinopoli feruebant omnia factionibus, ita quidem vt etiam tempus ipſum & Reip. ſtatus huic mutationi videretur cauſſam & occaſioné præbere. Sic igitur occidentis imperiũ ad Germanos deuenit: nam Germanos fuiſſe Pipinum atq; Carolum dubitari non poteſt. Fuit hoc poſt natum Chriſtum anno octingenteſimo primo.

Ceterùm inde à Nicephoro, Imperatores Orientis, continuis ferè bellis agitati

fuerunt. Nam initio Bulgari ſæpè cum illis conflixerunt: deinde Saraceni, ex Africa profecti, Cretam inſulam, pòſt quoque Siciliam occuparunt, & Aſiam longè latéque vaſtarunt: poſtremò etiam Turcæ, Scythiæ populus. A Nicephoro autem vſq; ad Conſtantinum Palæologum poſtremum, circiter quinquaginta numerantur Imperatores Græci, & in his aliquot fœminæ. Ex ipſis plerique fuerunt ignaui. Et Conſtantino Monomacho regnante, qui vigeſimus eſt à Nicephoro, Turcæ, ab humili origine paullatim progreſſi longius Aſiam vaſtare cœperunt, & auctis quotidiè viribus, monarchiam demum conſtituerunt, non quidem nouam aut quintam aliquam, ſed ex ea natam imperii Romani parte, quę fuit ad ſolem orientem.

Eius autem Monarchiæ princeps fuit Ottomannus, ad annum Chriſti circiter MCCC. Mahometus deinde, eius nominis ſecundus, proauus Solymani, qui nunc rerum potitur capta Cōſtantinopoli, & Conſtantino Palæologo Cæſare, quem diximus, interfecto cum omni familia, nomen & ſucceſſionem Imperatorum noſtræ religionis iis in locis funditus deleuit. Tenent autem Turcæ ad hoc vſque tempus, Aſiam, Syriam, Ægyptum, Meſopotamiam, Iudęam, Rhodum, Græciam omnem,

Thra-

Thraciam, Bulgariam, Macedoniam, Illyricum, vtramq; Myſiam, & nuper alteram ferè Pannoniam, & Africæ partẽ aliquam. De primatu dimicarunt olim inter ſe vehementer Eccleſiæ, Hieroſolymitana, Antiochena, Conſtantinopolitana, Romana, & hæ quidem duæ potiſſimum, vti ſuprà docuimus: Turca verò litem diremit, & ſic omnia tribus illis locis conturbauit, nullum vt exiſtat Eccleſiæ vel Chriſtiani cœtus veſtigium. Eius autem, quæ ſupereſt, Eccleſiæ, quæque, ſublatis æmulis, nunc ſola triumphat, cuiuſmodi ſit facies, qui ſtatus, res ipſa declarat.

Poſtquam ergo demõſtrauimus quemadmodum imperii Romani pars altera corporis, orientem ſolem ſpectans, omninò concidit, & in alienam poteſtatem deuenit, reliquum eſt, quemadmodum & ea pars, quæ pertinet ad occidentem ſolem, prorſus interierit, & nouos adepta ſit dominos, breuiter explicemus. Hîc autem obiter conſiderandum eſt, quomodo mirabili quodam fortunæ ludibrio à Romanis illis atque priſcis familiis, auguſtum illud imperii decus & faſtigium ad exteros delatum ſit, & quidem aliquot pudendæ condicionis homines. Nam ex iis quidam fuerunt Hiſpani: nonnullis Pannonia, Dacia, Dardania, Dalmatia, Gallia, Thracia, Cappadocia dedit originem. Inprimis au-

tem obſeruari debet, quàm fuerit anceps & miſera Imperatorum condicio: nam ipſorum dignitas omnis atq; ſalus erat non in ſenatus, aut populi, ſed in legionum atque militum poteſtate: ſic, vt permirum videri poſſit, vllos fuiſſe, qui munus hoc tam periculoſum & iniuriis oportunũ, ſuſciperent. Etenim inde à C. Cæſare, qui ſpectante ſenatu concidit, ad Carolum vſque Magnum, circiter triginta fuerũt ex iis interfecti, quatuor verò ſibi mortẽ ipſi conſciuerunt. Semper aliquid erat, quod in ipſis deſiderarent milites: neque bonos magis quàm improbos ferre poterant, & ad minimam occaſionem, concitata turba, iugulabant eos, quos etiam inuitos ad culmen illud honoris pertraxerant, ſicut Ælio Pertinaci conſtat accidiſſe. Cæſarẽ metuebat ſenatus: ipſe verò Cæſar, ab impuri militis voluntate propemodum atque nutu pendebat. Hos autem ſpiritus, inde poſt C. Cæſaris mortem ſibi ſumſerunt, præſertim, legiones veteranæ, quibus per Galliam, Hiſpaniam, Africam ille fuerat vſus: & Cicero hoc ipſum deplorans, Fortes illæ quidẽ ſunt, inquit, ſed propter memoriam rerum, quas geſſerunt pro populi Romani libertate & dignitate Reipublicæ, nimis feroces, & ad ſuam vim omnia noſtra conſilia reuocantes.

IOHAN-

IOHANNIS SLEIDANI, DE QVATVOR SVMmis Imperiis,

LIBER III.

ANtequam de Carolo Magno loquamur, ad quem diximus imperium Occidentis eſſe delatum, explicāda ſunt quædam de Germanis, à quibus originem ille deducit. Et primò quidem certò conſtat, Germanos perſæpè tranſiiſſe Rhenum, & in Gallias penetraſſe, vt ibi propter agri bonitatem conſiderent. Nam Teuthoni in prouinciam Galliam inuaſerunt, & à C. Mario Conſule fuerunt profligati. Deinde quum Aruerni & Hedui, Galliæ populi, de principatu contenderent, Germani mercede conducti ab Aruernis & Sequanis, primò quidem non ita magnis copiis eò venerunt: paullatim verò ſic augeſcebant, vt Arïouiſto rege, bonam eius agri partem occuparēt. Eos autē C. Cæſar prœlio ſuperauit, & aliquot poſt annis, quum bellū gereret in Eburones, Galliæ Belgicæ populū, Germani denuò Rhenū traiecerunt, vt exercitum Rom. oppugnarent: ſed ad Moſæ confluentem atq; Rheni fuerunt ab illo

conciſi. Multis deinde pòſt annis intra ſuos fines ſe continebant, eò quod Romani Cæſares bellum ipſis inferrent: ſed tamen quoties tempus aliquod idoneum eſſent adepti, non deerant ſuis ipſi commodis, & Galliam perpetuò vaſtabant. Hunc ad modum, Gallieno Cæſare, homine ignauo & voluptuario, impreſſionem fecerunt, & paullatim eò potentiæ creuerunt, vt Probus Cæſar, quartus à Gallieno, vix magnâ difficultate illos reiiceret. Iulianus etiam, Conſtantii Cæſaris legatus, bella cum illis geſſit: poſt hæc, Honorio Cæſare, Gothi in Galliam irruperunt, iisque Cæſar, diuerſis bellis occupatus, Aquitaniam cóceſſit inhabitandam. Ab altera parte Francones Germani, per Belgicam irruptione facta, Treuiris, Menapiis, Eburonibus, Morinis, Neruiis, Ambianis, Bellouacis, Sueſſionibus oppreſſis, in ea parte Galliæ conſederunt, quæ nomen ad hoc vſque tempus retinet, & Francia dicitur, cuius quidem regionis caput Lutetia, nec procul illinc oppidum Sandeniſium, Franciæ regum ſepulturæ poſtea conſecratum eſt in hodiernum vſque diem. Ad eum modum amplificati, quum antea bonam Germaniæ partem poſſiderent, omnem videlicet regionem illam, quæ eſt ad Mœnum flumen atque Rhenum, facilè non ſolùm defendebant

bant illatum bellum, ſed etiam aliis inferebant, & labante indies magis atque magis imperio Romano, per Aſiam & Africam, Langobardis etiam Italiam vaſtantibus, admodum ſuos fines per Galliam extenderunt: & quum ordine multi ipſorum reges ibi dominarentur, tandem ad Pipinum etiam, eiuſque filium Carolum regni ſumma deuenit. Pipini pater, Carolus Martellus, non quidem ipſe rex, verùm ex proceribus vnus, & palatii præfectus, vel, vt vulgò loquũtur, *Maior domus*, Bauaros & Suetios deuicit. Nam, ſicut annalium ſcriptores Galliæ tradũt, aliquot nunc annis, præter titulum atque nomen, nihil reges habebant, ſed omnis authoritas erat & ſumma rerum penes præfectum regiæ domus. Etenim à ſuperiorum regum virtute prorſus iſti degenerauerant, & voluptatibus dediti, nullam Reipublicæ curam ſuſcipiebant. Itaque præfectus palatii magiſtratum gerebat: & quò maior erat ignauia regis, eò plus potentiam iſte ſuam augebat. Hac demum occaſione, Pipinus, qui Childerico regnante præfectus erat, quum apud Pontificem Zachariam res in diſceptationem veniſſet, vt aiunt, regnum obtinuit. Huius rei mentio fit in decreto, quod vocant, Gratiani, quod nimirum Papæ liceat regibus abrogare principatum; ſed e-

ius loci titulus & inſcriptio falſa eſt. Quum enim duo ſint Anaſtaſii Cæſares, neutri poteſt attribui. nam prior, ducentis & amplius, alter verò triginta ſeptem annis, antè regnauit, quam iſtud accideret: deinde, poſterioris ætate, nullus fuit Papa Gelaſius. Admonendi cauſſa lectores hoc addēdum putaui, quo pontificiorum ſcripta prudenter euoluant atque cautè. Nec enim vno loco deprehenditur, id eos agere potiſſimum, vt ſuis legibus opinionem vetuſtatis addant, quò plus habeant ponderis & authoritatis. Pipinus, pręterquam quod Langobardos per Italiam compreſſit, rogatu Pontificis, vt ſuprà dictum eſt, bellum quoque geſſit in Saxones: & deinde cum Aquitanis, eorumque ducem captum interfecit: quumq; non multò pòſt è vita migraſſet, ac illi ſubinde rebellarent, Carolus filius, rex, vtrumque bellum vix tandem ingenti labore perfecit. Cum Saxonibus enim totos annos XXXIII. belligerauit, eoque durante bello, confecit & alia: nam & Bauariam, Taſſilone duce rebellantem, ſuæ ditionis fecit, & bis contra Langobardos profectus, & in Campaniam vſque progreſſus, omnem Italiam domuit, & legibus conſtituit. Illas etiam Galliæ ciuitates, quæ ſunt ad Oceanum, & à C. Cæſare vocantur Armoricæ, nunc autem minoris

Britan-

Britanniæ nomine cenſentur, ad officium redegit, quum ſtipendium annuum Franciæ regibus debitum nollent amplius dependere. In Hiſpaniam quoque profectus cum exercitu, feliciter quidem rem geſſit aduerſum Saracenos: rediens autem in ſaltibus Pyrenæis per inſidias grauiſſimè cæſus fuit à Vaſconibus, Aquitaniæ populo. ſed & Hunos, qui Pannoniam tunc obtinebant, octauo demum anno vicit, & per legatos Bohemiam quoque pacauit. Poſtremum verò bellum fuit aduerſus Danos, ſiue Nordmannos, qui maritimam oram Germaniæ Galliæque magna claſſe vaſtabant. His tantis rebus geſtis, effectum eſt, vt Magnus diceretur. Quũ enim Francorum reges antea ſolùm tenerent eam Germaniæ partem, quæ eſt inter Saxoniam & Danubium, interque Rhenum & Salam, ad hæc, Sueuiam atque Bauariam: ipſe totam Saxoniã adiecit, deinde vtramque Pannoniam, Daciam, Iſtriam, Hiberniam, & mediterraneam Dalmatię partem: quumque item Franconum reges per Galliam tenerent eam partem, quæ eſt inter Rhenum & Ligerim, inter Oceanum & mare Balearicum, ipſe omnem Aquitaniam totumque iugum Pyrenæi montis ad Iberum vſque flumen, & quod primo loco

dictum oportuit, Italiam totam inde ab Alpibus ad extremam vſque Calabriam adiecit: & poſtea quartò Romam profectus, à Leone tertio & ab omni populo Romano ſalutatus eſt Imperator Auguſtus, cum iam annos regnaſſet XXXIII. Romanum igitur imperium, quod eſt ad occidentem ſolem, variè dilaceratũ, prę ſertim ab eo tempore, poſtquam Cæſares domicilium atque ſedem Conſtantinopoli ſibi delegerunt, vt ex iis, quæ ſuprà commemorauimus, apparet, à Carolo Cęſare redintegratum eſt, ac veluti nouum corpus, colorem atque ſpeciem reſumpſit, tot tantiſq; prouinciis ad vnius principatum redactis. Nicephorus, alter ad orientem ſolem Cæſar, factum iſtud indignè quidem tulit, ſed humanitate modeſtiaque ſua Carolus eum deliniuit, & miſſis donis amicitiam vterque coluerunt, & vtriuſque Imperii cõſtituti fuerunt certi limites. Præter alios conuentus, concilium habuit etiam Rhemenſe, in quo decretum fuit inter alia multa, vt Epiſcopi ſacram ſcripturam diligenter euoluant, & Dei verbum annuncient. Moguntiæ quoque Synodus fuit anno prius, quàm è vita decederet, & ſuperioribus annis alia, Turoni, Cabillone, Arelatæ, de emendatione Eccleſiarum, vti tradunt, qui per id tempus vixerunt. Ludouico deinde

filio,

filio, regni & imperii herede deſignato, mortuus eſt Aquiſgrani, quod eſt Galliæ Belgicæ oppidum, ſeptuaginta natus annos, poſt Chriſti natalem, anno octingenteſimo decimo quarto, quum per annos ferè XIV. Cæſar fuiſſet, Germanorum omnium primus ad eam euectus dignitatem. Ipſo regnante, per Italiam, Germaniam, Galliam XXI. tantùm erant ciuitates, vti vocant, Metropolitanæ: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Moguntia, Saliſburgum, Treueris, Rotomagus, Senones, Veſuntio, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarētaſia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges. Eius parens Pipinus, exarchatum, Langobardis ereptum, Epiſcopi Romani fidei commiſerat, vt ſuprà diximus, quemadmodum quidem memoriæ proditum eſt: ipſe verò planè illis dediſſe eum fertur: quod tamen in dubium à multis vocatur. Qui fuit ei familiaris, & ſcriba iuratus, Eginardus, diui Petri, quam vocant, Eccleſiam, Romę, præ cęteris ei valde charam fuiſſe, magnamque vim auri, argenti, gemmarum illuc deportatam & plurima pontificibus ab eo munera eſſe miſſa, ſcribit: nam hoc illum inprimis egiſſe diligenter, vt ipſius opera ſtudioque, vrbs Roma veteri polleret authoritate, & ſancti Petri

Eccleſia, non ſolum ipſius eſſet incolumis tutaque patrocinio, ſed etiam opibus inter alias maximè floreret. Hæc ille duntaxat: quod verò tot tamque potentes vrbes dederit, quę ditionis erant imperii, ne verbum quidē: imò, quum à quarta in Italiam profectione, factus eſſet Cæſar, vrbis Romæ, & pontificis & totius Italiæ, non publicas tantùm, ſed Eccleſiaſticas etiam res & priuatas ordinaſſe ſcribitur. Etenim, quū nondum eſſet Cæſar, ſed Franciæ tantùm rex, debellato Langobardorum rege, Deſiderio, ſicut diximus, Romā venit, & concilium habuit, in eoque, ſicut ipſorum libri dicunt, Adrianus primus, totaq; Synodus, eligendi pontifices, & ordinandi ſedem, vti vocant, Apoſtolicam, & Epiſcopos confirmandi ius atque poteſtatem ei conceſſit. Multas Carolo tribuit & principe viro dignas virtutes Eginardus, temperantiam, modeſtiam, frugalitatem, ſtudiū religionis, doctrinam, eloquentiam, & non Latinæ tantùm, ſed & Græcè linguæ cognitionem: ad hæc, ſummam curam ac diligentiā in educandis, & ad eaſdem res inſtituendis liberis. Pariſinam quoque traditur Academiam inſtituiſſe, tum ſua ſpontè, tum Albini præceptoris impulſu, quē habuit in diſcendis artibus magiſtrum, ſicut Eginardus dicit. Menſibus etiam nomina Germanica

dedit

dedit & ventis duodecim, quibus etiamnum vtimur: quum antè id tempus, vt idem ſcriptor ait, Francones partim Latinis, partim vterentur barbaris.

Hucuſque veluti pręfatus de Germanis, deq; Carolo, paucis percurram deinceps, & oſtendam, quemadmodum hęc ipſa imperii Romani pars, quæ eſt ad occidentem ſolem, à Carolo vix demum reſtituta & recollecta, rurſus interiit, & in varias diuiſa prouincias, facta ſit multorum ditionis, qui veluti peculium ſuum, illas poſſident, nec fontem ipſum, vnde manarunt, agnoſcunt, ita quidem, vt illud auguſtum, & tantopere celebratum Imperii Romani faſtigium, nihil aliud ſit hodierno die, quàm tenuis quædam magni corporis vmbra, poſtquam ex tam immēſa mole redactum eſt ad vnicam Europæ particulam, Germaniam. Poſtremò, quemadmodum hanc imperiorum viciſſitudinem & occaſum Romanę Monarchiæ Daniel prænunciauerit, breuiter exponam.

Ludouicus ergo, Caroli filius, alter Imperator Germanus, cum Cæſare Græco Leone Armenio renouauit amicitiā: quūque ipſius regni anno tertio mortuus eſſet Leo Papa: ſucceſſor Stephanus IV. in Galliam profectus, Rhemis eum conſecrauit. Hunc excepit Paſchalis: & quia Cęſaris au-

thoritas non interuenerat, ille per legatos diligenter atque ſollicitè factum purgans, pontificatum ſibi prorſus inuito dicebat eſſe obtruſum. Libri Pontificii habent, Ludouicum Cæſarem Paſchali, ceteriſque poſt eum, & confirmaſſe poſſeſſionem bonorum, & electionem permiſiſſe liberam, vt, quem omnes Romani iudicaſſent eo munere dignum, is pro pontifice haberetur. Quantum fidei ſit eiuſmodi ſcriptis tribuendum, non video: ſic enim inter ſe diſſident, ſic nullo ſunt ordine perſcripta, vt, quid ſequendum ſit, intelligi non poſſit. Filios Ludouicus habuit tres: Lotharium, imperii & regni conſortem allegit: Carolum, qui Pipino fratri mortuo ſucceſſit, Aquitaniæ: Ludouicum Bauariæ præfecit. Coniuratione facta, captus à filiis, & regno priuatus, Compendii, oppido Sueſſionum, ad monaſticum vitæ genus fuit detruſus. Galliæ ſcriptores annaliū tradunt, proceres Eccleſiaſticos, quorū ille faſtum atque luxum coërcere volebat, habitis Aquiſgrani comitiis, hanc ei concitaſſe turbam, & filios, vt facinus tam impium auderent, impuliſſe. Liberatus autem ſexto pòſt menſe, maximo populi deſiderio regnum & omnia recuperauit.

Quia locus ita fert, notandum hîc eſt obiter, multa fuiſſe per Galliā habita con-

cilia nationis. Nam proximũ ab illo, quod diximus, Aquẽſi, Troiæ fuit, oppido Campaniæ: deinde Rhemis, Gergouiæ, Turoni, Digeone, Lutetiæ, Lugduni, Viennæ, Auenione, Auarici, Aureliæ, & quidem iiſdem in locis plura. Quum enim ſtatus rerum ita poſceret, ipſi reges ordinem Eccleſiaſticum ceteroſque proceres conuocabant, vt publicis incommodis mederentur. Ad hunc modũ, Ludouicus XII. qui cum Iulio II. graues exercuit inimicitias, Turoni concilium habuit ſuorum atque Lugduni, ſalutis anno MDX. & XI.

Nunc ad inſtitutum. Ludouico mortuo, Metique ſepulto, ſucceſſit Lotharius, cui bellum fuit cum fratribus, quo demum ſedato, & noua facta diuiſione, Ludouico Germania ceſſit Galliæq; pars, inde à Moſa, vſque ad Rhenum: Carolo autem obuenit Gallia, inde ab Oceano Britannico & Pyrenæo ſaltu vſque ad Moſam. Lotharius, præterquam quòd Cæſar eſſet, Italiam & Narbonenſem quoque prouinciam obtinuit.

Ei ſucceſſit filius Ludouicus ſecundus, qui Saracenos, in Italiam irruentes, repreſſit. Eo regnãte, Papa fuit inter alios Adrianus II. & quidem non aſſentiente Cæſare, ſicut ipſorum habent libri, creatus à nobilitate Romana, ciuibus atque clero, quem

vocant. Nam licèt erant in vrbe, Cæſaris legati, tamen ad electionem vocati non fuerunt: quumque grauiter id & moleſtè ferrent, reſponſum eis fuit, nullo factum hoc eſſe Cæſaris contemptu, ſed cautione quadam in poſterum, ne videlicet, quum eſt creandus Papa, mos ille, Cęſaris exſpectandi legatos, tanquam neceſſarius, inoleſcat. Eo reſponſo non ſolum illos fuiſſe placatos, verùm etiã officii cauſſa demiſsè pontificem ſalutaſſe tradunt. Hic autem videre licet mirabilem quandam in ipſorum ſcriptis varietatem & inconſtantiam. Etenim, ſi Ludouicus primus liberam eis electionem conceſſit, vti ferunt, & paullò ſuprà dictũ eſt, cur eius nepos Ludouicus II. iniuriam ſibi factam eſſe putabat? Sed quoquo modo res habeat, titulus quidem eius decreti, quod eſt in centonibus Gratiani, manifeſtè falſus eſt. Nam Gregorio quarto tribuitur, cùm is viginti duobus annis è vita deceſſerit antè, quàm Adrianus II. fieret Pontifex. An hiſtoriam ſcripſit mortuus eorum, quæ poſt acciderunt? Ante Adrianum proximus fuit Nicolaus primus, cuius extat ad Michaelem Imperatorem Græcum Epiſtola valde prolixa, de ſua in omnes Eccleſias poteſtate. Nã Conſtantinopoli fuit ab Epiſcopatu remotus Ignatius, & inſtitutus Photius, inconſulto Epi-

ſcopo Romano: ſed & eiectæ ſtatuæ. Clamat ergò contra, quàm vehemẽtiſſimè poteſt: extant etiam eius decreta plurima, plena maieſtatis Papalis.

Carolus, Galliæ rex, vt ſuprà diximus, magna celeritate proficiſcitur in Italiam, reſiſtente licèt altero fratre natu maiore Ludouico, Germaniæ rege, & à Iohanne octauo Romano pontifice cõſecratur. Secundò profectus in Italiã, rogatu pontificis, vt Saracenis, qui Campaniã rurſus inuaſerant reſiſteret, Mantuæ mortuus eſt.

Ludouicum filium habuit ſucceſſorem, cognomine Balbum: ſed is per biennium modo præfuit.

Ab eo imperii Romani ſumma venit ad Carolum Craſſum, Ludouici Germaniæ regis filiũ, qui duobus, quos habebat fratribus, mortuis, Germaniam omnem & Italiam & Galliam obtinuit, & Saracenos Italiam vexantes profligauit, & belligeratus aliquandiu cum Nordmannis, inferioris Germaniæ populo, Galliam Belgicam vexantibus, eam Galliæ partem illis demum conceſſit, quę nomen illorum ad hoc vſque tempus retinet.

Poſt hunc fuit Arnulphus, Cęſar, fratris filius, egregius princeps. In Italiam profectus, vt Formoſum pontificem Romanum ab aduerſariis liberaret, Romã capit,

& in ſeditionis authores vindicat. Ipſo rerum potiunte, Hungari ex Scythia pulſi, in Pannoniam ruunt, & Ludouico III. Arnolphi filio, Cæſare, in Germaniá progreſſi, & non procul à Lœcho flumine inſigni victoria potiti, Bauariam, Sueuiam, Franciam, Saxoniã, cædibus, rapinis & incendiis vaſtãt. Arnolpho, Cæſare, Triburiæ, quod fuit ad Mœni ripam oppidum aliquando, concilium eſt habitum xxii. Epiſcoporum Germaniæ, &, inter alia multa decretum, vt ſepulturam mortuorum nemo vendat, & ne quis laicus, vti vocant, in templo ſepeliatur. Ad hoc tempus magnum exarſit incendium per Italiam. Berengarius enim, & alii quidam Langobardiæ proceres, multis ornati beneficiis à Carolo Caluo, coniurarunt aduerſus Galliam, quo tempore Carolus Craſſus imperabat: ſed cùm fruſtra molirētur, ad Italiam animum adiiciunt, & inter ſe diu multumque conflictati, ſicut fieri ſolet, magnis cladibus illam afficiunt. Tandem Berengarius victor, Italiæ regnum obtinuit, & Ludouicũ Cæſarem, eo cum exercitu profectum, vbi cepiſſet, exoculaſſe ſcribitur. Hoc etiam tempore, ne quid omnino calamitatis deeſſet, Saraceni, Aphri & Hungari immaniſſimè vaſtant Italiam.

Quumque ſub Berengariis, Hugone, Rudol-

Rudolpho, Lothario, Alberto, & quibuſdam aliis, tam eſſet funeſtus & miſerabilis pulcherrimæ regionis ſtatus, atque in his turbis mortem obiiſſet Ludouicus Cæſar: Germani, Saxones præſertim atque Francones, Cæſarem ſalutabant Othonem, Saxonum & Thuringorum principem: ſed is ætate grauis, author ipſis fuit, vt Conradum Franconiæ ducem ſumerent, qui Cæſar factus, pleraque omnia de conſilio faciebat Othonis: ac deinde Othone mortuo, cùm & ipſe grauiter ægrotaret, conuocatis ex nobilitate primis, orabat, vt Othonis filium Henricum, tunc abſentem, pro Cæſare agnoſcerent. Is eſt Henricus vulgò dictus *Auceps*. Itaq; videmus quemadmodum à Francis & à Caroli familia ſplendor & dignitas imperatoria peruenerit ad domum Saxonicam. Hi duo Cæſares, Conradus & Henricus, ab Epiſcopo Romano non fuerunt conſectati, ſicut vocant, ideoque prætermittuntur à nonnullis: & Henricus quidem oblatam à Papa conſecrandi ceremoniam neglexiſſe fertur, quod bonorum virorum iudiciis atque ſuffragiis contentum ſeſe diceret. Aliquanto poſt Arnolphus Malus, Bauariæ dux, rei ſummam ad ſe traducere cogitabat, & collectis vtrinque copiis, cùm ad Ratisbonam eſſent ambo exercitus expe-

diti, Cæſar illum ad priuatum colloquium euocat, & commemorans quemadmodũ à pleriſque Germaniæ populis eſſet creatus Cæſar, dehortatus etiam ne tot hominum millia, in quibus plerique eſſent innocentes & ignari cauſſæ belli, velit periclitari, flexit eius animum, atque ita diſceſſum eſt ab armis. Burchardus etiam Sueuię dux rebellarat, ſed territus potentiâ Cæſaris, in deditionem venit. Hungari Saxoniam denuò vaſtabant: capto autem ipſorum duce, nouem annorum pacti ſunt inducias. Cæſar deinde ad militiam inſtituto ſuo populo, Dalmatas debellat, Pragam vrbẽ & Venceslaum Bohemorũ ducem capit, & vectigalem ſibi facit Bohemiam: Hungaros, finitis induciis denuò in Saxoniam irruentes, maximo prœlio vincit, & tributum, quod illis pendebant Saxones, in egenos diſtribuit.

Erat eius conſilii, proficiſci Romam, ſed valetudine impeditus, filium ſuum natu maiorem Othonem, imperii deſignat heredem. Is cum Bohemis, qui tum rebellabant, multis annis belligerauit: Hungaros etiam, quum apud Vangiones traiecto Rheno, Franconiam eſſent ingreſſi, Saxoniam inde populaturi, cædit atque fugat: Burgundiam ſibi ſubiugat: in Italiam deinde profectus magno cum exercitu, & debel-

debellatis Berengariis, alteram vxorem ibi ducit Adelheidam. Id ægrè ferens Luitholdus filius, inſidias illi ſtruit, & paſſim multos habuit conſilii ſui adiutores, ac in his Conradum Sueuiæ ducem, ſororium ſuum: verùm obſeſſus à patre Ratisbonæ & in anguſtias redactus, veniam ſupplex petit, & impetrat. Poſt hæc, Hungari, vaſtata Gallia, maiore, quàm vnquam anteà, multitudine in Germaniam irrumpunt, & propè Vindelicorum Auguſtam, in ea planicie, quæ nomen habet à Lœcho flumine, caſtra faciunt. Eô Cæſar profectus, cum Saxonibus, Francis, Sueuis, Bauaris, Bohemis, poſt ancipitem multamque pugnam, ad internecionem propè cecìdit hoſtem, aliquot ipſorum regulis in crucem actis. In Saxoniam reuerſus, ac rebus ibi conſtitutis, in Italiam denuò ſuſcepit iter, ſed antè profectionem, Othonem filium ſuum imperii collegam deſignauit. Vbi tandē Romam venit, concilium habet eique præfuit, & Iohannē XII. propter crimina loco remouit, & Leonē, eius nominis octauum inſtituit. Eius extat inſertum iuri pontificio decretum, vbi Adriani primi exemplo conferre ſe dicit Othoni Cæſari, eiuſque ſucceſſoribus in perpetuū, eligēdi Papam, ordinandi ſedē Apoſtolicam, & Epiſcopos confirmandi facultatē: ſimul grauiſſimam

pœnam iis conſtituit, qui non exſpectata Cæſaris approbatione, conſecrant Epiſcopos. En alterum decretum, ſuperioribus aliquot contrarium. Subiungitur poſt formula iuriſiurandi, quo Iohanni Papæ ferunt Othonem imp. ſeſe deuinxiſſe: verùm, quis ille fuerit Iohannes, & quotus eius nominis, quotus etiam Otho, non additur. Sed profectò mirum eſt, res tam arduas tantique momenti tam eſſe negligenter conſcriptas. Quod ſi primus Otho ſic iurauit, eſt, quod ei ſtatim poſſit obiici. Quum enim in ea, quam diximus, formula iuret inter alia fore, vt nullum Papæ creet vitæ periculum, nec honorem etiam atq; dignitatem abroget, quomodo conſiſtet, quando Iohannem, ſicut diximus, loco deiecit, & alterum inſtituit? Conciliet iſta, qui poteſt. Otho, propter motus, iterum in Italiam contendit, & rebus compoſitis domum reuertens, ad initium Maii mortuus eſt, & Magdeburgi ſepultus, anno ſalutis nongenteſimo ſeptuageſimo quarto. Propter rerum geſtarum amplitudinem & præſtantem virtutem vocatur Magnus.

Othoni ſecundo rebellabat Henricus Bauariæ dux, verùm armis fuit ad officium adductus. Erat tum Galliæ rex Lotharius: fratrem huius Carolum Lotharingiæ ducem,

cem Cæſar conſtituit, ea lege, vt eſſet imperii beneficiarius. Nam prouinciam hanc à Carolo Simplici, Galliç rege, Cęſar Henricus obtinuerat, vt tradunt annales, & ad poſteros ordine tranſmiſit. Hoc ipſum autem ægrè ferẽs Lotharius, collecto repente exercitu Aquiſgrani celeriter accurrit, & inopinantem Cæſarem ferè oppreſſerat. Cęſar eam contumeliam vlturus, cogit manus & Lutetiam vſque progreſſus, magna & illata, & accepta clade, pacem demum fecit. Domum reuerſus & inde Romam profectus, Græcis, qui Calabriam & Apuliam tenebant, bellum fecit, ſed amiſſo exercitu, per mare fugiens, & interceptus à pyratis, cùm non agnoſceretur, depenſa pecunia dimiſſus eſt, ac Romam vbi reuertit, cum reliquiis copiarum Beneuentum obſidet, capit, incendit: neque multò pòſt, in prœlio cum Græcis & Saracenis, telo ſauciatus, deceſſit è vita, Romæ ſepultus.

Ei ſurrogatur voluntate procerum, Otho filius, inauguratus Aquiſgrani. Papam ille conſtituit Brunonem, hominem Germanum, Gregorium quintum: Creſcentius autem conſul Romanus Iohannem, Epiſcopum Placentinum, obduxit illi aduerſarium. Vbi Romam ergo Cæſar venit, Creſcentium ſocioſque graui & ignominioſo ſupplicio afficit: Iohannem autem,

eius nominis XVII. oculis priuat. Et, quia propter ſucceſſionem imperii perpetuæ erant turbæ, conſtituit, adiutore pontifice, vt certi Germaniæ principes viri ius & poteſtatem deinceps haberent eligendi Cæſares: ne quis videlicet dignitatem illam, velut hereditariam, poſthac inuaderet. Decretum hoc incidit in annum poſt Chriſti natalem circiter milleſimum. Regnabat tum in Galliis, Robertus, vir pacis amans & literarum. Annales eum celebrant, quod templa multa conſtruxerit & magnificè dotarit, quodque Romam adierit religionis cauſſa. Poloniæ duci, Boleslao, regiam dignitatem Otho Cæſar & immunitatem tribuit, vt ipſorum habent annales. Eſt igitur hoc illius regni principium. Ex Italia demum rediens Otho, in itinere mortuus eſt.

Poſt eum fuit Cæſar Henricus, eius nominis ſecundus, Bauariæ dux, Othonis magni Saxonum ducis atque Cæſaris propinquus. Is pacatis in Germania rebus, & aduerſariis partim humanitate ſumma deductis ad amicitiam, partim debellatis, Italiam acceſſit, & Saracenis ereptam Apuliam imperio reſtituit. Conſecratus deinde à Benedicto VII. miſſo exercitu in Germaniam, ipſe per Sequanos profectus in colloquium venit cum Roberto Gallorum re-

rum rege, firmata vtrimque amicitia. Fuit hic Eccleſiaſticis admodum gratus Cæſar, quod plurima in ipſos beneficia cõferret.

Henrico mortuo, cum inter principes Electores non conueniret, interregnum fuit aliquandiu: demum ſucceſſit Franconiæ dux, Conradus. Is Hungariæ regem Stephanum ad pacis conditiones adegit, & compoſitis Germaniæ rebus, in Italiam, vbi ad defectionem plerique ſpectabant, contendit. Et primo quidem Mediolanum obſidet, poſtea Romam profectus, & à Iohanne XXIII. conſecratus, acclamante populo, ſalutatur Auguſtus. Mulctatis demũ iis, qui res nouas moliebantur, Italiam pacauit, & in Germaniam reuerſus, cùm denuò per Italiam noui motus orirentur, profectus illuc, in cõiurationis authores animaduertit. in his erat Archiepiſcopus Mediolani. nec prius conquieuit, quàm omnia ſuæ ditionis feciſſet. His rebus perfectis, domum reuerſus, Traiecti, quod eſt ad Batauorum fines oppidum, mortuus eſt.

Succeſſorem habuit de principum voluntate filium Henricum, eius nominis tertium, qui Bohemos rebellantes domuit, & vectigales fecit. Hungariæ regem Petrum, à ſuis eiectum aliquoties, reſtituit, totamq; regionem pacauit, etſi nõ ſine ma-

gna ſuorum cæde. Romæ tum erant permagni tumultus, quia de pontificatu tres contendebant,& malis artibus omnia tentabant: Benedictus IX. Silueſter III. Gregorius VI. Eius rei cauſa, Cæſar eô profectus, & per obſidionem vrbe capta, conuentus agit,& Bambergenſem Epiſcopum Suitgerum conſtituit Papam: qui mutato nomine dictus eſt Clemens ſecundus, à quo deinde fuit ipſe conſecratus. Tunc ciues denuò iurarunt in creando Papa, nihil niſi de Cæſaris arbitrio ſeſe facturos. Pacata iterum Italia, quum in Germaniam veniſſet Cæſar, mortuus eſt Clemens Pontifex,& Bambergæ ſepultus. Quo cognito, Cæſar Bopponem, Friſingenſem Epiſcopum, illis conſtituit Papam. Is eſt Damaſus II. quumq; & hic non amplius viginti tres dies præfuiſſet, mortuo ſuffectus eſt, mandato Cęſaris, Tullenſis Epiſcopus, Leo IX. Huius extat pars quædam Epiſtolæ, qua dicit Epiſcopo, presbytero, diacono non licere cauſſa religionis vxorem deſerere, ſed æquum eſſe, vt quæ neceſſaria ſunt ad tolerandam vitam, ei ſubminiſtret: verumtamen, vt quum ea det operam liberis, minimè licere, quum Paulus dicat, ſibi quoque liberum eſſe non minus, quàm reliquis Apoſtolis, vxorem circumducere. quod quidem ille ſic interpretatur, Apo-

ſtolis

ſtolis ideò fuiſſe præſto ſemper vxores, vt ab iis, quos Chriſti religionem atque fidem mariti docebant, vnà cum ipſis alerentur, non autem vt coniugii munus exercerent,& in complexum venirent: nam idcircò Paulum circumducendi verbo, non amplectendi voluiſſe vti. Anno ſupra milleſimum quinquageſimo Roma Leo profectus concilium habuit Epiſcoporum XLII. Moguntiæ, præſide Cæſare. Triennio pòſt mortuus, Eiſtetẽſem Epiſcopum, Gebehardum, ita volente Cæſare, ſucceſſorem habuit. Is fuit Victor II. Cæſar in Italiam profectus, ac rebus ibi compoſitis in Germaniam reuerſus, cumque Galliarum rege Henrico, eius nominis primo, colloquutus, in Saxonia mortem obiit, ſepultus autem Spiræ. Morienti aderat Papa, multique alii proceres.

Erat ei filius Henricus, adoleſcentulus admodum, ſed iam antea deſignatus Cæſar: adminiſtratio autem penes matrem erat,& Epiſcopum Auguſtanum. Non multò poſt moritur etiã Victor II. Papa, quum paullò amplius biennio præfuiſſet: ei ſucceſſit Fridericus, è familia Lotharingica dictus Stephanus IX. Eo, paucis poſt menſibus extincto Florentiæ, Benedictus quidam, auxilio ſuorum, inconſulto Cæſare, Papatum inuaſit, eius nominis decimus.

Romani factum hoc minimè probabant, ſuique purgandi cauſſa, miſſis ad Cæſarem legatis, quam ipſius parenti fidem præſtitiſſent, eandem ei quoque deferunt, & vt legitimum aliquem Pontificem conſtituat, orant. Itaque deiecto Benedicto, Florentinum Epiſcopum Gerhardum Cæſar illis tribuit, qui fuit Nicolaus II. Rempublicam geri per feminã, Cæſaris matrem, vt ſuprà dictum eſt, Germaniæ principes moleſtè ferebant: quapropter inuenta ratio fuit, vt ab illa diſtraheretur filius: quo facto, rei ſumma penes Moguntinum & Colonienſem Archiepiſcopum inprimis erat. Ab his nonnunquam adhibitus Bremenſis Archiepiſcopus Adelbertus, mirè gratioſus regi adoleſcenti fuit: quumque ſolus illum poſſideret, bona ſacra ſibi ſuiſque diſtribuit, abbatias inprimis: &, vt minori flagraret inuidia, Cæſari perſuaſit, vt aliis etiam principibus illas conferret. Interea Nicolaus II. moritur, cui Parmenſem Epiſcopum Cæſar ſubſtituit: & quia ſenatui Romano nihil communicauerat, ideóque ad turbam res ſpectabat, Lucenſis Epiſcopus fuit electus, Alexander II. Dimicatum quidem fuit inter eos acerrimè, ſed Alexander tamen, ſuperior armis rem obtinuit. Bremenſis Archiepiſcopus, quum ſolus adminiſtraret apud

Cæſa-

Google

Cæſarem omnia, collegas in ſe concitauit Epiſcopos, ab iiſque demum fuit eiectus: & quamquam loco deinde reſtitutus fuit, tamen non diu ſuperuixit, & Cæſar neceſſitate coactus, quum de Reipublicæ ſtatu plerique omnes quererentur, Colonienſem Archiepiſcopum, Annonem, vt procurationem ſuſciperet, orabat. Is autem, quum inſolenter & iniquè multa fieri videret, excuſans ætatem & valetudinem, munus ei poſtea reſignat. Tunc verò Cæſar XXII. annorum adoleſcens, naturâ procliuis in vitia, magis etiam laſciuire cœpit: & quum vxorem Bertham alioqui non amaret, multas fouebat concubinas: deinde, paſſim in Saxonia caſtellis excitatis, in ſeruitutem eos redigere cogitabat, neque ſuos adminiſtros, qui libidinosè multa facerent & inſolenter, coërcebat. Saxones igitur tam proceres, quàm Epiſcopi, ſancito fœdere, de vindicanda libertate, arma capiunt, quæ vix tandem, poſt multam interceſſionem depoſuerunt, cùm poſtulatis eorum ille ſatisfeciſſet, fuga nocturna vix elapſus. Alexandro II. mortuo, Romani proceres, inconſulto Cæſare, ſubſtituerunt Hildebrandum, qui Gregorius dicitur, eius nominis ſeptimus. Eo cognito, Cæſar per legatos cum illis expoſtulat: ſimul Papam, vt ſibi

de eo ſatisfaciat, monet. Ille, ſe inuitum, nihilque tale cogitantem, ad hoc munus eſſe pertractum, nec inaugurari voluiſſe reſpondet, antè, quàm ipſe, ceterique Germaniæ principes electionem approbaſſent. Ita Cæſarem placauit, & ipſius voluntate poſtea fuit confirmatus. Miſſis deinde legatis in Germaniam, Epiſcopis aliquot, ſynodum per illos habere volebat: Epiſcopi verò noſtrates illud recuſabant, quod contra morem & nationis priuilegium eſſe dicerent. Quum hoc non ſuccederet, conſiliis aliquot habitis per Italiam, decernit, ne ſacrifici habeant vxores, verùm vt eas ab ſe dimittant, aut loco decedant. Hoc ſuum decretum, in Germaniam emiſſum ad Epiſcopos, vrgebat omninò ſanciri, conſtituta pœna: clerus autem, vti vocant, & ſacrificorum turba ſtrenuè reclamabat, hæreticum vocans, qui tam impium dogma proponeret: Chriſti dictum videlicet eſſe, quod non omnes verbum iſtud capiant: Pauli dictum eſſe, vt, qui non continent, vxorem ducant: iſtum autem, poſthabito Chriſti verbo, & contempta Pauli authoritate, velle homines cogere, vt legitimum & à Deo ſancitum vſum matrimonii proiiciant, & turpiſſimis flammis vrantur, & in manifeſta flagitia ruant: ſe potius ab Eccleſiæ miniſterio diſceſſuros, quàm

Digitized by Google

quam à matrimonio. Quum ille nihilo ſecius identidem miſſis internunciis, rem vrgeret, & acriter inſtaret, Moguntinus Epiſcopus ei morem gerere cogitabat: & primò quidem leniter ſuos monebat: poſt autem Erphurdiæ habito concilio, planè rem conficere volebat: ſed parùm abfuit, quin impetu facto trucidaretur. Interea Cæſar, vt anni ſuperioris ignominiam vlciſceretur quando circumſeſſus à Saxonibus, fuga ſibi ſalutem nocturno tempore quæſierat, arma parat, &, rupta pace, quam anno ſuperiori fecerat, quantas omninò poteſt, copias colligit, & menſe Iulio, Saxones, qui crebris legatis pacem fruſtra ſollicitarant, aggreſſus, ingenti prœlio vincit, non abſque magna clade ſuorum, deſideratis ex prima nobilitate non paucis. A victoria progreſſus, longè latéque fines eorum populatur, & per internuncios, vt ſeſe dedant, hortatus, à ſua benignitate ſperare omnia iubet. ſed id fruſtrà fuit, tametſi pauci quidam obtemperarunt. Saxonicum bellum gubernabant inprimis Halberſtadienſis Epiſcopus, Bucco, & Bauariæ dux Otho, profligatus à Cæſare. Moguntinus iterum ſollicitatus à Gregorio VII. concilium alterum habet, deque cleri cœlibatu denuò proponit: ſed eodem modo fuit exceptus vt nuper, inque magno ver-

ſabatur vitæ diſcrimine. Quare cogitationem hanc omnem ſibi deponendam eſſe iudicabat. Saxonibus profligatis, exercitum Cæſar dimiſerat,& principes auxiliares: verùm ea lege tamen, vt ad x i. calendas Nouembris iterum ſibi præſto eſſent armati. Cùm is dies veniſſet, aderant plerique,& in his Epiſcopi multi, ſed nō eo numero, quo prius. Ibi denuo Saxones de pace legatos mittunt, poſitis caſtris apud Northuſium: Cæſar hanc vnam eſſe pacis rationē oſtendit, ſi ſeſe dedant: & quamquam illi quiduis facturi potius viderētur, quàm hoc ipſum, tamen, quum interceſſores & legati à Cæſare miſſi viri principes ampliſſimè illis pollicerentur, fore nimirum, vt neque libertatis, neque bonorum facerēt vllam iacturā, aſſenſerunt tandem, inque poteſtatem eius venerunt, Magdeburgenſis, Halberſtadenſis Epiſcopi, Bauariæ dux Otho, Saxoniæ dux Magnus, Fridericus comes Palatinus: deinde ex reliqua nobilitate quàm plurimi. Cæſar initio quidem cuſtodias illis poſuit, non illiberales, verùm poſtea diſcedens à pactis, in diuerſa loca iuſſit eos deportari, Bauariæ verò ducem Othonem deinde non ſolum liberauit, ſed perfamiliarem etiam habuit, reliquos autem, neque miſſos fecit, & ipſorum bona dedit aliis diripienda: deinde

nouis

nouis caſtellis atque propugnaculis extructis, omninò ceruicibus imminebat & libertati Saxonum: toti verò adminiſtrationi per ſuam abſentiam præfecit Othonem Bauarũ, qui genus ducebat è Saxonia. Bambergenſibus deinde cõſtituit Epiſcopum, & Colonienſibus: & Fuldenſibus Abbatẽ. Delatus autem iam pridem ad Papam fuit, hoc nomine potiſſimum, quòd præfecturas Eccleſiaſticas diuenderet: itaque per legatos pontifex eum citat, vt intra certum diem Romæ ſit præſtò, cauſſamque dicat. Ille autem Wormatię conuentus agit Epiſcoporũ & Abbatum: ibi decernitur, quia malis artibus ad Pontificatum ille perueniſſet, remouendum eſſe loco: ſimul per legatos hoc Romam enunciatur. Sed Pontifex nihil eo commotus, & illum excommunicat, & Moguntinum, & Traiectenſem, & Bambergenſem Epiſcopos inprimis, quum antea quoſdam eius familiares excommunicaſſet, quorum conſiliis putabat eum ad eiuſmodi res impelli. Porrò, Germaniæ principes aliquot vehementer offenſi moribus ingenioque Cæſaris, præſertim quod præter datã fidẽ Saxones odio tã obſtinato perſequeretur, cõiurant in illũ, eoq; magis, quod ei ſacris eſſet interdictũ: ideoq; captiuos dedititios, quorũ ipſi cuſtodiã haberent ab Cęſare demãdatam,

dimittunt, quod nulla fide ſe putarent ei deuinctos. Eodem tempore, quidam ex nobilitate per Saxoniam concitatis aliis, & in ſuas partes adductis, caſtella paſſim extructa, partim vi & imperio, partim deditione capiunt, & præſidiarios dimittunt incolumes, iureiurando prius obſtrictos, ne pòſt in Saxoniam militarent. Eo cognito, Cæſar, aſtuto quodam cõſilio, reliquos principes captiuos vltrò dimittit, vt in Saxoniam reuerſi, fidelem operam ei præſtarent in plectendis rebellibus: nec enim alia ratione facilius ad optatũ finem ſe poſſe peruenire videbat, quàm ſi factiones inter ipſos excitaret, & alteros ab alteris diuelleret: Sed non reſpondit euentus: nam domum illi reuerſi, quòd perſpectũ haberent eius ingenium, coniunctis animis & viribus, pro communi libertate ſibi pugnandum iudicabant: idem quoque dux Otho fecit, illo deſerto: quumque bonæ ſpei plenus per Bohemiam Cæſar in agrum Miſenum irruiſſet, Bohemicis copiis adiutus, certior factus de cõcordia Saxonum, & exercitu iam inſtructo, rebus deſperatis abiit. Tunc demum Germaniæ principes, conſtituta die, maximo numero conueniunt: venit etiam eò legatus Papæ, & cauſſis explicatis, quamobrẽ eſſet excommunicatus, hortabatur eos, vt alterum crearent,

rent, quod illi ſua ſponte facturi erant alioqui. Nam inde à teneris annis repetita Cæſaris vita, labem & dedecus & opprobrium imperii illum eſſe demõſtrant: & quia grauiſſimis cladibus Rempublicam affecerit, abrogandum ei magiſtratum eſſe decernunt. In his anguſtiis ille poſitus, deprecari cœpit per legatos, atque ſupplicare. Poſt multam actionem hæc ei condicio proponitur: iudicio ſe ſiſtat, & cognitioni ſubiiciat Papæ, quem Auguſtam euocaturi ſint ad calendas Februarias: abſolutionem impetret illius ante diem anniuerſarium excommunicationis: niſi faciat, tota cauſa ceciderit: copias dimittat: Spiræ priuatus interim viuat, parua cum familia: publicam rem nullam gerat, neque faſces, vel imperii ſibi ſumat inſignia, donec legitimè ſit deciſa controuerſia. Recipit ille condicionem, & Spiræ dum eſſet, conſilium init adeundæ Italię, quò Papam ſibi mature placaret. Ingreſſus iter cum vxore & filiolo, per Burgundiam atque Sabaudiam, hyeme aſperrima, non ſine ſumma difficultate, vitæque periculo vix tandem in Italiam deſcendit, amanter exceptus à magnatibus & Epiſcopis eius regionis, quòd animo in pontificem irato illum eò veniſſe putarent. Pontifex interim, Germaniæ principum rogatu, ſuſceperat iter, & progreſ-

ſus aliquo vſque, de Cæſaris aduentu co-gnoſcit. Itaque ſubſiſtit, vt eius rei cauſſam intelligat. Cæſar deinde, miſſa legatione ſplendida, & in hac, fœminis aliquot illu-ſtribus, quas inter vna ferebatur obſequẽ-tior eſſe Papæ, de abſolutione pontificem orat: grauatè quidem ille primò, neque ſi-bi licere quidquam in eo facere dicebat, niſi coràm adſint accuſatores: poſt multam actionem expugnatus demum precibus, non abnuit. Cæſar autem, antequam in il-lius conſpectum veniret, totum triduum permanſit in arcis, vbi pontifex erat, area & veſtibulo, tenui, ſimplicique cultũ, de-poſitis regiis inſignibus, nudis pedibus, & ad veſperam vſq; ieiunus. Quarto demum die admiſſus eſt: ibi tum has ei leges Papa proponit: ſiſtat ſe cognitioni ſuæ: reſpon-deat accuſationibus principum: conuictus ab imperio decedat: neque vindictam vllo tempore moliatur: interea viuat priuatus: neque publico nomine aliquid gerat: fidẽ etiam & iuſiurandum ſuis remittat: conſi-liarios & familiares ab ſe remoueat: ſi quid contra faciat, nullum fore quod nunc ei detur beneficium, & principibus futurum eſſe liberum, vt mox alium ſibi deligant. Has leges vbi probaſſet ille, Papa miſſifi-cat: & vt de criminibus intentatis ſeſe pur-garet, panem azymum, quem corpus Do-

mini

mini vocant, ſumit, magnis imprecationibus caput ſalutemque ſuam deuouens, niſi conficta ſint ab aduerſariis omnia: deinde Cæſarem, ſi principum criminationes obiectas eſſe falſas, & iniuriam ſibi fieri putet, hortatur vt idem ipſe faciat, & alteram conſecrati panis particulam ſumat: quum autem ille excuſaret, neque ſe commodè iam hoc poſſe facere doceret, nihil amplius vrgebat Papa, ſed exceptum conuiuio perhumaniter dimiſit. Ea re cognita, proceres Italiæ vehementer offenſi fuerunt, quòd tam fœdè, tamq; indignè ſe ſubmiſiſſet illi, qui peſſimis artibus Papatũ inuaſiſſet, qui cædibus & adulteriis omnia polluiſſet: in ipſo, qui iuſtitiæ ſit patronus, & ara præſidiumq; legum, omnem ſeſe ſpem habuiſſe collocatam, & non ſolùm excommunicationem cõtempſiſſe, verùm etiam in eius gratiã acres cũ Papa exercuiſſe inimicitias: nũc verò ipſum turpiſſimo planè ad omnem poſteritatẽ exemplo, grauem hanc & indelebilẽ imperio maculã inuſſiſſe, cumque publico tam Eccleſię, quàm Reipub. hoſte in gratiam rediiſſe. Hęc & id genus alia multa iactabant, deq; filiolo Cęſaris eligendo, Romamq; traducẽdo, & deiiciendo põtifice cogitabant. Cæſar, eo cognito, nulla ſe ratione melius poſſe placare illos videbat, quàm ſi à pactione diſcede-

ſuadet: cuius deinde fuit imperator, Godefridus Bulionius, qui feliciter multa geſſit, ac Hieroſolymam recuperauit.

Vrbani ſucceſſor, Paſchalis II. infeſtus quoque Cæſari fuit. Profecturus igitur eius rei cauſſa in Italiam, filium ſibi ſucceſſorem Cæſar deſignat. Is autem extimulatus ab aliis, & oblitus officii, quod natura nobis inſitum eſt, in ſummas anguſtias parentem coniecit, & abdicare ſe magiſtratu coëgit: quum & Papam & pleroſque Germaniæ principes haberet ſui conſilii factique ſocios. Itaque Cęſar factus eſt, eius nominis quintus, patre Leodii poſt mortuo in ærumnis. Aliquot poſt annis in Italiam vadit ingenti cum exercitu, vt diſſidium, quod erat inter Rempublicam Imperii & pontificatum, componeret, & ferro patefacta ſibi via Romam demum venit. Cæterùm, inde à Conſtantino, Cæſares conferebant honores ac dignitates Eccleſiaſticas: id autem ægrè tãdem tulerunt pontifices opibus amplificati, quaſi rem indignã, eaque de cauſſa pleræq; ſimultates omnes inter ipſos exarſerunt. Hic ergò Cæſar, quum ius atque poteſtatem ſuam vrgeret, magnus eſt Romæ natus tumultus, ita quidem, vt excitatus noctu Cæſar, ſubuenire ſuis, qui paſſim cædebantur in vrbe, cogeretur. Profligatis autem factioſis Paſcha-

Digitized by Google

lem II. capit, neque prius, quàm ſibi factum eſſet ſatis, dimiſit, ſancito fœdere: ſed reuerſo in Germaniam Cæſare, Pontifex à pacto diſcedit, quod ſanctiſſimis verbis iurauerat, & Cæſarem excommunicat. Ea res multos Germaniæ principes ad rebellionem commouit, & in his præcipuè Moguntinum. Cæſar in Italiam profectus, legatos ad pontificem mittit de pace, ſed inter agendum moritur pontifex: ei ſuccedit Gelaſius II. Cæſar quod de electione non eſſet interpellatus, Romam venit, & alium conſtituit: Gelaſius eiectus, Cæſarem & Papam ab eo conſtitutum excommunicat: quumque per Germaniam eius legati defectionem ſuaderent, ac principes idcirco conueniſſent, domum redire Cæſar coactus eſt: ſed interea mortuo Gelaſio, Romani Calixtum II. eligunt. Is loco deturbat eum, quem odio Gelaſii Cæſar creauerat, & intercedentibus nonnullis, cum Cæſare tranſigit.

Henrico V. ſuccedit Lotharius eius nominis tertius, è Saxoniæ ducum familia. Hunc Sueuiæ dux Conradus oppugnabat, indignè ferens ad Saxones rediiſſe rerum ſummam, & in Italiã profectus, occupandi regni cauſa, cum interim Lotharius Germaniam teneret, deſtitutus auxiliis, domum rediit, pacemque cum Cæſare fecit.

Erat

Erat tum Romæ Pontifex Innocentius II. Huic aduerſabatur Anacletus:& quoniam ampla natus erat familia, cedere fuit coactus Innocentius: verùm implorato Cæſaris auxilio, reſtitutus eſt. In Germaniam reuerſus, & ibi rebus compoſitis, in Italiam redit Cæſar ingenti cum exercitu: ciuitates aliquot rebellãtes domat, & in his Anconam atque Spoletum: Siciliæ regem Rogerium ex Apulia & Campania profligat, & inde à Carolo magno vix alius maiora per Italiam egiſſe fertur. In lucẽ quoque tunc reuocatum fuiſſe traditur, bellorum tempeſtatibus oppreſſum ius ciuile, quod Iuſtiniani Cæſaris mandatu conſutum eſſe diximus.

Succeſſorem habuit Conradum Sueuiæ Ducem. Bauariæ dux tum erat Henricus, cognomento Superbus, & idem Saxoniæ dux per matrimonium, quod Lotharii Cæſaris eſſet gener. Is imperium affectans, & multa molitus in Cæſarem, proſcriptus fuit, eiusq; poſſeſſiones aliis conceſſæ. Henricus autem recuperata Saxonia, quum in Bauariam contenderet, mortuus eſt relicto filio: in cuius gratiam Saxones rebellabant Cæſari, nec id modò, verumetiam Welpho, Henrici mortui frater, armis ſibi vendicabat Bauariam, eiecto Lupoldo, cui Cæſar eam prouin-

ciam dederat. Paulò antè diximus, quemadmodum regem Siciliæ Rogerium Cæſar eiecerit, quum autem ad hunc modum tumultuaretur Germania, Rogerius occaſionem nactus, inuaſit Siciliam, & Cæſaris præfectum exturbat: deinde Welphonem magnis inſtigat pollicitationibus, vt pergat faceſſere negocium Cæſari: facit idem Hungariæ rex, & ipſe Cæſarem metuens. Tandem profectus in Saracenos & amiſſo exercitu, domum reuerſus, quum in Italiam proficiſci cogitaret rebus omnibus inſtructis, Bambergæ mortuus eſt.

Succeſſit ei fratris filius, Fridericus Aënobarbus, Sueuiæ dux, eius nominis primus, heroici vir ingenii. Is initio regni, principes Germaniæ pacauit, & diſſidium illud, quod erat de Saxonia Bauariaque ſuſtulit, poſt magno cùm exercitu Italiam adit: Veronenſes, à quibus erat contemptus, mulctat, & exempli cauſſa, primis aliquot laqueo gulam frangit. Circa Placentiam excubias ſibi fieri iubet, à principibus omnibus, Imperii beneficiariis: Mediolanum obſidet, Aſtam diruit, Dertonam complanat. Romam profectus conſecratur ab Adriano IV. ciues tumultuantes opprimit: Spoletum euertit, vaſtamque cædem facit: Langobardos domat, & ſuperatis inſidiis, quas Veronenſes ei collocaue-

locauerant, in Germaniam redit: Palatinum principem, qui ſe abſente turbas excitauerat, ignominioſè mulctat: Bohemiæ ducem conſtituit regem. Interea Mediolanenſes multa ſuperbè faciebant in vicinos, & Dertonam à Cæſare dirutam, reſtaurabant: itaque cum ingenti exercitu reuerſus, Mediolanum expugnat, adiutus à Cremonenſibus, à Papianis, & Nouarianis: capta vrbe, parcitum eſt multitudini, principum Germaniæ interceſſu, quibus illi ſupplicauerant. Langobardia tota in ſuam poteſtatem redacta, legibuſque conſtituta ciuitate, diſcedit ad alios ibi populos. Poſt eius abitum illi rebellant, leges præfixas contemnunt, munitiones ab eo factas demoliuntur: rurſus igitur eò profectus, agrum totum populatur, &, quidquid ipſorum ditionis erat, euertit. Interea graues fiunt aduerſus illum per Italiam conſpirationes: in his etiam erat is, quem diximus, Adrianus Papa, qui quum planè ſtatuiſſet eum excommunicare, mortuus eſt. In Italiam tertiò profectus Cæſar, Mediolanum funditus euertit, rebellionis authores capite mulctat, reliquam multitudinē in exilium ire cogit, &, Romam obſidens, magnam exercitus partem ex morbi contagione deſiderauit. Soluta igitur obſidione, &, per Hetruriam collocatis præſidiis,

Spoleti, Anconæ, Rauennę conſtitutis pro ſuo arbitratu, qui Rempublicam gererent, in Germaniam redit. Adriano pontifice mortuo, duo de principatu contendebant, abſente Cæſare, Victor & Alexander III. In Victorem Cæſar quidem magis inclinabat: ſed Alexander, competitorem, pòſt etiam, augeſcente diſſidio, Cæſarem excommunicat. Eam occaſionem, conſpicati Mediolanenſes rebellionem faciunt, Cæſariſque præfectos in multis Italiæ locis eiiciunt, quoſdam etiam laqueo ſuſpendunt. Regreſſus igitur in Italiam dubio marte cum illis confligit: pontifex belli ſocius profugit Venetias. Facta demum pace per inducias, in Aſiam profectus, aduerſus Chriſtianæ religionis hoſtes, & oppreſſus impetu fluminis in quod lauandi cauſſa ſeſe dimiſerat, periit.

Succeſſor ei fuit filius, Henricus, eius nominis ſextus. Is, mortuo Siciliæ rege Gulielmo, Rogerii filio, quum in Italiam ſecundò veniſſet, Apulia & Calabria deuictis, Neapoli quoque capta, Siciliam domat, magnis ibi relictis præſidiis, propter mobile gentis ingenium. Deinde Rauennæ & Anconæ, perque Apuliam & Hetruriam, optimates conſtituit: quum deinde filium ſuum Fridericum, adhuc infantem, imperii ſucceſſorem deſignaſſet, de voluntate

tate Germanię principum, in Siciliam profectus, vitam finiit. Et, quoniam ætate puer erat Fridericus filius, vt dictum eſt, plerique omnes, Philippum, eius patruum, ſuſcipiendum iudicabant: ſed vehementiſſimè Romanus pontifex obſtabat, Innocentius III. Diuiſis autem principum animis, quum hi Philippum, alii verò Saxoniæ ducem Othonem crearent, magnus ex ea re motus fuit exortus, pręſertim ad oram Rheni. Philippus verò, partim armis, partim humanitate ſumma deduxit aduerſarios ad officium: ac deinde pacē cum pontifice quoque fecit, quem expertus erat infeſtiſſimum.

Occiſus deinde in cubiculo, ſucceſſorem habuit eum, de quo diximus, Othonem, Saxonię ducem, qui in pontificis odium incurrit, quem prius habuerat amiciſſimum. Tandem etiam excommunicatus eſt ab illo, ideoque habitis comitiis, principes electores à pontifice ſollicitati, vt alium crearent, Henrici ſexti filium, Siciliæ regem, Fridericum, cui fidem dederant adhuc infanti, vt paulò ſuprà diximus, euocant è Sicilia. Occurrit quidem illi Cæſar Otho cum exercitu ad Rhenum vt tranſitu prohiberet: ſed eiectus & in Saxoniam reuerſus, mœrore, vt creditur, interiit.

Atque ita Fridericus eſt factus Cæſar, eius nominis II. Friderici Aënobarbi Cæſaris è filio nepos. Innocentius III. de quo dictum eſt antè, concilium habuit Romæ, Lateranenſe vocant; ibi decretum inter alia fuit: Vt chriſma ſimul & Euchariſtia, quam dicunt hoſtiam, ſub claui ſeruentur; vt quotannis priuata fiat confeſſio peccatorum: vt electio, facta per ciuilem magiſtratum in ſacris beneficiis, vim nullam habeat: ne, qui ſunt ordinis Eccleſiaſtici, fidelitatem iis, qui laici dicuntur, ſine cauſſa promittant: ne conſtitutiones principum Eccleſiis præiudicent: vt ab omni contributione ſint immunes Eccleſiaſtici: ne tributa ſoluantur ante decumas: ne diuorum reliquiæ monſtrentur extra capſulam. Adhæc, graue tum erat inter Græcos atque Latinos diſſidium: nam ſuper quibus aris Latini miſſificaſſent, eas contrectare Græci nolebant, niſi prius lauiſſent eas & expiaſſent: deinde baptiſatos à Latinis rebaptiſabant. Fit ergò decretum, vt ad Eccleſiam Romanam matrem ſuam reuertantur, quò ſcilicet ouile ſit vnum & vnus paſtor: niſi pareant, excommunicati priuantur ordine. Romam profectus Fridericus, ab Honorio III. conſecratur. Qui paſſim erant per Italiam rebelles, domat, quoſdam autem proſcribit. Ex iis nonnulli Romam

confu-

confugiunt,&Pontificis opem implorant. Ea res maximi diſſidii dedit occaſionem: nam ſuos aduerſarios habere portum ibi atque domicilium, Cæſar moleſtiſſimè tulit. Gliſcente odio, filium ſuum Henricum de conſilio principũ deſignat imperii ſucceſſorem, & principes Cremonam euocat ad conuentum: ſed cùm aditu prohiberentur, factione pontificis & Langobardorũ, in Apuliam Cæſar reuertit, & aliquanto poſt moritur pontifex, eique ſuccedit Gregorius IX. qui Cæſarem excommunicat, quod profectionem in Turcas, cui ſe voto aſtrinxiſſet, non ſuſciperet. Cæſar deprecatus offenſionem, ſeſeque purgans, cùm nihil proficeret, Romam petit, pontificem deiicit, eiuſque ſocios grauiter mulctat, & altero indicto Rauennæ conuentu impeditur à Pontifice profugo, qui paſſim ei multos excitauerat aduerſarios. Mortua demum vxore, Cæſar, vt promiſſa præſtaret, ac Reipublicæ conſuleret, profectionem in Aſiam ſuſcipit: per ipſius abſentiam verò pontifex bellũ facit, & Apuliã occupat. Re feliciter geſta, multisq; locis recuperatis, & in his Hieroſolyma, certior factus de Italiæ ſtatu, Cæſar, pactusq; cum hoſte decem annorum inducias, redit cum exercitu, ſuaque facile recuperat. Pontifex nouo fœdere ſe communit Italiæ pro-

cerum, quos Cæſar mulctauerat, ac deinde rurſus eum excommunicat, quod cum hoſte pepegiſſet. Cæſar, quietis amans, per legatos agit de pace, quam vix demum impetrauit, ac in Germaniam idcircò redit. Pontifex autem, quum naturam mutare non poſſet, vaſtato Viterbio, Cęſarem rurſus excommunicat. Ea re commotus vehementiſſimè Cæſar, fremens & iratus in Italiam redit: per Hetruriam, per Vmbriam, per Langobardiam, per oram Paduanam, mulctat omnes rebelles: pontifex idcircò ingeminat excommunicationē, & Venetos fœdere ſibi coniungit. Cæſar per Italiã graſſatus, & pleriſque omnibus ad officium reductis, Romam obſidet, neque multò pòſt moritur Gregorius Pontifex, cum Rauennam ſuos euocaſſet ad concilium, quò tamen illi, viis omnibus obſeſſis à Cæſare, peruenire non poterant: quidam etiam capti fuerunt.

Hic ille eſt, qui Decretales, vti vocant, Epiſtolas cõſarcinauit, magnam iuris pontificii partem plurimis onuſtam commentariis. Qua quidem in re mirum videri poſſit, eſſe homines, qui tantum elaborare velint, vt ea, quæ parum aptè, perperam etiam & minùs prudenter atque piè, ſed & ridiculè dicta ſunt, tamquam oraculum aliquod

liquod mordicus arripiant, & in iis interpretandis, enucleandis, veſtiendis, omnem operam & ætatem conſumant, quaſi eò conducti eſſent, vt alienam ſtultitiam & errorem, vigiliis & labore ſuo maximo defendant, & in alterius impudentia, ſui pudoris exiſtimationem amittant. Illud quod Gratiani decretum vocant, diuerſis locis habet inter alia: Sequendam eſſe regulam Eccleſiæ Romanæ, quæ ſit beati Petri ſedes: Non licere concilium habere, niſi permittente Romano pontifice. Leges Eccleſiæ Romanæ ſeruandas eſſe, tamquam ipſius Petri voce pronunciatas. Quod Eccleſia Romana iugum imponit, etiamſi tolerabile non ſit, eſſe perferendum: Eccleſiæ miniſtros debere caſtitatem promittere, ne videlicet ducant vxores: Ei, qui non habet vxorem, licere concubinã habere: Papam in ſuo munere negligentem & remiſſum, nocere quidem, tum ſibi, tum aliis, verumtamen à nemine poſſe iudicari, quod omnes ipſe iudicet: Imperatorem debere ſubeſſe Papæ, non præeſſe: Reliquos omnes mortales ab hominibus iudicari, Papam verò, Petri ſucceſſoré, à ſolo Deo: Papæ licere populum eximere à fide & iureiurando, quo principi ſuo tenentur. In Gregorii Decretalibus epiſtolis, & Sexto Bonifacii & Clementinis, &

Extrauagantibus, vti vocant, eſt inter cetera: Decretis conciliorum auctoritatem Papæ non ſubiici: Pontificis eſſe, Cæſarem electum approbare, vel minus idoneum reiicere: Duo præeſſe mundo luminaria magna, Solem atque lunam: Solis loco Papam eſſe, Cæſarem verò Lunæ: De adulterio & aliis criminibus, quod minora ſint, Epiſcopis licere cum iis, qui deliquerunt agere remiſſius: De Eccleſiæ Romanæ priuilegiis Papam ſolum cognoſcere: Excommunicatorum oſſa iam ſepulta debere exhumari & proiici. Papæ licere, imperatorem remouere loco & magiſtratu. Cæſarem teneri, vt fidem & fidelitatem pontifici præſtet, per iuſiurandum: Eccleſiaſticos oportere ſolutos ac liberos eſſe ab omni ſumptu, moleſtia, munere: Poſt mortem poſſe aliquem declarari hæreticum eiuſque bona publicari. Filios hæreticorum ad præfecturam vllam ciuilem, aut ſacram non debere admitti: Ad ſalutem eſſe neceſſarium, vt omnes homines Pontifici Romano ſubſint. Hæc paucula, ex ingēti aceruo deſumpta, cuiuſmodi ſint nemo ſanæ mentis eſt, qui non videat. Lex eſt, vt eam definiunt homines doctiſſimi, ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Lex autem omnis ad communem vtilitatem referri, & legiſlator

lator ſic erga multitudinem atque Rempublicam affectus eſſe debet, vt pater ſuos erga liberos: quid autem in iis, quæ dicta ſunt, ſimile apparet? Ea verò non excuſare tantum, ſed etiam veſtire, & ornare, & illuſtrare nouis commentationibus, & quiduis dicere potius, quàm pati dignitatem illorum imminui, quæſo, cuius hoc eſt impudentiæ, ne quid grauius dicam? Si faſtus & auaritia, & dominandi cupiditas, & litterarum inſcitia perſuaſit illis, vt eiuſmodi facerent decreta, ſi ſententiis ipſi variant, nec alii volunt aliorum aſtringi legibus, quòd pari ſint poteſtate prędíti, quęſo, cur te maceras, vt diſtorta & repugnantia componas & concilies? Omitto pelagus illud aut ſentinam verius, eam videlicet iuris papiſtici partem, quæ beneficiorum, vti vocant, & bonorum ſacrorum nundinationem continet. Quis enim fraudes atque technas enumerare poſſit? ne ipſi quidem, qui plurimis annis in eo mercaturę genere verſati ſunt, ſatis etiam omneis intelligunt aut norunt, quando nouæ ſemper excogitantur: ſed hoc argumentum & tempus aliud, & librum ſingularem poſcit: nunc ad propoſitum redeamus.

Vt Fridericus Cæſar, ita Galliæ quoque rex, Ludouicus, eius nominis nonus, in Syriam & Ægyptum cum exercitu penetra-

uit, & pòſt in obſidione Tunetæ vrbis vitam finiit, anno ſalutis mcclxx. Eo regnante, Guilielmus, Epiſcopus Pariſinus, quæſtionem propoſuit de beneficiis Eccleſiaſticis re palàm diſceptata vicit ea ſententia, non eſſe fas cuiquam habere plus vno: ſed eiuſmodi decreta ſatis eſt recitaſſe tantum atque ſcripſiſſe. Gregorio ſucceſſit Innocentius iv. ad quem, velut hereditaria ſucceſſione, venit odium Cęſaris. Itaque Lugduni indicto concilio, Cæſarem euocat: non venientem excommunicat, dignitate priuat, hortatus Germanię principes, vt alium eligant: & hoc quidem eius decretum eſt, inter alia, typis excuſum, quemadmodum & Cęſaris quædã extant ad diuerſos reges Epiſtolæ, quibus & pontificum iniquitatem, & ſuam prolixè demonſtrat innocentiam. Decreuerat Cæſar proficiſci Lugdunum & periclitari fortunam: ſed orta denuò rebellione per Italiam, vires omnes eò conuertit, & quum minus feliciter res gereretur, in Apuliam reuerſus, cœpit languere, ac demum mortuus eſt. Alii periiſſe veneno, alii ſtrangulatum fuiſſe dicunt à filio ſuo notho, Manfredo, qui Italiam pòſt inuaſit. Erat tunc magni nominis Azo iureconſultus, quem deinde ſequuta fuit ingens illa ſcriptorum turba, qui, violato Iuſtiniani Cæſaris edicto, gra-

cto, graui quidem illo atque ſeuero, mundum referſerunt innumerabilibus libris, vnde nunc petenda ſunt ea, quæ veteres illi copioſiſſimè doctiſſiméque tractarant. Nam aliorum alii ſcrinia compilant: neque ſcribendi finis eſt vllus aut modus, & opinionibus contrariis omnia redundant, vt propriè locum hîc habeat, quod ſenex ille dicit, quum treis de Iure conſuluiſſet: Feciſtis probè, incertior multo ſum, quàm dudum. Omitto technas, quæ plures quotidie excogitantur. Planè enim hîc accidit, quod Comicus inquit, vt in aſtu veniat aliud ex alio malum. Præclarè multa legibus eſſe conſtituta, ſed ea Iureconſultorum ingeniis pleraque corrumpi Cicero queritur atque deprauari: quid ſi nunc viueret, & pyramides illas librorum & praxin noſtram, & ſacrarium illud legum tam fœdè pollutum, miſeréque contaminatum eſſe videret? Quamquam ſanè, ſicut alias artes omnes in lucem Deus hac noſtra memoria reduxit, ita quoque multos excitauit, qui bonarum litterarum inſtructi præſidio non pœnitendā operam in hac etiam parte collocant, vt rem videlicet pulcherrimam, hominumq; ſocietati planè neceſſariam, immò donum cœleſte, depromptum & hauſtum ex mediis Philoſophiæ fontibus, nitori ſuo reſtituant, &

æquitati. Qui quidem ipſorum conatus, publicam non modo laudationem, ſed remunerationem quoque meretur.

Ab eius morte per annos xxii. fere fuit interregnum; quum ſubinde alii, & alii eligerentur, qui tamen in ea temporũ perturbatione ſummam rei non tenebant. Interea regnum Neapolitanum à familia Friderici Cæſaris in poteſtatem Gallorum deuenit, ac pòſt etiam Sicilia. Nam Gallicis armis tum nitebantur pontifices: quanquam deinde grauiſſima bella ſuper his regnis orta ſunt inter Arragoniam & Andegauenſem Gallicam familiam. Verùm hęc non ſunt huius loci. Quum in eo ſtatu fluctuaſſet tot annis reſpublica, ſicut dictum eſt, Rudolphus Habsburgius creatur Cæſar. Is initio regni, motus, qui paſſim erant per Germaniam, componit: inde conuentibus aliquot actis, Bohemię regem, Ottacarum rebellantẽ inuadit, & ad pacis conditiones cogit, quas tamen ille, ſuæ coniugis impulſu, non multò pòſt violat, & in Auſtria ſecundò congreſſus, in prœlio interficitur. Rudolphum adiuuabat Vngarię rex, Ladislaus Chunus. Pace demum facta cum Bohemis, per matrimonia, Cęſar filio ſuo Alberto Auſtriam dedit, quam multis annis Bohemiæ rex poſſederat. Impeditus autem variis Germaniæ negotiis, non eſt in Ita-

in Italiam Cæſar profectus: quamquam alioqui non multum huc inclinabat: & per iocum fertur narraſſe fabulam aliquando de vulpe, quæ leonem ſimulatè ægrotantem, quodam in ſpecu, non adibat, quod veſtigiis aliorum animantiũ terreretur, ex quibus nulla rediiſſent. præfectum tamen in Italia conſtituit, ac velut imperii vicarium: deinde Flaminiam & Exarchatum, de quo non ſemel diximus, Eccleſiæ Romanæ confirmaſſe traditur, quum tenuis admodum fructus ex iis locis ad ipſum rediret. Perpetuis enim ſimultatibus & Paparum inimicitiis defatigati Cæſares, facti ſunt paullatim remiſſiores. Nec enim prius acquieuerunt pontifices, quàm illos extra fines Italiæ ſubmouiſſent: & quia regum Galliæ præſidiis ferè nitebantur, ac per Epiſcopos Germaniæ factiones alebant, effecerunt tandem, quod pridem animo concupiuerant. Hìc verò memoria repetendum eſt, quę ſit facta rerum viciſſitudo, quando illi, qui beneficio Cæſarum incolumes fuerunt, vitamque tolerarunt, & locum ſuum atque dignitatem retinuerunt, amplificati bonis illorum atque munificentia, dominatum ſibi ſumpſerunt in eos, & patrimonio quoq; fraudarunt. Non ſolùm enim Italiæ bonam partem occupant, ſed Siciliæ quoque reges atque Nea-

polis arctè ſibi deuinxerunt. Nam hi & tributum illi annuum dependunt, & dignitatem imperatoriam ſuſcipere prohibentur, niſi permiſſu illorum, & quum in poſſeſſionem ab eis mittuntur, hoc ipſum iurant inter alia. In Rudolphi tempus incidit illa memorabilis Gallorum clades per Siciliam. Quum enim inſulam hanc tenerent, & more militari multa facerent inſolenter atque libidinosè, per occultam coniurationem, dato ſigno, paſſim trucidati fuerunt omnes, quum ad preces veſpertinas campanæ impellerentur. Facinus hoc vulgò vocant *Veſperas Siculas*. Fuit hoc anno MCCLXXXI. die Paſchatis. Accepta pecunia, Rudolphus, Italiæ ciuitates multas, quæ ditionis erant Imperii, liberas & immunes fecit, Bononienſes, Florẽtinos, Genuates, Lucenſes, & alios. Conuocatis deinde Francofurtum principibus, filium ſuum Albertum deſignari ſibi ſucceſſorem fruſtrà petebat.

Mortuo ſucceſſit Adolphus, familiæ Naſſouicæ, qui non multò poſt inimicitias exercere cœpit cum Alberto, Auſtriæ duce: quumque ſuis moribus Germanię principes admodum offenderet, ac ipſum quoque Moguntinum, cuius opera factus erat Cæſar, loco remouetur, & eligitur Albertus, Auſtriæ dux, Rudolphi filiꝰ, qui, cõtractis co-

ctis copiis & adiutus à principibus, Adolphũ petit,&commiſſo prœlio,in agro Spirenſi,Adolphus ab Alb. grauiſſimè ſauciatus,à reliqua multitudine pòſt interficitur.

Poſt eam victoriam Albertus, confirmandi ſui cauſſa, ne quis priorem electionem eſſe vitioſam diceret, ſolenniter creari Cæſar petiit. Ea re perfecta, Bonifacius octauus Pontifex reclamabat, neque ratum habere voluit,quod reliqui Principes feciſſent. Quum autẽ aliquanto poſt grauiſſimum eſſet natũ diſſidium inter ipſum, & Philippum Pulchrum, Galliæ regem, approbauit Albertum, in eiuſque familiæ laudem multa dicebat. Albertus demum à ſuis propinquis interfectus eſt; quum rebus omnibus inſtructus iter ſuſcepiſſet, vt Bohemis filium ſuum Fridericum obtruderet regem. Bonifacius hic Gregorii noni decretalibus Epiſtolis, quæ libris quinque continentur, alterum volumen adiecit,quod Sextum vocat. Inter alia ſtatuit licere Pontifici,abdicare ſe Papatu. Nam ipſe non bonis artibus illud Celeſtino V. cui ſucceſſit,perſuaſiſſe ſcribitur.

Ab Alberto fit Cæſar, Henricus, eius nominis ſeptimus, è familia Luceburgica. Is filio ſuo Iohanne per matrimoniũ facto Bohemiæ rege,proficiſcitur in Italiam,cuius quidem ſtatus tunc erat miſerrimus.

Nam inde à morte Friderici II. Cæſaris, per annos circiter LVII. neglecta fuit à noſtris Imperatoribus Italia: quò factum eſt, vt variè dilaceraretur ab iis, qui potentiores erant, præſertim à Guelphis & Gibellinis, quæ duæ factiones plurimas habent iis in locis clientelas. Primùm ergò per Langobardiam præfectos conſtituit oppidis ac municipiis, & iureiurando ſibi populos aſtringit: deinde Mediolani commoratus aliquandiu, fruſtra conatus eas, de quibus modò dixi, factiones conciliare: quumq; eius vrbis præfectus, Turrianus, illum ex improuiſo cogitaret opprimere, patefacta coniuratione, & repulſis aduerſariis, Vicecomiti præfecturam vrbis committit. Quæ ſunt eius regionis vrbes omnes illius fidei ſe permittebant atq; poteſtati: ſola Brixia rebellabat, quam longa captam obſidione, mœnibus nudauit. Inde per Genuam profectus & Piſis facto itinere, Romam venit, coronatus ab aliquot Cardinalibus, quoniam Pontifex Romanus, Clemens V. vrbe relicta, migrauerat in Galliam, & Auenione habitabat. Quum ab eo iuſiurandum exigerent Cardinales, quod Pontifici præſtandum eſſe dicerent, ille recuſabat, neque tale voluit eſſe quo Papæ deuinciretur. Ea re cognita, pontifex, augendæ potentiæ cauſſa, formulam illam

illam generalem iuriſiurandi latiſſimè poſt explicauit, & reliquis decretis, quæ nunc extant, inſeruit. Nam ipſe quoque leges multas compoſuit, quæ nomen ab eo retinent, & *Clementinæ* dicuntur. Ad hoc tempus, illi, qui *Templarii* vocantur, quorum ingentes erant opes, eodem impetu, diuerſis locis trucidati fuerunt, & extincti. Galliæ rex Philippus Pulcher, magnam facultatum ipſorum partem, permiſſu Pontificis occupauit. Damnatum deinde fuit nomen eorum atque memoria: & in concilio Viennenſi, quod per Galliam erat, ipſorum poſſeſſiones attributæ fuerunt iis, qui Rhodii dicuntur equites. Hoc etiam tempore Philippi regis, & Papæ Clementis authoritate fuit Aurelianenſis academia conſtituta.

Mortuo tandem Henrico non abſque grauiſſima veneni ſuſpicione; ſepultoque Piſis, acerrimæ contentiones ortæ ſunt in Germania ſuper electione. Nam de principatu contendebant Fridericus, Auſtriæ dux, Alberti Cæſaris filius, & Ludouicus, Bauariæ dux: Ludouicum Aquiſgrani, Moguntinus Epiſcopus: Fridericũ verò, Bonnæ, Colonienſis inaugurabat. Iohannes autem XXII. Pontifex Romanus vtrumq; ſalutabat Cęſarem: in Fridericum tamen propenſior. Quæ quidem res magis etiam

ſimultatem incendit. Collectis vtrimque copiis, magna vi dimicatur ad Eslingam, Sueuiæ oppidum, ſed æquo ferè marte: deinde rurſus maiori impetu in Bauaria: quo quidem in prœlio captus eſt Fridericus, bona ſuorum militum parte deſiderata. Dimiſſus tandem, domumque reuerſus, aliquot pòſt annis moritur. Ludouicus ergo rerum potitus, Italiam cum exercitu petit, quamuis inuito pontifice: municipiis & oppidis paſſim conſtituit præfectos: deinde Mediolani coronatur ab Archiepiſcopo, & miſſis Auenionem legatis ad Papam, ſemel atque iterum, de ſolenni inauguratione, quum nō impetraret, Romam proficiſcitur, vbi Mediolani res conſtituiſſet. Magna cum gratulatione exceptus Romæ, coronatus eſt, ab vno & altero Cardinali. quumque Pontifex ingeminaret excommunicationem, ille, de conſilio procerum, Papam alterū creat. Ad hunc modum flagrabat odium inter eos longè vehementiſſimum, & intercedebant grauiſſimæ vtrimq; criminationes. Annales Galliæ tradunt Carolum Pulchrum, regem, Philippi filium, omnium primum Iohanni Papæ decumas in Galliis permiſiſſe bonorum ſacrorum, & prædam inter ipſos fuiſſe diuiſam, pontificē autem hoc ſollicitaſſe potiſſimum, vt in Cæſarem ei pecunia

ſuppe-

ſuppeteret. In Germaniam reuerſo Cæſare, moritur Papa: ſucceſſor eius Benedictus XII. Cæſarem & ipſe excommunicat, & dignitate priuat. Francofurtum ergò conuocatis principibus, graui habita oratione, Cæſar, de pontificum iniuriis queritur, fidei ſuę rationem exponit, vetuſtas Imperii leges profert & explicat: ſimul oſtendit, quàm nihil ad Epiſcopum Romanum pertineat Imperii reſpublica: nam qui de voluntate principum ſit electus, eum eſſe reuera Cęſarem, etiamſi nullus interueniat pontificis vel aſſenſus, vel conſenſus, vel conſecratio: totum enim iſtud, quandam eſſe ceremoniam, quæ paullatim irrepſerit, & nunc nimium aucta ſit, non abſque magno Imperii tum dedecore, tum detrimento. Mortuo demum Benedicto ſuccedit Clemens VI. qui longe fuit omnium violentiſſimus, & conditiones proponit vehementer ignominioſas, iiſque repudiatis acerbior multò factus, grauiſſimè monet principes, vt alterum eligant, eiuſque rei tempus etiam præfinit: niſi faciant, ſe daturum operam, ne diutius Eccleſia patrono careat & aduocato. Fluctuante ad hunc modum Republica, quum interea mortem obiret Ludouicus, eligitur Bohemiæ Rex, Carolus, Iohannis filius,

Henrici VII. nepos. Paullò ante hoc tempus maximi belli nata fuit inter Gallos & Anglos occaſio. Cùm enim Carolus Pulcher Galliæ rex, non relictis liberis maribus, è vita diſcederet, quod fuit anno MCCCXXVII. Eduardus Angliæ rex, eius nominis tertius, quod eſſet Caroli ſororis Iſabellæ filius, regnum ſibi deberi contendebat: proceres autem Galliæ, qui dicuntur pares, ad Philippum Valeſium, mortui regis Caroli patruelem, rei ſummam deferunt, excluſo non ſolùm Eduardo, ſororis filio, ſed etiam regis filia poſthuma, quod eius regni hereditatem ad filias minimè pertinere dicerent. Hinc bellum grauiſſimum, quod ne nunc quidem eſt conſopitum.

Carolus eius nominis quartus, Cæſar, initium habuit regni turbulentum. Delata fuit etiam ſumma rerum Eduardo Angliæ regi, verùm is impetitus bello Gallico, recuſaſſe traditur. Poſt varias deinde ſimultates in Germania ſedatas, Carolus in Italiam proficiſcitur, deque conſenſu Papæ Innocentii VI. qui in Galliis erat, Romæ coronatus ab aliquot Cardinalibus, ea lege, ne vel Romæ, vel in Italia diutius hæreret, Mediolanum redit, & familiæ Vicecomitum, qui tunc Mediolani multum poterant, conceſſit, vt per Langobardiam eſ-

ſent Cęſaris perpetui vicarii: cuius quidem beneficii cauſſa, ingentem pecuniæ vim ab illis accepit, nec ab iis modò, verùm ab aliis etiam populis, quibus aliquid eſſet largitus. Quæ ſanè res Imperii vires, ea quidem in regione, plurimum eneruauit. Ex Italia poſtquam rediit, conuentus egit principum, & decretum illud Imperii fecit, quod *Bullam auream* vulgò vocant: poſtremò, filiũ ſuum Wenceslaum, imperii ſucceſſorem deſignauit, quod magnis largitionibus vix tandem obtinuiſſe ſcribitur, neque multò pòſt mortuus eſt. Ipſo Rempublicam gerente, Galliæ rex, Iohannes, Philippi Valeſii filius, commiſſo prœlio cum Anglis, qui tunc bonam Aquitanię partem & vrbem Burdegalam tenebant, captus non procul à Pictauio fuit, cum natu minimo Philippo, qui poſtea Burgundiæ dux fuit, cognomento fortis, vel audax. In eo prœlio ex prima nobilitate complures occubuerunt. Annalium ſcriptores tradunt, Anglos fuiſſe non ſupra ſeptem millia, quum Galli maximis copiis eò veniſſent, ad ſexaginta circiter millia. fuit hoc anno MCCCLVI. duodecimo Calendas Octobris. Deductus in Angliam rex captiuus, anno ſeptimo pòſt vitam ibi finiit.

Wenceslaus, naturâ & educatione, & vitæ genere admodum vitioſus, vt quidem

de illo proditum eſt litteris, planè Rempublicam neglexit. Accepta pecunia, Iohannem Galeatium, ex Vicecomitum familia, Mediolani ducem & Inſubriæ conſtituit, hominem auarum & crudelem. Eo regnante, Iagello, dux Lituaniæ, poſt mortem Ludouici regis, creatur Polonię rex, de voluntate procerum, eius, qui nunc ibi rerum potitur, Sigiſmundi II. proauus, tunc primùm ſacro fonte initiatus, & vocatus *Vladislaus*. Vngariæ rex autem Sigiſmundus, prœlio victus fuit à Baiazete Turcarum imperatore, ad Nicopolim, tertio Calendas Octobris. Galliæ rex Carolus, eius nominis ſextus, inſignem equitatum auxilio miſerat in Vngariam ductore Iohanne, Philippi Audacis Burgundiæ ducis filio: qui captus eo prœlio fuit, & adductus ad Turcam, in maximo verſabatur vitæ diſcrimine, quod tamen euaſit. Id autem ſic accidiſſe ferunt Galliæ ſcriptores annalium: Erat Baiazeti familiaris quidam Phyſiognomus, ex eorũ grege, qui ſe profitentur hominũ mores naturaſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere: is contemplatus captiuum, author imperatori fuit atq; ſuaſor, vt eum dimitteret incolumem: fore enim, vt, domum reuerſus, maximum incitaret incendium, quo bona pars eſſet Europę, vel orbis Chriſtiani cõflagratura. Sic
ille

ille perſuaſus, hominē dimittit & reliquos ex nobilitate captiuos, vbi pretium perſoluiſſent liberationis ad ducenta coronatorum aureorū millia. Quum in Galliam rediiſſet ille, ſimultatem cœpit exercere cum Ludouico, Aureliano duce, fratre regis. Nam is per valetudinem regis, propè deploratam, volebat Rempubl. gerere, quòd proximus eſſet agnatus: Burgundus verò, quod & patruelis eſſet regis, & ætate præcederet, mortuo iam patre Philippo, ſibi potius deberi contendebat adminiſtrationem. Augeſcente igitur indies magis atque magis offenſione, dux Aurelię tandem, nocturno tempore, Lutetiæ fuit interfectus, à cœna domum rediens. Erant autem à duce Burgundię ſubmiſſi percuſſores, quod nec ipſe poſtea diffitebatur, & factum etiam defendebat. Fuit hoc anno MCCCCVII. nono Calendas Decembr. Anno XII. pòſt, quum pacificandi cauſſa dux Burgundiæ veniſſet ad locum conſtitutum, per fidem circumuentus, à quibuſdam Aureliani ducis mortui familiaribus, qui coniurauerant in eius caput, fuit interfectus, præſente Carolo Delphino, regis filio, qui diſceptationi cauſſę præerat. Hoc illud eſt ſeminarium belli, quod inde ab eo tempore, inter familias illas duas, ad hanc noſtrā ætatem vſque, ſubinde reuireſcit.

Quum propter ignauiam contemptus eſſet Wenceslaus, principes ei magiſtratum abrogant, & Bauariæ ducem Robertum, Palatinum, eligunt. Is ad emendandum ea, quæ Wenceslaus peccaſſet, animum ſtatim adiecit, neque ratum habere voluit, quod ille Iohanni Galeatio conceſſerat, & Inſubriam denuò cogitabat in ditionem Imperii redigere: quumque propter hanc, & id genus alias cauſſas, in Italiam contenderet, impeditus fuit & repulſus ab eo, quem diximus, Galeatio. Valdè tum erat turbulentus Italiæ ſtatus, Caroli & Wenceslai potiſſimum culpa, qui nimium iis populis indulſerant. Nam, præter Galeatium, nuper factum Mediolani ducem, Veneti etiam, & Florentini, & Genuates bellum faciebant vicinis, totumque ius in armis poſitum erat atque potentia. Deinde per diuturnam abſentiam Pontificum, frequentes Romæ fuerant natæ, ac plenæ periculi ſimultates. Mediolani dux Galeatius bellũ tunc inferebat etiam Florentinis, qui, ſui vlciſcendi cauſſa Cæſarem magnis pollicitationibus in Italiam rurſus euocarunt: quumque Patauium veniſſet Cæſar voluntate Venetorum, qui & ipſi Galeatium oderant, nec apparatum videret ampliſſimis reſpondere promiſſis, in Germaniam reuertit, Italiæ depoſita omni

cura,

cura, quæ poſt inteſtinis malis grauius etiam labefactata fuit.

Roberto ſucceſſit Sigiſmundus, Wenceslai frater, Hungariæ ac deinde Bohemię quoq; rex. Ad hoc tempus tres erant Pontifices, Iohannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. Ita quidem, vt horum factionibus propè omnes Europæ prouinciæ diuiderentur. Nam inde ab Innocentio tertio, ſicut ipſorum habent libri, per annos ducentos nullum fuerat concilium publicum; & corruptiſſimus erat ordinis Eccleſiaſtici ſtatus, quum inexhauſta quædam vitiorum & morborum colluuies inundaſſet, ac ferè medicinam reſpueret. Fuit enim interea Bonifacius octauus, qui ſibi Papalem ſimul & imperatoriam dignitatē arrogabat: pòſt, alter ab eo, Clemens V. Burdegalenſis, rogatu Philippi Pulchri, Galliæ regis, vrbe Roma deſerta, curiam tranſtulit in Gallias: ab eius verò morte, quum Cardinales grauiter diſſiderent inter ſe, per annos aliquot fuit interregnum, & Lugduni tandē creatus eſt Papa, Iohannes XXII. Cadurcus. Qui fuit ab hoc Papa quintus, Gregorius, eius nominis vndecimus, quum in Galliis Romana curia per annos iam LXXI. conſediſſet, Romam reuertit: ſed, eo mortuo, de papatu certabant Vrbanus ſextus, Neapolitanus, &

Clemens ſextus, Sabaudus: quorum ille quidem, Italorum, hic verò Gallorum pręſidio nitebatur; ille, Romæ commoratus, hic autem Auenione: quumque vitam hi finiiſſent, illi, quos diximus, tres, in eorum locum à diuerſis factionibus electi fuerunt, eratque tum papatus triceps. Deplorabant tunc ſtatum Eccleſiæ multi doctrina præſtantes viri, tam Itali, quàm Galli, ſatis acriter inſectati temporis illius corruptelam atque mores, quantum quidem in illis tenebris videre licuit. Ex iis Petrarcha, quum hærerent Auenione Pontifices atque Cardinales, vrbem illam vocabat meretricem Babylonicam. Eius ergo diſſidii componendi cauſſa, conciliũ in Germania cogitur Cõſtantiæ, de cuius arbitrio tribus illis abrogatur magiſtratus, & eligitur Martinus V. Hoc in concilio, propter dogma, fuerunt exuſti Iohannes Huſſus, Hieronymus Pragenſis, tametſi fide publica Cęſaris eò veniſſent. Sigiſmundus Cæſar admodum laudatur, quòd tunc Reipublicę cauſſa pleroſque omneis Chriſtiani nominis reges adiit, hortatus illos, vt in commune conſulerent. Rebus igitur in Germania compoſitis, in Italiam venit: gerebant tunc bellum terra marique Veneti & Florentini cum Philippo Maria, Iohannis Galeatii filio, Mediolani duce. Romã deinde profectus,

fectus à pontifice Eugenio IV. conſecratus eſt, inde Baſileam rediit, vbi tum alterum erat coactum concilium.

Hic ſucceſſorem habuit Albertum, Auſtriæ ducem, Hungariæ, Bohemiæque regem, qui, ciuilibus & Turcicis bellis impeditus, in Italiam non venit. Hoc circiter tempore, rurſus excitata fuerunt ingenia, quæ bonas artes, linguas atque litteras excolere cœperunt; in Italia, quidem primò, quum Gręcorum illi ſtudiis adiuuarentur, pòſt etiam apud Germanos, Gallos, alioſque populos: & quum typographicum inuentum accederet, maximaſque commoditates adferret, incredibile eſt quàm felix & optata fuerit facta progreſſio. Nunc enim perpetuatis ab illo tempore ſtudiis, eò deuentum eſt, vt cum eruditiſſimis olim ſæculis hæc ætas noſtra conferri poſſit, & hoc nomine ſit inprimis beata, quòd hanc optimarū artium & linguarū ſcientiam, vera ſui cognitione Deus illuſtrauit etiam, quum veteres illi, tantis litterarū præſidiis inſtructi, homines eloquentiſſimi, profundis eſſent immerſi tenebris, & ſummum illud bonum, de quo tam multa ſcripſerunt, fruſtra inueſtigarent.

Alberto ſucceſſit Fridericus III. Auſtrię dux, qui, Romā placidè profectus, & conſecratus à pontifice, Nicolao V. domū re-

diit, nec in Italia quidquam mouit. Regni ipſius anno quarto, Vladislaus, Vladislai filius, Poloniæ ſimul & Vngariæ rex, quum Eugenii IV. pōtificis impulſu violaſſet inducias, ab Amurathe, ſecūdo eius nominis, Turcarum Imperatore, prœlio victus ad Varnam, ſeu Dionyſiopolim, vndecima die Nouēbris, occubuit. Nono pòſt anno, Conſtantinopolim vi cepit Mahometus, Amurathis filius; quàm eius heredes iam per annos centum & treis occupant, conſtituta ſede regia. Vladislao ſucceſſit, in Polonia quidem, Caſimirus frater, in Vngaria verò, Ladislaus, Alberti ſecundi Cæſaris filius poſtumus.

Succeſſorem Cęſar Fridericus habuit filium Maximilianum. Paulo ſub mortem Friderici, Ferdinandus, rex Hiſpaniæ, pulſis Barbaris, Beticam, quæ Granatę regnū vulgo dicitur, ſuis finibus adiunxit. Maximilianus, inter alia multa, cum Venetis quoque bella geſſit.

Hunc ſecutus eſt Carolus, è filio Philippo nepos, Cæſar, eius nominis quintus, longè potentiſſimus, qui rerum hodiè potitur.

Ex iis igitur, quæ commemorauimus, liquidò apparet, quomodo Romanum imperium, quo nullum fuit nec erit potentius, propè ſit omninò diſſipatum. Nam per

Aſiam

Aſiam ne veſtigium quidem, aut latum vnguem, ſicut prouerbio dicitur, habemus: occupant omnia Turcæ, Scythæ & alii noſtræ religionis hoſtes: Africam totam amiſimus, niſi quantum ſuperioribus annis à Carolo V. Cæſare recuperatum eſt, quando Aenobarbo, Turcico legato, Tunetam ademit, glorioſam adeptus victoriam, & regem ibi conſtituit, ipſi vectigalem, & anno decimo quinto poſt, Africam vrbem oppugnatione cepit. Auulſa eſt Luſitania, Hiſpania, Gallia, Britannia, Dania, Sarmatia, Pannonia, Illyricum, Græcia tota, cum vicinis regionibus: adhæc Sicilia, Sardinia, Corſica, Baleares inſulæ, Allobroges: quæ quidem prouinciæ ſuos habent dominos, qui plenam in omnibus poteſtatem obtinent, & ad Imperii rationes ne tantillum quidem conferunt. Videamus nunc Italiam, priſcum & auitum ac primum Romani imperii patrimonium: hæc ipſa verò, quid nobiſcum habet commune? Calabriam, Apuliam, Campaniam, Neapolim, auita ſucceſſione tenent Hiſpaniarum reges. Vrbem Romam, Cæſarum domicilium atque ſedem, agrum Picenum, & Flaminiam, & Hetruriæ partem occupant Romani Pontifices, qui non modò non agnoſcunt Imperium, ſed Cæſares etiam imperiique præfectos tenent ſibi deuinctos. Quæ ſunt

iis locis potentiores ciuitates, aut ſuos habent regulos, aut factionibus indulgent, nihilq; planè ad nos pertinent. Iam Veneti, quàm poſſident egregias non ſolum vrbes & municipia, verùmetiam prouincias, ipſi interim liberrimi, & ab Imperio Rom. planè ſeiuncti: Inſubria verò; quæ vulgò *Langobardia* dicitur, aliquanto quidem propius ad nos pertinet, ſed & ipſa fluctuat, nec certum vllum emolumētum ad nos illinc redit. Poſtquam enim noſtri quidam Cæſares, vt ſuprà dictum eſt, primo Vicecomites, vt vocant, ac deinde duces ibi cōſtituerunt, quàm miſerè dilacerata fuit, & quàm nihil ab eo tempore nobis contulit! Ortis enim bellis, cùm noſtri Cæſares eam negligerent, eiectis Vicecomitibus, occupauit illam Sforciarum familia, quam deinde Galliæ reges Ludouicus XII. & Frāciſcus primus eiecerunt: & hic quidem per annos ſex regionem illam tenuit, donec Carolus V. Cæſar eam recuperauit. Ex omni igitur Italia nihil fructus ad Imperium redit: nam neque noſtris conuentibus interſunt, nec ad publicos vſus atque neceſſitates aliquid contribuunt, niſi quantum vel ſua ſponte, vel alioquin in gratiam Cæſaris faciunt. Sola ſupereſt Germania, quæ ſemper aduerſata Romanorum imperio, & ſubinde rebellans, vt è ſuperio-

ribus

ribus conſtat, tandē à Carolo Magno Cæſare collecta fuit, & in vnum redacta corpus:ac deinde, quum eligendi Cæſaris poteſtas ad Septemuiros delata fuiſſet, vt ſuprà demonſtrauimus, facta eſt Cæſarū domicilium atq; ſedes. Atque hìc tamen conſiderandum eſt etiam, quàm ægrè potuit coaleſcere hoc ipſum quantulumcunque corpuſculum imperii, conflatum in Germania. Quę enim non diſſidia fuerunt apud nos, & bella ciuilia? Totum igitur illud, quod hodiè Imperii nomine cenſetur, intra Germaniæ fines includitur; nam foris & extra limites illos, nihil ſupereſt. Quamquam & intra hos ipſos fines tam modicè circumſcriptos, videmus, quemadmodum non pauci tergiuerſantur, & ſe, ſuaque, quantum poſſunt, ab Imperii ditione ſubducūt; vt interim de vicinis regibus & aliis nihil dicā, qui ab hoc ipſo tam tenui, & exangui corpuſculo, quod vix oſſibus hæret, decerpunt & auellunt quotidiè, quantum poſſunt, & ſuæ ditionis efficere conantur, quod erat Reipublicæ.

Vt autem ad finem aliquando perueniamus, Danielem de his rebus omnibus vaticinantem, paucis accommodemus. De ſtatua, quam per ſomnium Nabuchodonoſor vidit, ſuprà diximus: huc poſtea recurremus, nunc alia loca videamus.

Capite VII. deſcribit quatuor animalia, quæ per ſomnium ipſe vidit ex Oceano prodire, leonem, vrſum, pantheram: quartum & poſtremum ait fuiſſe terrificum & horrendum aſpectu. Leo denotat regnum Aſſyriũ: alæ duæ, quas illi tribuit, ſunt duo veluti membra illius imperii, Babylonia & Aſſyria. Per Vrſum ſignificatur regnum Perſicum, à quo fuit deuictum Babylonicum: tres coſtæ, quas inter alios dentes in illius ore fuiſſe ſcribit, ſunt tres præcipui reges huius Monarchiæ, Cyrus, Darius, Artaxerxes, qui præ cæteris claruerunt, & multam carnem ederunt, vt inquit, hoc eſt, complures populos ſuæ ditioni coniunxerunt. Panthera eſt Alexandri M. ſeu Græcorum imperium: quatuor illius alæ & capita, ſunt quatuor regna, quæ poſt Alexandri mortem ex illa Monarchia prodierunt. Quartum & poſtremum animal, eſt Imperium Romanum: decem cornua, ſunt eius membra, ſeu partes, cuiuſmodi ſunt Syria, Ægyptus, Aſia, Græcia, Africa, Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, Britannia: nam illi hæc omnia tenuerunt. Iam, inter decem iſta cornua, naſcitur & prodit cornu quoddam paruulum, quod de decem illis cornibus, tria reuellit: iſtud denotat regnum Mahometicum ſiue Turcicũ, quod ex humili initio natum in Romana Mon-

archia,

archia, tres præcipuas partes illius occupauit, Ægyptum, Aſiam, Græciam: deinde, cornu iſtud paruulum habet oculos, & eſt contumelioſum aduerſus Deum. Mahometus enim nouum doctrinæ genus propoſuit, ſuis valdè gratum, & quod prudentiæ ſpeciem aliquam haberet: hi ſunt oculi, ſed reuera Deum afficit cõtumelia. Nam Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta planè deleuit, & Chriſti beneficium nullum agnoſcit, immò conuiciis exagitat omnem de Chriſto doctrinam. Ad hæc, paruulum illud cornu bella gerit cum ſanctis, & vehementer illos affligit, vt inquit, donec iudicium fecerit antiquus ille, cuius nec initium eſt, neque finis. Ex quo quidem clarè perſpicitur, in hoc ipſo imperio finem eſſe habiturum hoc mundi curriculum, nec vllum prætereà futurũ: ſed abolitis omnibus mundi principatibus, venturum eſſe perpetuum illud regnũ, cuius author & dux erit Chriſtus.

Capite octauo Daniel deſcribit arietem & hircum: hoc autem angelus ipſe pòſt interpretatur apertè, & arietem bicornem dicit eſſe Medorum atque Perſarum reges: hircum verò, Græcorum imperium, & cornu illud magnum in ipſius fronte ſignificare primum eius imperii regem: quòd autem eo cornu confracto, quatuor alia

cornua ſuccedant, notari dicit, quòd ex illo imperio quatuor ſint oritura regna, ſed robore & potentia minimè conferenda cũ primo illo rege. Videam' ergò, quàm propriè & certò depinxerit Daniel Alexandrum Magnum, ducentis annis & amplius, antè, quàm ille regnaret. Fore enim dicit, vt hircus terram non tangat, hoc eſt, vt maxima celeritate bella ſua conficiat, & vt ab ipſius impetu, nemo poſſit arietem liberare. Nam XII. annis tantũ regnauit Alexander, tamque breui ſpacio temporis, Aſiam propè totam ſibi ſubiecit, vt ſupra docuimus: ac licèt incredibilis eſſet Perſarum atque Medorũ potentia, tamen tribus prœliis ordine victus ab illo Darius, vitã ſimul & imperium amiſit. Tradunt nonnulli, quum Hieroſolymam veniſſet Alexander, ſummum ſacerdotem ei recitaſſe Danielis locum iſtum: qua quidem vehementer ille fuerit exhilaratus. Deinde, quod ex quatuor iſtis cornibus, oriturũ ſit aliud, initiò quidem paruum, ſed poſtea valdè potens, quod grauiſſimè ſit afflicturum loca ſacroſancta: hoc ipſo prçnunciari dicit acerbiſſimas perſecutiones, quas Iudæi ſint paſſuri à poſteritate Alexandri M. à regibus Ægypti, atq; Syriæ, quas inter media eſt Iudæa. Nam cornu iſtud ex quatuor illis cornibus ortum experti ſunt Iudæi, Antiochum videlicet

delicet Epiphanem, Syriæ regem, crudeliſſimum vaſtatorem. Huc etiam applicandum eſt caput xi. in quo rurſus de Alexandro Magno loquitur, eiuſque ſucceſſoribus, adeò quidem copioſè atque propriè, vt non vaticinium, ſed hiſtoria quædam eſſe videatur.

Nunc tandem ad ſtatuam Nabuchodonoſor veniamus, de qua priori libro per occaſionem diximus. Interpretationem autẽ ipſius de tribus primis Imperiis, quoniam & perſpicua eſt, & temporibus ipſis comprobata, non repetam: de quarto ſolùm aliquid dicemus, quoniam & ad nos propriè pertinet, qui in eo verſamur, & à Daniele deſcribitur accuratiùs. Ferreum eſſe futurum dicit, quod reliqua omnia imperia comminuet ſibique ſubiiciet. Ad demonſtrandum iſtud, non opus eſt multis verbis: res enim ipſa loquitur, & ex hiſtoria rerum, quas enumerauimus, liquidò conſtat. Pedes autem illius, ac digiti pedum partim ſunt ferrei, partim fictiles è teſta. Sicut humani corporis pes finditur in digitos, ita Romanum Imperium, vbi conſtiterit aliquandiu firmum & innixum cruribus ferreis, ac totũ terrarum orbẽ in ambitu ſuo complexum fuerit, deſinet in digitos, & corporis illa moles diſſoluetur. Hoc ipſum etiam conſtat accidiſſe: nec

opus eſt explicatione. quid enim magis hodie diſſolutum eſt, quàm imperii illius ampliſſimi corpus? Et quamquam ita ſe res habet, tamen, quia planta pedis eſt ferrea, vt inquit, manebit firmamentum eius, neque prorſus confringi poterit, ſed reliquiæ, nomen atque dignitas durabunt, donec Chriſtus aduentu ſuo rebus omnibus humanis finē imponet. Quin ad ſummam tenuitatem redactum ſit, dubitari non poteſt, ac luce meridiana clarius eſt. Arbor illa procera concidit, ſed hæret adhuc atque conſiſtit illius radix, non quidem ſucculenta, ſic, vt propagari poſſit atque augeſcere, verùm exſucca prorſus & arida, ſed tamen hanc radicem ac plantam ferreæ naturæ, nulla vis humana funditus reuellet, ſed hærebit infixa ſolo, quoad iſta rerum omnium fabrica deſtruetur. Sumus & hoc experti: nam tenuem hanc & anguſtam imperii poſſeſſionem, multi ſæpè conati ſunt euertere pontifices quoque Romani, ac poſtremo etiam Turcæ. Qui licèt magna perfecerint, & maiora ſibi fortaſſe pollicentur, tamen non conflabunt eiuſmodi molem, quæ cum Romana potentia conferri poſſit, neque ſeminarium iſtud Imperii, quod reliquum eſt, licèt aridum & flaccidum, euertent: nec enim quinta conſtitui poteſt Monarchia. Germania quidem

ſola titulum ac poſſeſſionem habet imperii, ſed ſi vires coniungat & animos, vim omnem externam facilè depellat, ſicut non vno poteſt documento probari. Paucis abhinc annis ingentes fecerunt progreſſus, & ſuperato Boſporo Thracio, longè latéq; ſunt per Europam graſſati Turcæ, ſuamque nunc ditionem planè coniunctam habent atque finitimam Germaniæ, quæ ſanè maximo videtur expoſita periculo, ſicut etiam Italia, propter vicinitatem: ſed ſi Danielem propius intueamur, ſperare licet, vim atque potentiam illorum in ſummo nunc gradu cõſiſtere. Nam tria ſolùm cornua Daniel eis attribuit, vt ſupra diximus & illa quidem nunc obtinent, initio domini rerũ facti per Aſiam, deinde per Græciam & Ægyptum. Ac Græciæ quidem appellatione comprehendi poteſt, quidquid eſt in eo tractu regionum propè ad Illyricum vſque. Et quamquam hoc tempore non modicam Vngariæ partem occupant, & tametſi fieri poteſt, vt Germaniam, aut alias vicinas regiones diuexent: tamẽ, quoniam & certos intra limites illorum ditio conſiſtere debet, & Romanæ potentię minimè poterit conferri, ſicut iam demonſtrauimus, credibile eſt, has prouincias nõ eſſe venturas in illorum ditionem, ſic vt tres illæ ſunt hodierno die, Græcia, Ægy-

ptus, Aſia. Bellum facturi ſunt ſanctis, & in Chriſtianæ profeſſionis homines immanitate ſumma graſſabuntur, & durabit hic illorum furor ad finem vſque mundi, ſicut Daniel clarè teſtatur. Atque hæc eſt eius vaticinii cauſſa præcipua, quò videlicet de poſtremi temporis ærumnis atque miſeriis præmoniti & certiores facti, non deſpondeamus animum, ſed liberationem expectemus, per aduentum Chriſti ſeruatoris noſtri, qui ſtatim has afflictiones, vt inquit, excipiet, ac in firmam & tanquillam ſtationem ſuos tranſportabit, & lacrymas ab oculis eorum abſterget.

Quædam loca Danielis, ad Iudæos propriè pertinent, quibus & liberatio promittitur captiuitatis, & Meſſias ille, promiſſus patribus, intra certum ac ibi notatum & expreſſum tempus denũciatur eſſe venturus: reliqua autem vaticinia ad omnium poſtremam mundi ætatem pertinent, & ad eos qui tunc viuent, quum & paruulum illud cornu, Mahometi poſteritas, bellum geret cum ſanctis, & quum reuelatus atque detectus fuerit homo ille peccator & ſceleroſus, qui ſedet in templo Dei, ſeipſum oſtentans, ac ſi Deus eſſet: nam & huius tyrannidẽ Daniel præſignificauit, vt Paulus in ſuis Epiſtolis disertè

inter-

interpretatur. Sathanas, quem huius mundi principem vocat ipſe Chriſtus, quum ſemper aliâs, tum in vltima mundi deficientis ætate longè vehementiſſimè tumultuabitur, & omnis iracundiæ laxabit atque furoris habenas, & aduerſarios excitabit Chriſto, qui non modò vi armorum ſæuiant, verum etiam in fraudem & errorem abducant homines falſa doctrina, ſic quidem, vt ipſorum laqueos vix euaſuri ſint etiam electi. Nimirum, hoc illud eſt tempus, quod capite XII. Daniel ſignificat, adeò prorſus afflictum & calamitoſum, vt nec ſimile fuerit vnquam, neque futurũ ſit. Nihil enim læti nobis pollicetur, ſed grauiſſimas perſecutiones denunciat, quando calamitates illas, de quibus loquitur, duraturas eſſe dicit, dum perficiatur diſperſio manus populi ſancti. Vexabitur ergo populus Dei paſſim per orbẽ terrarum, & affligentur pii diuerſis locis, quamdiu terrarum orbis conſiſtet. Quod quidẽ Prophetę, vel potius angeli teſtimonium ſpem nobis omnẽ præſcindit conciliationis & aggregationis. Nam de diſperſione & diſſipatione perpetua loquitur, & natis propter doctrinam ac religionem diſſidiis, tunc demum finem ſtatuit, quum ipſe Chriſtus apparebit. Verùm vt conſole-

tur & erigat & ſuſtentet eos, qui tunc viuent, mox ab iſtis ærumnis mortuorum reſurrectionem ponit. quam vt lætam experiamur atque ſalutarem, magnis precibus orandus eſt Deus. Quantum verò Danieli ſit tribuendum, teſtatur ipſe Chriſtus, qui locum ex eo deſumptum pro concione refert, & auditoribus commendat. Cum ergo ſint afflictiſſima hæc noſtra tẽpora, ſtudioſè cognoſcendus eſt hic vates, qui nobis, in hoc mundi poſtremo curriculo poſitis, concionatur, ac diligenter introſpiciendus, vt & in his præſentibus malis, & aduerſum imminentes fluctus atque tempeſtates, vera nos & certa conſolatione, tamquam vallo quodam & aggere prę- muniamus.

CLAVDII SESELLII, VIRI PATRICII,

De

Republica

GALLIÆ ET REGVM

OFFICIIS,

LIBRI DVO.

IOHANNE SLEIDANO

Interprete.

Google

SERENISSIMO PRINCIPI, EDVARDO, EIVS NOMINIS ſexto, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Iohannes Sleidanus S.D.

INter alias Philoſophiæ partes, qui doctrina reliquis omnibus præſtiterunt, Plato & Ariſtoteles, hanc etiam diligenter atque copioſè tractarunt, ſereniſſime Rex, quæ ciuilē ſocietatem, & reipublicæ procuratione complectitur. Nec enim ſatis eſſe putabant, ea ſolum mandare litteris, quæ vel ad ingenii cuiuſque culturam, vel ad formandos mores, vel ad ſinceram atque perfectam animi tum voluptatem tum conſolationem pertinent, ſed elaborandum etiam ſibi ducebant, quemadmodum publice prodeſſent, & eam qua præditi erant, facultatem ex vmbra in apertum ſolem proferrēt. Hunc enim veluti finem ſuorum ſtudiorum atque fructum eſſe voluerunt. Mouit eos haud dubiè, quòd paſſim in imperiis & magiſtratu illaudata conſpicerent exempla, quòd pleriq; & ambitioni & ſuæ priuatim cupiditati maiorem, quàm vtilitati communi operam darent, quòd ſuis emolumentis omnia metirentur,

Digitized by Google

tur, quòd fauorem, odium, gratiam, inimicitiam, magis quàm iudicium, rationem, ac æquitatem in conſilium adhiberent, quòd ſimulata ſæpè clementia libertatem hominibus eriperent, ac regnum malis artibus occuparent, quòd de Diis atq; religione tum temporis nota & vſitata, impiè ac irreuerenter ſentirent, quòd litteris atque virtuti minimum deferrent honorem. His illi cauſſis excitati, quòd & varia doctrina, & longo rerum vſu, & conſuetudine atque conuictu bonorum, & natura duce præſtantiſſimum optimumque eſſe iudicabant, memoriæ prodiderunt, & cuiuſmodi eſſe debeat Reip. forma, definierunt, vt etiamſi ſui temporis condicionem atque ſtatum non emendarent, tamen poſteris relinquerent ſempiterna ſui iudicii monumenta. Nam hi ipſorum libri, quoniam optimis atque ſanctiſſimis referti ſunt præceptis, magno cum fructu & admiratione leguntur, & quamdiu ſtudiis literarũ ſuus conſtabit honos, in doctorũ hominum non bibliothecis modò, verumetiam ſermone, inſignem locum obtinebunt. Cum enim naturæ hominum & vitæ ciuili nihil ſit conuenientius aut optabilius, quàm legitimo & æquabili imperio contineri, & quia vim atque ſeruitutem omnes oderunt: illi, quid magiſtratum deceat, & quantopere ipſos oporteat ab omni vel ſuſpicione tyrannidis, nimiæque poten-

tiæ alienos eſſe, demonſtrãt, & ad moderatio-nem atque iuſtitiam & populi tutelam perpetuò hortantur, & quibus indiciis agnoſci debeat tyrannus, dilucidè oſtendunt, & eos, qui liberum nacti populũ, in ſeruitutem redigunt, aut alioqui non ſuum faciunt officiũ, acerbè grauiterque reprehendunt, & non hominem, ſed feram potius atque belluam vocant eum, qui ſimulato paſtoris atque parentis nomine, ciuitatem exhaurit, in eoque tantò plus ſceleris eſſe dicunt, quò magis occulta ſunt atque tecta rationes illius, qui damnum reipub. infert. Verum hæc aliquantò prolixius ego, quàm inſtitueram; nunc ad propoſitum reuertar. Præter eos, de quibus dixi, Platonem & Ariſtotelem, alii quidam in ſimili verſati ſunt argumento, & ſuperioribus aliquot annis, Claudius Seſellius *non infelicem operam in eo nauauit. Fuit hic natione Gallus, & iureconſultus valdè celebris, poſt etiam Epiſcopus Maſſilienſis, & Ludouici duodecimi, Galliæ regis, ad Leonem decimum Pontificem, aliquot annorum legatus; vir cum primis doctus, & cuius extant non paucæ lucubrationes. Nam & Thucydidem, & quædam Xenophontis, & hiſtoriam Eccleſiaſticam, & alia multa Gallicè vertit, adeò quidem feliciter, vt etiam ii, qui Græcæ linguæ magnum vſum habent, plurimum ei tribuant: ſed in leges etiam atque ius ciuile quæ-*

dam

dam ſcripſit ac in lucem emiſit. Defunctus autem multis variiſque negotiis publicis, & inſtructus plurimarum rerum ſcientia, tamquam ſupellectile quadam pulcherrima, contulit ſe ad otium & quietem, vt & Eccleſiæ, cui præfectus erat, officium ſuum præſtaret, & reliquum tempus honeſtis litterarum ſtudiis conſumeret. Poſt mortem verò Ludouici regis, librum hunc, de Monarchia Franciæ, *ſic enim ipſe vocat, Gallico ſermone conſcripſit, & Franciſco primo, ad quem nuper erat, extincto Ludouico, delata regni ſumma, dedicauit. Nam etſi a curia ſe remouerat atque foro, tamen, vt ſuum erga remp. atque patriam amorem declararet, abſens, etiam regi ſuo prodeſſe voluit, eoque magis, quod aulicæ vitæ morem omnem atq; ſtatum habebat exploratum, & quam multis adulatorum illecebris atque corruptelis expoſiti ſint reges, præſertim ætate minores, non ignorabat. In hunc ergo librum, quicquid eſt optimorum præceptorum comportauit, & ſingularem quandam rationem ſecutus, quæ ſuperioris ætatis atque etiam noſtri ſeculi viri docti tradidiſſent, non ſibi putauit huc accumulanda, ſed præſenti rerum condicioni atque tempori totum accommodauit ſermonem, & quod vſu compertum haberet, diligentiſſimè explicauit. Et quamquam Galliæ regi peculiariter hæc ſcripta*

videntur, tamen ad omneis æquè reges pertinent. Sunt enim reges omnes monarchæ, paucis quibuſdam exceptis, & ſicut nullius imperium agnoſcunt, ita quoque ſummam merentur laudem, quando legum vincula, quibus populum coërcent, ſibi etiam induunt ipſi. Hæc autem ſunt ea, de quibus ille orationem inſtituit, officia, quæ regem principemque virum decent. quæ ſi negligat, neque lege ſe putet vlla teneri, ſplendorem atque gratiam omnem, & decus & nomen ipſum regium apud viros bonos amittit. Tribus autem vinculis author, quicquid eſt officii, quod regem oporteat præſtare, complectitur, Religione, Iuriſdictione, Politiâ. & hæc quidem ordine tractat, iiſque totum librum abſoluit. Quod ſecundum eſt, atque tertium, adeò copioſè, dilucidè, prudenter explicat, vt cuiuis etiam, mea ſententia, ſatisfecerit: ad primum verò quantum pertinet, erunt fortaſsè, qui nonnihil in eo deſiderent. ſed his cogitandum eſt, qua vixerit ætate. Scripſit enim hæc ante annos circiter triginta treis, quum in denſiſſimis adhuc tenebris, & illo, quem Plato deſcribit atque fingit, ſpecu detinerentur hominum mentes: Quod igitur ille ſcribit, religionem eſſe regibus diligenter colendam, & hæreſim omnem profligandam, & Eccleſiaſtici ordinis homines in honore habendos, & Apoſtolicam Eccleſiam præcipuè

cipuè colendam & obſeruandam: vera ſunt iſta, ſi rectè quis accipiat. Ille quidem, vt tum fuit rerum ſtatus, intellexit, quemadmodum & hodiè complures intelligunt, qui Deum exiſtimant, vnum aliquem locum atque perſonam in Eccleſia voluiſſe præ ceteris eminere & eſſe illuſtrem. Nos autem verè ac generatim de rebus atque perſonis omnibus interpretemur. Nam & religionem reges colere debent, & hoc officium in primis requirit ab ipſis Deus: vt autem vera ſit, non fucata, non ambitioſa religio, ſed talis, quæ Prophetarum & Apoſtolorum habeat teſtimonium perpetuum & immutabile, prouidendum eſt ipſis. Hæreſim nullam reges aut falſum dogma ſuos intra fines admittent: rectè. quæ ſit autem hæreſis, vt nunc quidem eſt eius vocis vſurpatio, non ex vulgi, vel eorum qui ſuſpecti ſunt, clamore ac præiudicio ſtatuent, ſed ab iis libris iudicium petent, qui teſtimonium ac ſuffragium habent ipſius Chriſti, quòd à Spiritu illo veri cõmonſtratore dictati ſunt, vt ad omnem vitam nobis præluceant. Viris Eccleſiaſticis honorem deferent reges. pulchrè, ſi faciant quod eſt ipſorum profeſſionis & ordinis. Nam alioquin vt regis eſt, doctos & pios Eccleſiæ præfectos amore ac beneuolentiâ complecti: ſic etiam eius eſt prouidere, ne quid populus alienâ

culpâ detrimenti accipiat. Eccleſia, vel vt nunc loquuntur, ſedi Apoſtolicæ primus atque præcipuus debetur honos, inquit ille. Audio: ſed ad perſuadendum rem tantam, nullum adduci poſſit argumentum efficacius, quàm ſi eiuſmodi doctrina & vitæ ſanctimonia & diſciplinæ ſeueritas conſpiceretur in iis qui huic loco præſunt, qualis fuit in his, qui Silueſtrũ eius nominis primũ anteceſſerunt. Ex iis enim, vt quiſq; fuit & doctiſſimus & innocentiſſimus, ita minimè honorẽ hunc affectauit. Hæc igitur & id genus loca huic libro admixta, neminẽ offendant, ſed commodè interpretemur: ita nihil erit abſurdi. Id autẽ eò magis faciendum eſt, quod ipſemet author ſui temporis inſcitiã & luxum & ambitionẽ grauiter reprehendit, & quàm nullus officiũ ſuum faciat, demõſtrat, & reges ipſos incuſat, quòd indignos populi curæ præficiant, quod ambitio, fauor, gratia, corruptela primum locum ſibi vendicant in hiſce rebus, non ſecus imò plus etiã quàm in ciuilibus præfecturis.

Quum igitur ad eum, de quo dixi, locũ, venietur, non erit ſubſiſtendũ, ſed quæ ſequuntur, antecedẽtibus accommodare oportet. Satis enim magnã laudẽ meretur, quòd eo tempore tantũ & vidit & auſus fuit pronunciare. Atq; his ego de cauſſis optimũ ſcriptorem è Gallico ſermone Latinũ feci, ac tuo potiſſimũ nomini, rex Eduarde, dicandũ eſſe putaui.

Quam-

Quamuis enim pulcherrimi regni poſſeſſio ac hereditas à patre tibi relicta ſit, tamen hoc nomine cumprimis es beatus, quòd in hac tenera ætate, illa quæ verè ſunt & dicuntur bona, tibi comparas, eruditionẽ, optimarumq; rerum ſcientiã. Accedit, quòd eum habes à patre tibi datum cuſtodẽ ac moderatorem, qui propter inſignẽ virtutem ac ſtudium pietatis, maximã eſt, apud exteros etiam, cõſecutus famam. Quod quum ita ſit, elaborandum eſt, vt quas dotes & adiumenta & præſidia tibi largitus eſt Deus, naturæ, ingenii, fortunæ, educationis, ea omnia ſemper ad nominis ipſius gloriam & populi tui ſalutem conuertas. Plura non dicam, neque prolixius exhortabor, ne tuis doctoribus, ornatiſſimis viris, præſcribere aliquid videar. Hoc vnum peto, vt iis, quos mitto, libris, Cominæo atque Seſellio, quorum vnus eſt hiſtoricus, alter politicus, & nunc aliquid temporis impendas, quando ſtudiis litterarum totus es addictus, & in poſterum, vbi grandior factus, rempubl. ipſe gubernabis, vtrumque tibi familiarem facias. Nec enim pœnitebit operæ; & neſcio an vlli extent Gallicè conſcripti libri, cum his conferendi. quod & ipſe, cum maius acceſſerit iudicium, aliquando ſic arbitraberis. Vale. *Argentorati, menſe Iunio, Anno Domini,* MDXLVIII.

CLAVDII SESELLII, *DE REPVBLICA GALLIÆ, & Regum officiis,* LIBER I.

Omiſſis Philoſophorum prolixis diſputationibus, rem ipſam ſtatim aggrediemur. Adminiſtrandæ ergo reipublicæ tria ſunt genera. quum vni tantum rei ſumma permittitur, *Monarchiam*: quum pluribus atque præcipuis populi, *Ariſtocratiam*: vbi verò multitudinis eſt imperium, *Democratiam* vocant. Ex iis optimum ſtatum eſſe putant Monarchiam, quando princeps eſt vir bonus & prudens & Reipublicæ amans. Quia verò difficilimum eſt in tanta poteſtate, ſeruare æquitatem: alterum genus, quod eſt optimatum & hominum delectorum, videtur eſſe præſtantius & tolerabilius, & firmiore fundamento ſubſiſtere, quando videlicet ex omni multitudine ii præficiuntur, qui virtute & ingenio maximè antecellunt. nam qui ſunt in his vitioſi, reliquorum imperio facilè coercentur.

tur. Tertium genus, quod ad promiſcuum vulgus pertinet, ſemper habitum eſt tumultuoſum, & periculi plenum, & viris præſtantibus inimicum. Fit autem, vt Ariſtocratia commutetur in *Oligarchiam*, qui paucorum eſt dominatus, quando ex optimatibus & primis ciuitatis pauci quidam, velut coniuratione facta, honores & emolumenta omnia inter ſe partiuntur, & ſuas priuatim fortunas amplificare ſtudent, neglecta communi vtilitate, quam ſolam & in primis curare debebant. Relinquitur ergo, vt ex tribus nullum genus ſit perfectum atque perpetuum. Temporibus enim omnia mutantur & deteriora fiunt: ac tunc in primis, cum augeſcunt & maximè florent. neque rarò fit, vt perturbatione quadam alterum alteri ſuccedat. Exemplo eſt Reſpublica populi Romani, quæ totius orbis terrarum longè fuit ampliſſima. Eam initio gubernabant reges, inde conſules, poſtea decemviri, ſed & tribuni militum, ac poſtremò Cæſares. Conſulum autem atque Senatus imperium ceteris fuit præſtantius & diuturnius. Tunc enim aucta fuit ciuitas perpetuis incrementis. cuius rei cauſſa fuit, mixta & benè temperata gubernatio. Conſules magnam in pleriſque rebus authoritatem obtinebant, præſertim

foris, deinde ſenatus, qui ex optimis lectiſſimiſque viris conſtabat, ſummam rerum moderabatur, & tamquam gubernator nauis, clauum tenebat, & quidquid alicuius eſſet momenti, ad eius cognitionem pertinebat. Populo etiam ſua conſtabat dignitas in ſuffragationibus & diſtribuendis muneribus publicis: item, quum de pace, bello, & id genus aliis rebus aliquid ſtatuendum erat. eaque de cauſſa creabantur tribuni plebis, quorum ſine conſenſu ac voluntate non erant firma ſenatuſconſulta, in eoque ſenatus ac populi imperio, potiſſima pars orbis terrarum in ipſorum ditionem peruenit. Et tamen, ſi quis omnia diligenter animaduertat, comperiet non fuiſſe perfectiſſimam reipublicæ formam. Ex multis vnum recitabo, quod parum ab eis prudenter conſtitutum, labefactauit ampliſſimum imperium, & ad vnius dominatum denuo perduxit, qui & ipſe tandem concidit: ac vix nomen adhuc ſuum tuetur. Initio, poſt eiectos reges, quum ſenatus atque nobilitas nimis magnam ſibi poteſtatem arrogarent: populus, qui nullo ferè in numero tum erat, grauiſſimè cōcitatus ob ſui contemptum, ſeceſſionem ab illis fecit, & imperium detrectabat, neque prius recōciliari potuit, quàm ſui quoque ratio haberetur, & vt placari poſſet,

multò

multò plura ſenatus illi, quàm oporteret, conceſſit. ex quo deinde fonte manarunt. diſſenſiones omnes atque diſcordiæ ciuiles, quæ perpetuæ fuerunt, ſic, vt etiam exortis bellis contra finitimos, vix conquieſcerent. quod in regum imperio numquam acciderat. Sic enim comparatum eſt, vt homines vni ſoli multò libentius quàm pluribus obtemperent, quibus ſeſe putant eſſe pares. Iam, ſi paululum modo ipſis tribuatur, ſenſim plura ſibi ſumunt, ex eoque magna pòſt oritur perturbatio, quod in populari ſtatu vrbis Romę ſcimus accidiſſe, vbi nimium plebs laſciuiebat, tum propter tribunorum poteſtatem, qui optima ſępè cõſilia euerterunt, tũ propter publicorum munerum diſtributionem & ius ſuffragiorum, quoties de rebus arduis decernendum aliquid erat. Nam his in rebus omnibus plurimum poterant largitiones atque factiones. quò fiebat, vt qui donis & pollicitationibus multum valerent, ii viris bonis & reipublicæ ſtudioſis præferrentur. Hi deinde recuperandi cauſſa quod profudiſſent, & vt ad largiendum ſuppeterent copiæ, ſocios & amicos populi Romani expilabant, & belli præfectis atque militibus, vt idem facerent, permittebant, partim emerendi fauoris cauſſa, partim metu, quòd in eadem ipſi eſ-

ſent culpa. Sic igitur vitiata fuit & omninò diſſoluta vetus reipublicæ forma, quam integerrimi, prudentiſſimique viri olim inſtituerant, & multis ſæculis, ad poſteros, veluti per manus deductam, ſeruarunt incontaminatam, donec auctis tàm priuatis quàm publicis facultatibus, omne vitiorum genus paullatim inundauit, & ciuilibus bellis materia ſubminiſtrata fuit. Nam qui virtute & meritis non poterant honores atque dignitates in republica conſequi, ii multitudinis cupiditati & auribus ſeruiebant, & multa communis vtilitatis mentione facta, hoc ſolum ſpectabant, vt plebem in ſenatum inflammarent, ac ipſi, per eam occaſionem oppreſſis aliis, regnum occuparent. Hanc rationem ſecuti ſunt Gracchi, legis Agrariæ inuentores, quæ magnas excitauit turbas, ex eaque poſtea natum eſt illud inter Marium & Sullam diſſidium, quo vehementer fuit adflicta reſpublica. Nam & diſciplina omnis militaris, & ſenatus poteſtas, quam in belli duces atque legiones habere conſueuerant, hoc ipſo interiit, eóque deducta res fuit, vt qui viribus & armis plurimum poſſent, ii ſuo arbitrio rem gererent, non militiæ tantum, ſed domi quoque & in vrbe, neque iam ſenatui parérent, & quos inimicos ſibi crederent,

derent, eos omni genere acerbitatis diuexarent. Fecerunt hoc Sulla, Marius, C. Cæſar, &eo ſublato, M. Antonius, Lepidus, Octauianus, triumviri. & hic quidē ſuos collegas non deſtitit perſequi, donec ipſis euerſis, imperii ſummam ad ſe vnum traduxiſſet, quo quidem in principatu multa deſignauit in perniciem reipublicę. ac ipſius exemplum ſecuti ſunt poſtea reliqui propè omnes Cæſares. Hæc igitur incommoda nata ſunt in illo populari reipublicæ Romanæ ſtatu, eaque non pauci prudentes ac docti viri, multò antè quàm accidiſſent, præuiderunt, & ſcriptis quoque ſunt teſtificati, ſed impendentibus malis non potuerunt mederi. Is igitur quem dixi, ſtatus, quamuis ſit mixtus, non poteſt eſſe perfectus, quando ſumma rei eſt penes multitudinem. ac longè præſtat Ariſtocratia, cuiuſmodi videtur eſſe Venetorum reſpublica, quam certus primorum ciuiū numerus adminiſtrat, in eaque ſummus præſidet Magiſtratus, quem *Ducem* appellant. quod ipſum ad Monarchiam aliquo modo pertinere videtur. populare verò nihil eſt ibi. Nec enim vllam ibi poteſtatem plebs obtinet, verum ſenatui paret in rebus omnibus, & ſeueris coercetur legibus atque decretis. Hac ratione in tantam creuit amplitudinem ea ciuitas, & contra

potentiſſimos ſæpè principes imperium ſuum ad hoc vſque tempus defendit. Nec enim perfectiorem rempublicam vlla vidit ætas, & qui rationes ipſorum perſpexerit, idem quod ego, ſentiet. Neque tamen eſt nihil quod ibi deſideres, & illud quidem tanti momenti, vt & in ſummis aliquando fuerint anguſtiis ob hoc ipſum, & deinceps quoque eſſe poſſint, niſi caueant. Nam ſicut corpus humanum ex quattuor conſtat elementis atque humoribus inter ſe contrariis, & quoad rectè ſe aggregauerint illi, valetudinem tuetur & auget etiam, paullatim verò, quum ex iis vnus aut alter luxuriari cœpit, quod temporis longinquitate fieri neceſſe eſt, in ægritudinem incidit ex illa diſſociatione & inæqualitate; quumque vni membro medicinam facimus, alterum lædimus: ad eundẽ quoque modum, humana ſocietas, quam ciuitatem appellamus, & corpus reipublicæ aggregatum ac conſtitutum legibus, initio quidem creſcit & amplificatur, pòſt, vbi ad ſummum euaſit, in eodem ſtatu conſiſtit aliquamdiu, tandem verò propter diſparem & contrariam eorum, ex quibus conſtat, naturam, inſtituta, mores, dilabitur & planè corruit. Vulgò numerari ſolent quinque gradus humanæ vitæ, infantia, adoleſcentia, virilis ætas, ſenectus, & ætas decrepita.

pita. Hunc ad modum viri quidam docti partiti ſunt imperium Romanum, & certè cuiuslibet ciuitatis aut imperii conſimilis videtur eſſe condicio. Atque vt ad inſtitutum reuertamur, ſunt in republica Venetorum, quæ, niſi emendentur, allatura ſint aliquando multum incommodi. Ex iis præcipuum eſt, quòd ſoli nobiles, munera publica, in quibus aliquid eſt dignitatis & emolumenti, omnia ferè, aut maximam illorum partem obtinent, quod reliqui ciues, in quibus plurimi ſunt facultatibus & ingenio præſtantes, grauiter ferunt, eoque magis, quò nunc eſt amplior factus nobilium numerus. Qui verò in reliquis ipſorum ditionis oppidis habitãt viri nobiles, ii nullo ferè ſunt in numero, & publicè minimùm poſſunt. quod eò videtur inſtitutum eſſe, ne ſi cum imperio ſint, motum aliquẽ excitent. Iam, qui Venetias incolunt ciues, conſequendi aliquod munus aut præfecturam, ſpem nullam propè habent, eò quòd aucto, vt diximus, nobilium numero, vix ſatis eſt, quod in hos diſtribuatur. Alterum eſt, neque parui id momenti, quòd quum in continente bellum eſt gerendum, rei ſummæ præficiunt externos, non autem ſuæ gentis homines, veriti, ne qui exercitum habeat in ſua poteſtate, regnum occupet & dominatum inuadat. Natura qui-

dem illi & vitæ inſtituto plus mercaturæ ſtudent quàm ſcientiæ bellicæ. quò fit vt pauci reperiantur in re militari pręſtantes. Verum in eo quod diximus, hoc eſt mali: quòd externi, quos mercede conducunt, non æquè ſunt erga rempublicam affecti atque ciues, quorum ibi ſalus agitur. Et quamquam imperatori ſemper adiungunt legatos, quos ſua lingua *prouiſores* appellant, ad quos omnium conſiliorum belli ſumma redit, & quorum abſque voluntate nihil ille, quod alicuius ſit momẽti, cõnſtituere poteſt, tamen non eſt idoneum iſtud remedium. Nam quoniam hi, quos diximus, legati, plerumque ſunt homines imperiti rei militaris, perfacile eſt, vt grauiſſimè errent. Deinde, exercitus imperatores, quum illorum ſe poteſtati deuinctos, & ipſis parendum eſſe vident, non ea ſunt alacritate, neque fidelem operam præſtant, & indignitate quadam commoti, non raro cupiunt malè rem adminiſtrari, eiuſque rei documenta quædam proferri poſſint. Sed & inter nobiles ipſos exiſtunt ſimultates. Nam qui originem ducunt ex primis illis reipublicæ auctoribus, ii multò ſe debere pręferri putant aliis, qui poſtea ſunt in eum ordinẽ allecti, ac nunc multitudine ſuperant. Hæ duæ factiones, de dignitate, deque potioribus reipublicæ præfe-

præfecturis ita contendunt, vt ſæpè graues inter ipſos oriantur offenſiones, dum ſuis cupiditatibus plus quam vtilitati communi ſeruiunt. Nam animi perturbationibus æquè ac reliqui homines, adficiuntur. Quamuis autem nullum adhuc ex ea re magnum incommodum hactenus apud illos exſtitit, quod prudentiæ quorumdam & eximiæ virtuti tribui debet: tamen metuendum eſt, nę tandem, vbi corporis humores, vt antea demonſtrauimus, nimium aucti fuerint atque corrupti, morbus ſeſe prodat, & adeò quidem vehementer, vt medicinæ non ſit futurus locus. Et hæc quidem non eò pertinent, quaſi aut meum ſit, aut mihi ſumam, aliquid in ipſorum republica vituperare: quæ, meo iudicio, longè eſt omnium prȩſtantiſſima, eius quidem generis: ſed vt demonſtrem, fieri non poſſe, quin eiuſmodi in ſtatu atque forma reipublicæ, præſertim ſi ampla ſit ciuitas, plura, quam in Monarchia, deſiderentur. Nam ſingularis aliquis, qui ſolus rerum potitur, facilius mederi poteſt incommodis, quàm multi ſimul gradu & dignitate pares. Natura etiam comparatum videmus, vt vnum aliquem excellenti dignitate, plus reuereantur & obſeruent & metuant homines, quàm coactum aliquem numerum delectorum, qui tempore com-

mutantur. Ratio quoque præſcribit, in omnibus rebus ad vnum aliquem, velut ad caput atque fontem neceſſario confugiendum, & rem eſſe plenam incommodi atque periculi, quum plures ſimul imperium obtinēt. quin etiam doceri poteſt, Monarchias, etiamſi vel interitu principum, vel alio quopiam humano caſu fuerunt immutatę, diuturniores fuiſſe & tranquilliores, quàm vel optimatum vel popularem ſtatum, vt in Aſſyriis, & Ægyptiis, & Parthis, immò, vt propioribus vtamur exemplis, in Britannia, Hiſpania, Gallia videmus; quibus ſanè prouinciis nullæ aliæ reſpublicæ, temporis longinquitate conferri poſſunt. Deinde, quæ regna ſucceſſionis aut hereditario iure transferuntur, multò magis florent, iis, vbi ſuffragiis & optione res agitur, vt in imperio Romano ſatis apparet. Cuius rei hæc eſt cauſſa, quòd malis ferè artibus plerique ad faſtigium illud enituntur, & vim ſæpè faciunt. quod non ſemel accidiſſe conſtat, quum Cęſare mortuo, nouus erat deligendus. Ac faceret Deus, vt non eiſdem artibus ad Pontificiam dignitatem, alioſque honores Eccleſiaſticos, vbi ſola virtus locum habere debet, multi contenderent. His igitur aliiſque de cauſſis, quas vitandę prolixitatis gratia prętermitto, ſatis conſtare puto, vnius imperium

rium multò eſſe reliquis præferendum. Galliam verò ceteris regionibus præſtare, ac non ſolum ad diuturnitatem, verum etiam ad incrementum & amplificationem, optimè eſſe conſtitutam, demonſtrabo, ſi nonnulla, de quibus poſtea dicemus, emendentur, quod eſt factu non difficile. Et primo quidem ſingulare eſt illud, quod ad ſolos maſculos Galliæ defertur imperium. *Salicam* vocant eam legem, qua iſtud cauetur, & optimo quidem conſilio. Si enim feminę ſuccedant, fieri poſſet, vt in externi alicuius poteſtatem rerum ſumma perueniat, in quo permultum ſit futurum incommodi. Nam is quum & educatione & moribus & lingua & ingenio differat, à natura ipſa diligere quodãmodo cogitur, & in rebus omnibus præferre ſuæ nationis homines, iiſque honores & præfecturas & vbicumque eſt aliquid emolumenti, communicat, qua quidem ex re neceſſe eſt graues oriri offenſiones, ac inuidiam, tum multitudinis, tum nobilitatis. Quum verò ſoli maſculi locum habent, certus ac perpetuus eſt hæres, quoniã qui genere proximus eſt, is indubitatò ſuccedit, eumque populus reueretur & colit, vt magiſtratum ſuum legitimum, etiam ſi remotiori gradu diſtet ab eo, qui deceſſit: quod nuper vidimus mortuo Carolo octauo: atque etiam

Ludouico duodecimo. Et quamquam ſuperioribus annis,ac paullò ſupra hanc memoriam, vehementiſſimæ diſſenſiones grauiſſimaque bella videntur ob eam rem extitiſſe: tamen non obſcurũ eſt,eam cauſſam, quòd veri ſimilitudinem aliquam haberet, obductam tunc fuiſſe. Nam & ius tandem obtinuit,eoque res deducta,& legibus ad eum modum eſt confirmata,nihil vt poſthac turbæ ſit idcirco metuendum, nulla etiam vt dubitatio reſidere deinceps poſſit. Atque vt doceam, quod facturum me dixi, Galliam prudenter ac bene præ ceteris gubernari:preſentem reip. ſtatum, ac veteres etiam leges, quibus vſa fuit, explicabo.Illud in primis magni eſt momenti, regiam poteſtatem, ac reliquos omnes regni ordines, adeo commodis & æquis rationibus inter ſe deuinctos eſſe, ac velut coagmentatos, vix vt vllum poſſit inter ipſos magnum diſſidium oriri. Scio equidem nihil eſſe firmum,nihil perpetuum in rebus humanis, & fore vti regnum hoc quantumuis amplum ac potens, aliquando corruat, quod omnibus aliis imperiis eueniſſe conſtat, vt ſuprà diximus: verum vt homines, quò ſunt meliori corporis cõſtitutione, & quò ſunt in victu temperantiores, eò firmiori vtuntur valetudine: ad eundem quoque modum,regna,quò prudentius

dentius adminiſtrantur,&quò melioribus vtuntur legibus,eò conſiſtunt diutius. Atqui in Monarchiis, vbi ſucceſſionibus eſt locus, vt in Galliis, plena detrimenti videtur eſſe illa principum mutatio. Fit enim ſæpenumero,vt præſtantiſſimo regi ſuccedat aliquis ineptus & vitioſus, aut etiam ætate puer, in quorum vtroque multum ineſſe poteſt incommodi, vel propter illius, qui ſolus imperat, vel eorum,qui tutorio nomine rempublicam procurant, nequitiam. In eum verò caſum res deuenire ſolent, quum Deus aliquam prouinciam, pro ipſius merito atq; ſcelere,vlciſci conſtituit. quod vbi fit, nullus eſt amplius humanæ prudentiæ aut rationi locus, ac tunc ferè ſolet euenire, quum regna maximè florent,quum ad ſummã felicitatẽ&amplitudinẽ excreuerunt, & quum propter potentiam nihil eiuſmodi metuitur. quod eò fit, vt homines ſecuri, ac velut ebrii dulci fortuna, rerũ humanarum mobilitatẽ, inconſtantiam & imbecillitatẽ perſpiciant, & Deum reuereantur, à quo ſalus & interitus rerum omnium dependet. Iam ſi qua eiuſmodi tempeſtas nobis metuenda ſit in Galliis, quod Deus auertat, in promptu ſunt remedia,quibus & regem immoderatè dominantem, & eius, qui per æta-

tem regere non poteſt, nutricios & procuratores coërceamus, ita quidem, vt regi conſtet ſua dignitas, & non quodlibet, ſed quod iuri ac æquitati conſentaneum eſt, ei liceat. Optimis enim legibus ſanctiſſimiſque decretis huic rei proſpectum eſt, quæ non niſi magno negotio violari poſſunt, tametſi vis nonnumquam intentatur. Sunt autem tres, tamquam freni, quibus Galliæ regum ſumma poteſtas temperatur, *Religio, Iuriſdictio*, & *Politia*. Ad primum quantum pertinet, Galli ſemper præ ceteris valdè fuerunt deditì religionibus etiam tunc, quum Dei nullam haberent noticiam, & Druides, qui ipſorum erant ſacerdotes atque pontifices, præcipuam habebant authoritatem, vt Cæſar commemorat. Vbi verò Chriſti doctrina cœpit innoteſcere, primi omnium inter lõginquas nationes eam ſunt complexi, & ſemel admiſſam magno ſtudio tuentur ac retinent, in hodiernum vſque diem, nec vllam patiuntur hæreſim apud ſe reſidere aut inueteraſcere, quod & Hieronymus memoriæ prodidit. Et adeo quidem in hac parte ceteris antecellunt, vt & Britanni, & Germani, & Hiſpani ſuas Eccleſias ad Galliæ præſcriptum atque regulam non ſemel conſtituerint ac emendarint. Noſtrorum quoque regum ſemper maximè fuit inſignis ac memo-

memorabilis diligentia & aſſiduitas, & ardor in profligandis hæreticis & defendenda Eccleſia: & ad hoc vſque tempus reliquæ nationes omnes, Lutetiam Pariſiorum, velut ad vberrimum fontem, confluunt, diſcendæ cauſſa religionis. ac his, quas dixi, de cauſſis, *Chriſtianiſſimi* cognomen, eſt huic regno attributum. Qui igitur acceptus eſſe populo, ſuumque ſtudium illi vult approbare, hunc oportet religionis diligentiſſimum eſſe cuſtodem. Niſi enim hoc interueniat populi de ipſo iudicium, minus amant, & inuitiſſimi dicto ſunt audientes, & ſi qua calamitas regnũ affligat, totum hoc regis tribuunt impietati, vt non ſemel eſt compertum: tametſi nonnumquam in aliis potius, quàm in regibus culpa reſidere ſolet. Quum autem ad præcepta religionis vitam accommodat, nihil agit ſuperbè, nihil auarè, nihil iniuſtè: ſin minus, iam cuiuis Epiſcopo vel Eccleſiaſtici ordinis homini, qui ſit inculpatæ vitæ & acceptus multitudini, reprehendere illum & palàm admonere ſui officii conceſſum eſt, abſque vllius metu periculi, quandoquidem regi verendum eſt, ne ſi quid grauius in illum ſtatuat, populi voluntatem alienet. Eiuſmodi libertas nullo eſt in alio regno, quod ſciam, aut certè non ęquè magna. Sed à paruulis & ab ineunte ætate re-

ges ita ferè inſtituuntur, vt & Deum reuereantur, & ordinem Eccleſiaſticum in honore habeant. Atque iſta religionis opinio, quum videlicet perſuaſum eſt vulgo, principem vti propitio Deo, magnam ipſi beneuolentiam atq; gratiam apud omneis conciliat. Alexander Macedo, qui propter rerum geſtarum amplitudinem appellatur Magnus, Ioue parente natum ſe prædicabat. Qui per Græciam olim fuerunt fortiſſimi duces, originem ſuam ad Deos referebant. Numa Pompilius, alter Romanorum rex, quia colloquium ſibi eſſe cum Ægeria Dea fingebat, multò obſequentiorem populum in rebus omnibus effecit, quàm Romulus vi armorum & diſciplina militari. Scipio Africanus idem feciſſe dicitur. Ex iis verò, qui Chriſti doctrinam ſunt profeſſi, Conſtantinus & Theodoſius, & Carolus Magnus, & alii quidam feliciſſimos habuerunt progreſſus, & fortuna ſunt vſi maximè ſecunda, quòd religionis nomine ac opinione multitudini erant commẽdati. Reges igitur Galliæ, quia perſuaſionem iſtam populi vident ſuis rebus eſſe neceſſariam ad deuinciendos animos, etiamſi fortè natura & ſponte ſua minus ad pietatem inclinent, tamẽ diligenter cauere ſolent, ne quid publica reprehenſione dignum admittant. Et hoc quidem

eſt pri-

eſt primum, vt dixi, frenum, quo regum ſuprema poteſtas inhibetur. Alterum eſt, *Iuriſdictio*, quæ in Galliis maximè viget, ideoque ſunt inſtituti Senatus atque Iudicia, quæ noſtra lingua vocantur *Parlamenta*, vt ne plus, quàm iure cõceſſum eſt, illis liceat. Eorum enim iudicum is eſt numerus, eaque poteſtas, vt decretis ipſorum rex quoque pareat, & in controuerſiis aliquando cauſſa cadat, neque ſuis aduerſariis, quibuſcum litigat, præiudicare poſſit. Ab his etiam expenduntur litteræ regis ac interceſſiones, & ſi quid eſt in iis vitioſum aut ſuſpectũ, repudiantur. Quantum ad crimina & maleficia pertinet, etiamſi rex alicui ignoſcat & pœnam remittat, tanta eſt tamen illorum in his rebus ſeueritas, vt ſpe Impetrandæ gratiæ, nemo ferè audeat aliquid grauius deſignare. Quamuis enim victi aliquando regis auctoritate, nimióq; fauore, diſſimulare & actionem intermittere cogantur: tamen, vbi fauor ille paullatim deſiit, eum qui deliquerit, grauius multò puniunt, quam ſi interceſſionem nullam obtinuiſſet. Accedit, quòd perpetua eſt ipſorum functio, & niſi propter atrox aliquod facinus non remouētur loco. quod quum obiicitur, ad reliquum ſenatum eius rei quæſtio defertur. Quòd ſi fortè non ſeruata iu-

ris formula, de gradu quis deiicitur mandato regis, tum qui vel detulit, vel qui locum alterius vacantem occupauit, non eſt quòd ſolidum ſibi gaudium illud polliceatur. nam vt ſui facti rationem accuratiſſimam aliquando reddat, oportet. Quò fit, vt propter hanc muneris perpetuationem, quando ſciunt, nihil ſibi poſſe, præter ſua ipſorum maleficia, fraudi ac detrimento eſſe, maiori tum fide tum diligẽtia ius reddant. Eſt igitur ſumma per Galliã, vt diximus, auctoritas iuris, quæ flecti quidem & variari gratia fortaſſe poteſt, euerti autem & aboleri tota non poteſt: tametſi habeat ſuas maculas atque vitia, quæ certè requirunt emendationem, vt eſt rerum mortalium condicio. Tertium frenum eſt, vti demonſtrauimus, *Politia*. Hæ ſunt leges atque decreta, quæ Galliæ reges, alii poſt alios, fecerunt ac confirmarunt ſingulis temporibus, neque temere illis derogant: ac ſi faciant, populum non ſint habituri obſequentem, in primis, quantum attinet ad ipſorum, hoc eſt, regni Galliæ, patrimonium. quod ipſis alienare non licet, niſi magna cogantur neceſſitate, quæ multa ſenatus deliberatione adeo curiosè examinatur & diſquiritur, vt propter incertitudinem venditionis, pauci earum rerum aliquid ſibi emẽdum, & ſubeundum eſſe periculum

riculum putent. Quamquam enim regibus conceſſum eſt vti frui poſſeſſionibus ac facultatibus regni, ſuo arbitrio: tamen omnium expenſarum rationes referuntur ad quæſtores ac ærarii præfectos, qui illas minuendi poteſtatem habent, ſi vel immoderatas eſſe vel inutiles cognouerint. quod ſumma profectò æquitate nititur, & communem vtilitatem attingit. Niſi enim conſeruentur & rectè diſtribuantur publica regni vectigalia, & annui prouentus, iam olim regibus attributi, neceſſe eſt, quum bellum aut aliqua vis maior incidit, vt populus magno ſuo detrimento pecuniam conferat. hoc igitur, veluti freno, nimia regũ liberalitas coercetur. Multæ quidẽ ſunt aliæ regni noſtri leges, quas breuitatis cauſſa non recito. ac ſatis eſt mihi, præcipua illa dixiſſe, quibus regum auctoritas temperatur. quod ad ipſorum laudem in primis pertinet. Nam ſi quiduis poſſent, multo eſſent imperfectiores: ac ſicut Deus omnipotens, non idcirco, quia peccare non poteſt, iudicatur eſſe minor, ſed illuſtrior fit eius, hoc ipſo, & admirabilior perfectio: ſic etiam reges, quum ſuis ipſi legibus obtemperant, multò maiorem laudem merentur & ad perfectionem propius accedunt, quàm ſi ad nutum ac voluntatem ſuam iubeant omnia fieri, & ad hunc

modum temperata ipſorum poteſtas proximè ad Ariſtocratiam accedit, & firmius conſiſtit. Sunt in Galliis etiam tres præcipui ordines, *Nobilitas, Populus, Vulgus*. Hi ſinguli, pro ſua quiſque conditione, ſuas habent leges ac inſtituta, quibus vtuntur, & adeò commodè ſunt inuicem aggregati, vt ęgrè facultatem habeant alii alios opprimendi, aut etiam aduerſus regem coniurandi. De Eccleſiaſticorum ordine poſtea ſum dicturus. *Nobilitas* igitur Galliæ ſiue Equeſtris ordo maximis fruitur commoditatibus ac priuilegiis, eóque fit, vt magno quodam affectu regem complectantur, & vitam quoque pro ipſius ac patriæ ſalute profundant. Nec enim vllum pendunt tributum, & armatis licet ipſis eſſe quocumque loco, & multa habent vitæ præſidia, ſic vt non ſit opus illiberalem aut quæſtuariam aliquam artem exercere. Hoc enim noſtris moribus minimè illis conceditur, niſi fortè domi maneant, ac rei familiari ſtudeant. Sed ſi regem ſectari velint, habent quo ſe honeſtè alant. Plurima enim ſunt domus & aulæ regiæ miniſteria, quæ ſolis nobilibus attribuuntur, qui ſinguli partem aliquam anni in iis procurandis conſumunt, & reliquum tempus vacuum habent ac liberum rebus priuatis atque domeſticis adminiſtrandis. Hi omnes an-

nuum

nuum accipiunt à rege ſtipendium, & ampliora ſperandi magnas habent occaſiones. Principes autem viri, ac maioris dignitatis proceres, quoniam & ipſi regis beneficentiam experiuntur, ac partem reipublicæ procurant, nobilibus, qui ſunt re familiari minus lauta, victum & alia ſæpè communicant. Deinde, reges perpetuum alunt & ampliſſimum equitatum, exercendæ & alendæ cauſſa nobilitatis, ac in tanto equitatus numero plurimæ ſunt præfecturæ, quæ in illos diſtribuuntur, eaque ratio non minus pacis quàm belli tempore durat. Maioris quidem loci nobiles, pro ſua quiſque conditione ac virtute, pręficiuntur equitibus: ex reliquis autem alii ſunt Legati, alii Signiferi, alii Equites cataphracti, alii Sagittarii, & qui per ætatem nõ poſſunt ferre arma, reliquis famulantur; & quum nullũ intercedit bellũ, licet ipſis manere domi, ſuiq; ſtipendii partẽ non mediocrẽ parſimonia conſeruare. Ad hæc, nemo credat, quàm multę ſint per Galliam præfecturæ, vt ſic dicam, vrbanæ, quæ ſoli nobilitati committuntur. nam alii prouinciis, alii ciuitatibus, alii opidis, alii finibus, alii caſtellis & arcibus, alii vicis præficiũtur, vt interim nihil dicam de maioribus illis muneribus, quæ principibus tantum tribui ſolent, cuiuſmodi ſunt, qui

noſtra lingua dicuntur *Conneſtablii*, *Mareſcalli*, *Ammiralii*, & id genus alii. Sed & annuam pecuniam, velut honorarium quoddam, reges liberalitate quadã elargiri ſolent in multos nobiles, qui nulli ſunt addicti miniſterio: hi appellantur noſtra lingua *penſionarii*. Satis igitur ex iis quæ diximus apparet, ordinem equeſtrem valdè honeſtè & liberaliter in Galliis haberi, & rectè quidem. nam & patriam ab hoſtibus defendunt, & natura ferè ceteris antecellunt, & non ſolum ipſis, verum etiam maiorum ipſorum meritis atque virtuti iſtud tribuitur. Alter ordo ſuas etiã habet commoditates, non exiguas. ad hunc pertinent Mercatores, qui eò faciunt maiorem quæſtum, quòd tutò ipſis per Galliam proficiſci ac negociari licet, tum, quòd nobiles & mercaturam nullam exercent, & ſplendidè ferè ac ſumptuosè veſtiuntur. Huic etiam ordini conueniunt ac ferè tribuuntur Quæſturæ & Rationes nummariæ, item Prçturæ, & quidquid ad iuriſdictionem pertinet, qua ſanè in re plurimum eſt honoris ac emolumenti. Sunt enim in Gallia Iuris adminiſtri, Iudices, Aduocati cauſſarum, Procuratores, Scribç, & id genus alii, multò plures, mea quidem ſententia, quàm in reliquis omnibus orbis Chriſtiani pro-

ni prouinciis, quod peropportunè illis accidit, qui relicta mercatura, his rebus operam nauare volunt. Et adeò quidẽ eſt fructuoſus hic ordo, vt nobiles etiam inuideant. quamquam certè dignitate atq; ſplendore reliquis præſtant, & qui ſunt alterius ordinis, ferè ſtudent ad hunc peruenire, vt poſtea ſum dicturus. In tertio genere eſt *Vulgus* & promiſcua hominum multitudo, qui & agros colunt, & omnis generis artificia tractant. Vt autẽ hi vel nimia vtantur libertate, vel admodũ ſint diuites, vel in armis etiã exercitati, non eſt conſultum. Nam quia conditionem ſeruitutis oderunt omnes, & natura ſuas fortunas amplificare ſtudent, facilè fit, vt arma capiant & potentiores opprimant, quod & in Galliis & aliis in locis non ſemel accidiſſe conſtat. Vt autem eiuſmodi ſint ordines, ac veluti gradus in omni republica, neceſſe eſt, quemadmodum in corpore humano videmus, infirmiora & ignobiliora membra ſubminiſtrare dignioribus. Neque tamen eſt, quòd hi ſuum ſtatum deplorent ac indignè ferant, quoniam & ius communicatur ipſis æquabiliter, & quam à maioribus acceperunt, ea vtuntur libertate, & multis etiam reipublicæ miniſteriis adhibentur, & ſola virtute ac induſtria & aſſiduitate poſſunt ad ſecundum ordinem

emergere, quod ſecundo non licet, vt ad primum videlicet euadat, niſi regis beneficio ſingulari, quod ille ſolet iis impertiri, qui aut iam fecerunt, aut pro republica videtur poſſe aliquid facere egregiè. Et prudenter quidem iſtud eſt inſtitutum. primum, vt ordo conſeruetur Equeſtris, qui propter belli exercitium ferè minuitur, & ſumptus vix tolerat. deinde, vt homines tantis excitati præmiis, virtute contendant & ad ſuperiorem gradum eluctentur. Hac etiam ſpe confiſi ſunt plebei & infimi ordinis, aſpirant ad ſecundum, & quum in eo verſati fuerint aliquamdiu, ad primum. Itaque fit, vt minus ſit inter ipſos inuidiæ ac maleuolentiæ, quando vident, meritis ac virtuti patefactā eſſe viam ad ampliſſimos honores, & propoſitum eſſe periculum, ſi malis rationibus eoſdem obtinere ſtudeant. Quòd ſi vel conatus nimium difficilis, vel ſpes nulla eſſet ampliora conſequendi, tum qui ſunt mediocris & infimi gradus, magni præſertim animi, cauſſam reperirent & occaſionem excitandi motus, & ſui ordinis homines contra potentiores armandi. nunc autem minimè difficilis eſt ratio, & videmus, quàm multi ex humili ſæpè loco ad ſummum faſtigium euadant. Hanc quoque rationem diligenter olim ſeruabant

bant Romani. nam à populari ſtatu gradum faciebant ad ordinem equeſtrem, & huic deinde ad patritiam & ſenatoriam dignitatem patebat aditus. Eſt præterea *ordo Eccleſiaſticus*, nulli non communis, qui modo animum huc adiiciat. Et pro Galliæ conſuetudine non raro accidit, vt etiam homines plebei, virtute ac eruditione præſtantes, ampliſſimos in eo genere conſequantur honores, Cardinalatum aliquando, vel Pontificatum etiam. quæ ſanè res ad virtutem ac litterarum ſtudia homines inflammare poteſt. Quare ad reipublicæ vtilitatẽ ſemper exiſtimaui pertinere, vt mos ille ſeruetur conferẽdi ſacerdotia & eccleſiarum facultates iis, qui ſuæ diligentiæ ac litteraturæ documentum aliquod egregium dediſſent. Niſi enim ita fiat, potiſſima pars earum facultatum erit in poteſtate Principum ac Epiſcoporum, qui ſuis deinde familiaribus atque ſeruulis ea diſtribuunt: reliqui autem, qui Romæ & apud regẽ nullos habent amicos atq; ſollicitatores, fruſtra laborẽ omnem ſumunt. Neq; tamen hoc ita velim accipi, quaſi in ea ſanctione & lege, quam *Pragmaticam* noſtri vocant, nihil ſit vitii. non enim hoc mihi ſumo diſputandum: ſed quod publicè mihi profuturum eſſe videtur, expono. Vellem equidem inueniri poſſe ali-

quam in eo rationem, quæ & reipublicæ Galliæ, & Romanæ quoque curiæ ſit non incommoda. ſed plura de eo non ſum dicturus in hoc loco. Quæ autem dixi, omnia eò pertinent, vt oſtendam, quàm aptè & venuſtè inter ſe cohæreant omnes regni ordines, è quibus ſi quis aliquid delinquat, facilis eſt medicina. Nam ſi nobiles iniuriam ceteris faciant, coercentur ab iis qui ius reddunt, quorum eſt tanta auctoritas, vt quantumuis magni principes eorũ cogantur parére decretis. quòd ſi populus etiam atque vulgus aliquid moliatur, vt nonnumquam accidit, non eſt difficile nobilitati, propter potentiam & vſum armorum, illos ad æquitatem & officium adducere. eoque fit, vt ſuarum rerum finibus ac veluti cancellis ſeſe contineant omnes, àc pacem alii cum aliis colant, quando neque cauſſam habent, neque facultatem etiam aliquid conandi, & periculum in eo ſummum eſſe vident. Itaque regem tanti beneficii auctorem complectuntur & amant omnes, ac quum tempus incidit, libentiſſimè imperata faciunt, & publicis neceſſitatibus magno ſtudio ſubueniunt. Quòd ſi priuatim aliqui ab officio diſcedant, parata ſunt remedia, ſic, vt malum non poſſit longius progredi. Et hæc quidem ſatis eſt dixiſſe, vt demonſtrem, quod ſuprà diximus,

mus, Galliam optimè conſtitutam eſſe legibus. Nunc ad alteram partem venio, quę plurimum habet, vt difficultatis, ita etiam vtilitatis. nam & quæ ſint noſtræ reipublicæ vitia, & quemadmodum ea debeant emendari, complectitur. Ac ſanè magnitudo rei, non vnius modo, ſed multorum peritiſſimorum hominnm ſententiam poſtulat. quod tametſi ita ſit, tamen ſtudium & amor reipublicæ perſuadent ac propemodum impellunt, vt quidquid & labore & ingenio & rerum tractatione atque vſu, multis nunc annis, quos publicis negotiis impendi, cognitum atque meditatum habeo, proferam. Nemini verò legem aut modum hîc vllum præſcribo, ſed quod conueniens & vtile mihi videtur, explano, & iis qui melius rem cognoſcunt, iudicium permitto. Et quoniam in eiuſmodi republica, qualis eſt noſtra, totum à rege dependet, præcipuum ac ſummum eſſe videtur, vt ſit vir bonus atq; prudens. Nam ſi populum habeat obſequentem, facilè efficiet, vt quæ bonæ ſunt & ſalutares leges, vigeant atque ſeruentur, quæ verò minus, hæ vt abrogētur; Deinde, quum rectè vitam inſtituit, moribus & exemplo ſuo prælucet omni populo, & ad ſui imitationem incendit, & quum reipublicæ ſtudium in eo apparet, reliqua præfectorum

turba minimum audet ab officio recedere, & promiſcuè omnes elaborant, vt ne quid animaduerſione dignum faciant. Iam verò, ſi in regibus hæ quattuor ineſſent virtutes, Ingenium, Experientia, Prudentia, & Amor Reipublicæ, nihil deſiderari poſſet amplius: ſed quoniam vix pauci reperiuntur tales, & vt fortaſſe reperiantur, tamen quoniam imperii non virtutis eſt hereditas, & quia vis tota in actione cõſiſtit, veniendum eſt nobis ad earum rerum, quas in bono principe requirimus, explicationem, quod & Ariſtotelem, Alexandri Magni præceptorẽ, & alios complures doctos & exercitatos homines, feciſſe conſtat, traditis totius vitæ præceptis. Quomodo autem regenda ſit Reſpublica, & quibus virtutibus oporteat principes viros eſſe ornatos, de his rebus omnibus adeò luculenter & copioſè multi ſcripſerunt, tam Græci quàm Latini, atque etiam noſtræ linguæ homines, vt nimis prolixum ac planè ſuperuacaneũ ſit ea omnia congerere, temerarium autẽ, velle aliquid iis adiicere. Nulla enim noua ratio inueniri poteſt, quam non ſuperioris ætatis homines demonſtrarint, ſed dialogis nonnulli rem tractarunt, vt Ariſtoteles, & Xenocrates & Thomas Aquinas: alii vero hiſtoricè, vt Xenophon in eo libro, quem inſcri-

inſcripſit *Pædiam Cyri*, quem regem deſcribit, eiuſque vitam & mores & res geſtas commemorat, non quidem, quòd reuera is fuerit, ſed quod talem eſſe oporteat, qui boni principis perſonam ſuſtinere velit. Eſt enim Cyrus ab illo non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperii. Alii orationibus aut panegyricis rem demonſtrant vt Cicero, dum Pompeii laudes recitat, & Plinius, dum Traianum Cæſarem prædicat, eiuſque generis quædam conſcripta ſunt etiam noſtrâ linguâ. Sunt alii, qui quum principum facta commemorant, virtutes eorum celebrant, vt reliquos ad exemplum inuitent, ac vitia quoque grauiter ac odioſè reprehendunt, vt homines deterreant. quo quidem in argumento præſtat Valerius Maximus; qui nō modo Romanorum, ſed & exterorum præclarè atque etiam improbè, turpiterque facta diligentiſſime conſcripſit. Quod ſi viri principes vel legerent ipſi, vel ab aliis audirent eiuſmodi libros recitari, & menti animóque infigerent optima, quibus ii libri ſunt referti, præcepta, nō eſſet iis opus vlla inſtitutione maiori: ſed quoniam earum rerum omnium recordatio & vſus difficilis eſt, propter prolixitatem & multitudinem, tum etiam propter humani ingenii atque naturæ infirmitatem,

in primis autem, quoniam principes & qui magiſtratum obtinent, ſi ſunt prudentes, grauibus implicantur negociis, & parum habent vacui temporis; aut ſi ſunt ætate minores, deliciis atque voluptatibus ferè ſe tradunt: his de cauſſis, quæ mihi videntur ad bene gubernandam Rempublicam Galliç in primis pertinere, paucis comprehendam. Ita fiet, vt nec illos, qui ſeriis rebus occupantur, ab labore & induſtria reuocem, nec iis, qui ſeria parum curant, moleſtiam aut faſtidium adferam. Atque iſtud eò paratius aggrediar, quod regem, qui nunc præeſt, ea bonitate ingenii eſſe confido, vt quæ optima eſſe cognouerit, libenter ſit amplexurus, & Deum habiturus propitium, qui quum corda regum in ſua poteſtate habeat, orandus eſt, vt ſana cōſilia magiſtratui ſuggerat. Primum ergo generatim de iis, quæ huc pertinere videbuntur, verba faciam, antequam alia quæ ſub ipſo genere latent, in medium adferam, medicorum exemplo, qui cum aliquid in ægroto deprehendunt, quod cauſſam alicuius magni morbi adferre poſſit, ſolent ei tantum malo prouidere atque conſulere, interim autem de eo, quod totius valetudinis recuperationē attingit, nihil ad tempus præcipiunt. In primis cauendum eſt regi, ne quid immoderatè aut præcipitanter
vlla

vlla de re ſtatuat, ſed ſuorum vtatur conſilio, ſicut præſtantiſſimos ſemper viros in rebus magni momenti feciſſe cōſtat. Nam & Moyſi Deus attribuit homines prudentes, ex tota multitudine delectos, quorum adiutus cōſiliis rem adminiſtraret. Fieri enim non poteſt, vt vnus aliquis, aut etiam pauci quidam, quantumuis excellentes, tantam imperii molem ſuſtineant, immò, negociorum multitudo caliginem quandam mentis obducit iis, qui nimium in ſe recipiunt. quia nec ingenii ſatis habere poſſunt, nec etiam temporis, vt idonee res omnes conſiderent. & valdè peccatur, quum ſubitò ac tumultuosè aliquid agitur. Sed prouidendum eſt etiam, ne quod tacitum & arcanum eſſe oportet, cum pluribus communicetur. Sæpè enim fit, vt nonnulli propter locum ac dignitatem, quam obtinent, ſint adhibendi conſultationibus, & quod maiori parti viſum fuerit, illud ferè decerni ac recipi ſolet: ſed in eo ſæpè periculum eſſe poteſt, quoniam ex multis perpauci ingenio ſimul & vſu rerum atque iudicio præſtant. Quum ergo magna ſit in eo difficultas, & quia conſiliariis carere principes omninò non poſſunt, opus eſt, mea quidem ſententia, vt præter iuris adminiſtros, de quibus anteà diximus, rex inſtituat tres ſenatus, quibuſ-

cum de rebus omnibus deliberet exemplo Seruatoris noſtri, qui præter ſeptuaginta duos diſcipulos, habuit Apoſtolos duodecim, in iiſque ſolum treis maximè familiares, Iohannem, Iacobum, Petrum, quibus & ſuam diuinitatem ſeparatim oſtendit, & de morte atque cruciatu ſuo, quum iam eius cogitatione vehementiſſimè perturbaretur, plurima dixit, quin etiam in his tribus, Iohannem præ ceteris valdè complexus fuit, vt ſacræ litteræ teſtantur. Ad eundem quoque modum, de publicis negociis rex cum frequenti concilio communicabit, cui interſint Principes, Epiſcopi, Cubicularii, & id genus alii præfecti domeſtici: ac ſi res ita poſtulet, ſenatus, ac Iudiciorum præſides, ac primi nominis conſiliarii, & omnes in quibus aliquid eſt dignitatis atque conſilii. & ſi fortè abſint, euocandi erunt. quod tamen rarò ac tunc ſolum eſt faciendum, quando de ſumma rerum agitur, quum vel bellnm eſt ſuſcipiendum, vel ferendæ nouæ leges, aut aliquid ſimile. Tunc enim ex præcipuis regni ciuitatibus adhibendi ſunt prudentiores. & hic quidem ſenatus non eſt perpetuus, verum temporaneus. Illud verò dicitur perpetuum & ordinarium concilium, cui adhibentur ii, qui regem ferè comitantur, in eóque concilio

tractari

tractari debent ea, quæ maturam quidẽ & grauem deliberationem, ſed tamẽ nullam requirunt taciturnitatem. Sæpius autẽ cogi debet hoc concilium, etiamſi negotiorum magnitudo nõ flagitet. in tanto enim regno fieri non poteſt, quin nouæ quotidiè res offerantur, quæ conſultationem requirant. Quòd etiamſi nihil ferè in deliberationem veniat: tamen ipſe conuentus per ſe laudem quandam ac honeſtatẽ habet, & incidit ſemper alicuius rei mentio, quæ futuris etiã actionibus accommodari poſſit. Ad hoc autẽ munus allegendi ſunt viri boni ac prudentes, & reipublicę amantes: neque ad generis nobilitatem aut conditionis amplitudinẽ, ſed ad ſolam virtutẽ ac integritatẽ reſpiciendum eſt. quoniam reip. ſalus in eo vertitur. Hi numero eſſe poſſunt ad duodecim, aut etiã paullò plures, ſi modo qui ſint idonei, reperiantur: nec vlli, qui non ſit in hunc numerum aſſcriptus, concedi oportet, vt ſeſe ingerat, niſi forte aliquid ſit oblatum, de quo alius extra concilium hoc, plura & certiora cognoſcat. ſed rarò faciendum eſt ita, & nõniſi graui de cauſſa, ne paullatim alii minus apti ſeſe inſinuent. Atq; vt ſingula ordine gerantur, neceſſe eſt, vt vel rex ipſe cõſultationibus præſit, vel ex omnibus aliquem conſtituat præſidem, cuius ea ſit virtus, vt reliqui, non tam propter eum gra-

dum ac dignitatem, quàm propter ingenium, in honore ipſum habeant. Sed profectò vtiliſſimum eſt, vt ei concilio frequenter interſit ipſe, præſertim quum arduis de rebus agitur. Neque enim ſatis eſt, vt decretum ei recitetur, quod plenè perfectéque intelligere non poteſt, niſi coràm audiat diſceptari. Quum etiam adeſt ipſe diſputationibus, ingenia ſuorum melius cognoſcit, & quibus optimè vti poſſit, intelligit, & ſtudium in illis excitat, vt & diligenter omnia ponderent, neque fraudem admittant, quando illum ſuæ eruditionis & animi teſtem atque iudicem præſentem conſpiciunt. Ex hoc autem numero tres, aut ad ſummum quattuor, quorum virtuti plurimum tribuit, ſibi deliget, quibuſcum de rebus oblatis, antequam ad concilium deferantur, communicet. Fieri enim poteſt, vt aliquid occurrat, quod non oporteat à multis cognoſci ac deliberari, vel ideò quòd ſilentio tegendum ſit, vel quòd ad aliquem eius concilii propriè, pertineat. Cum iis re diſceptata, cognitiſque eorum ſententiis multò facilius & perfectius, quale ſit reliquorũ iudiciũ, æſtimabit. Quum etiam in frequentiori concilio decretum eſt aliquid, ſeparatim cum iis, quos dixi, paucis, de eo colloquetur. nec enim ſtatim optimum eſt, quod maior pars iudicauerit. Quod

rit. Quòd ſi vel diſſidere ipſos, & opinionibus variare videat, vel communẽ illorum ſententiam non per omnia probet, nihil in præſentia decernet, ſed grauiori cogitationi rem ſeruabit, & ſi firmam hăbet ſui iudicii rationem, leniter ac ſine vlla reprehenſione, in proximo deinde conuentu, cauſſas proferet, cur aliter, quàm ipſi arbitrentur, faciat: aut ſi ſilentium res poſtulabit, diuerſum ab eorum ſententia faciet, ac tunc demum ſui facti rationem illis explicabit. Sed rarò, ac nonniſi grauiſſima de cauſſa, diſcedendum eſt ab opinione communi, quoniam & periculum in eo eſſe poteſt, & illi, ſi repudiari plerumque ſua dicta videant, offenſionis cauſſam habituri ſint, & ſtudium diligentiamque remittent. Prudentiam igitur adhibebit & caueat, ne his auctoritatem omnem, illis verò nullam tribuat; in primis autem, ne ſingularem aliquem in tanto habeat honore, vt reliqui diſſimulare, & illius omnia dicta factaque probare cogantur. Nam alioqui ſeruitutem ſibi comparabit ipſe, & author illi ſit futurus, vt ſui commodi priuati cauſſa, reipublicę plurimum noceat. Æquitatem enim vix eſt vt ſeruet, qui ſummam rerum occupat, quantumuis etiam natura ſit bonus & integer. Vbi verò præcipuam alicuius virtutem atque fidem perſpexerit, non

temerè fidẽ iis habebit, qui de illo aliquid deferent, & delatori, ſi falſum eſſe comperit, pœnam denunciabit, & tàm eius qui accuſatur, quàm qui accuſat, perſonam atque cauſſam totam diligenter conſiderabit, & ſi fictum eſſe iudicabit, eum qui detulit, grauiter atque ſeuerè caſtigabit, & delatum interim certiorem faciet, tacito alterius nomine, vt videat quemadmodum ſeſe purget. Quòd ſi crimen ſit eius generis, vt ad ipſum aut ad rempubl. pertineat, diſſimulanter eum, qui delatus erit, obſeruabit, & ſi forte qui detulit, fidem facere velit eius quod dixit, non eſt repudiandus. Nam ſi ſecus fiat, hoc ſit aditum præcludere iis, qui regẽ de ſua ſalute velint commonefacere. Ac ſicut leuitatis eſt, omnibus indifferenter habere fidem, qui aliquid deferunt: ita quoque imprudentiæ eſt, repudiare omnes, qui quaque de re aliquid enunciare velint. Mediocritatem ergo ſeruet, & quibus auctoritatem tribuit; iis non ſic indulgendum eſt, vt putent ſibi quiduis impunè licere, ſed continendi ſunt in metu, vt indubitatò ſciant, ſi quid præter officium fecerint, pœnam daturos. Vt autem ex omnibus vnum aliquem habeat ſibi præ reliquis familiarem, quî cum de rebus priuatis atque domeſticis loquatur, non repugno, & magna felicitatis parte ca-

te careat, hoc ei ſi non eſſet conceſſum: ſed in rebus arduis atque ſeueris minimè iſtud recipiendum eſt. Nemo enim vnus cuncta regni negotia ſatis aut nouiſſe aut procurare poteſt, & quò quiſque prudentior eſt, eò minus tantum onus in ſe recipere volet, niſi fortè ambitione & arrogantia ſit dementatus. Nullam rem igitur maioris momenti rex occultam habebit, ſed quibus plurimum fidit, iis totum ſe patefaciet. Non minus enim eſt aliquando in tacendo vitii atq; periculi, quam in efferendo. Caueat autem, ne cui ita ſit familiaris, vt in rebus magnis polliceatur, eius, quod occultè per indicium cognouerit, nihil ſe dictur ũ aliis. Nam qui ſunt improbi ac ſcelerati, facilè ſic occaſionem arripiant ſtruendæ calumniæ, ac futurum ſi, vt delata re aliqua, & per inuidiam ſæpè ac odium excogitata, ſuſpicionẽ grauiſſimam cõcipiat, & propter ſilentiũ promiſſum, acerbè ſe affligat ipſe, nulla de cauſſa, & aliquid deſignet, cuius ipſum poſtea pudere ac pœnitere oporteat. Prius ergo, quàm familiares illos ſibi faciat, fidẽ eorũ ac taciturnitatem exploratã habeat, vt nõ minus tutò & liberè cum illis, quàm ſecum ipſe loqui poſſit. Multa .n. magna & præclara ſæpè negocia interierunt, propter non præſtitũ ſilentium. & accidit nõ rarò, vt qui vtiliter ac pru-

denter aliquid excogitarent, inuidiæ metu non auſint pronunciare, veriti ne non ſit tacitum. In primis autem oportet, vt huius, de quo loquimur, concilii decreta ſint quam maximè arcana, & quamquam iureiurando ſilentium illi polliciti ſunt: tamen quum aliquid incidit maioris momenti, rex per occaſionem denuo ipſos fidei & officii ſui commonefaciet. ac ſi comperiet aliquid emanaſſe, dabit operam vt cognoſcat à quo ſit elatum, & auctorem vbi repererit, pro magnitudine rei vindicabit, vt alii exemplo deterreantur. Quum etiam res quæ in deliberationem venit, eſt eius generis, vt ſi quod de illa decretum eſt, efferatur, periculum ſit, ne tota corruat & euertatur, cuiuſmodi eſt belli deliberatio: cognitis omnium ſententiis, nihil illis præſentibus decernet, verum ſecutus ſaniorem ſententiam, quod animo concepit, exſequetur. Quamquam ſanè tutiſſimum mihi videtur, vt vni atque alteri, quibus maximè omnium fidit, quid ſui ſit conſilii, demonſtret, præſertim ſi parum ſe iudicabit eius, de quo agitur, eſſe peritum, in eoque præſtat, vt ſummiſſe de ſe potius, humiliterque ſentiat, quàm vt nimium per arrogantiam ſibi ſumat. Hæc ferè ſunt, quæ mihi videntur ad præſens argumentum pertinere. Nam ſi ad hunc modum, vt

dixi,

dixi, concilium inſtituatur, nullum poteſt tantum euenire diſcrimen aut incommodum, quod non facile depellatur, quandoquidem nihil ferè incidere poſſit, de quo non antea diu multumque ſit in omnem partem cogitatum. Quò fit etiam, vt minori motu atque detrimento populi occurratur impendenti malo, quod fieri non poteſt, quando in ipſo negocio conſilium repente ac tumultuoſe capiendum eſt. Quamuis autem ea, quæ dixi, ſatis videri poſſint: tamen quoniam pleriq; quo ſunt doctiores ac prudentiores, eò magis dubitare ſolent, ac plura ſemper inueſtigant, nonnulla ſum adiecturus, quę ad tuendum & amplificandum regnum pertinent: quorum alia domeſticam, alia verò externam adminiſtrationé attingunt. Et primò quidem hoc velut fundamentum ſumo, *Res omnes iiſdem cauſſis conſeruari, quibus ex cauſſis orta ſunt ac procreata.* Iam quomodo natum ſit Galliæ regnum & ſtabilitum, ſuprà demonſtrauimus: iiſdem ergo rationibus confirmari deinceps magis atque magis & augeri quoque poſſit. Sed quoniam pleraque & maiorem explicationem deſiderant, & à noſtris hominibus ferè neglecta ſunt hactenus, paullò ſum de illis dicturus accuratius. Quod igitur antea diximus de tribus illis retinaculis ac veluti fre-

nis, quæ regum impetus vehementiores demorantur atq; ſiſtunt, totum hoc æquitate nititur. nullam rem enim aut Deo magis gratam, aut populo magis ſalutarem, aut honeſtiorem etiam rex facere poſſit, quàm ſi diſciplinam illam ſeuerè cõſeruet. Hæc enim virtute atque merito fit, vt populi Tutor atque Pater appelletur. quòd ſi verò ſecus agat, & ſuo arbitrio quiduis faciat, voluntates hominũ alienat, & Crudelis, atque Tyrannus, ab omnibus nominatur. Et quoniam actionũ noſtrarum omnium initia & exitus ad Deũ referri debent, *Religionem* diligenter reges procurabunt, Galliæ rex in primis, quem Deus omnium ampliſſimo fructuoſiſſimóque regno donauit, cuius etiam maiores, egregiis atque præclaris ſuis factis, vt *Chriſtianiſſimi* dicantur, effecerunt. quò magis pudendum ſit, non inſiſtere illis veſtigiis, & ab ipſorum degenerare virtute. Operam ergò dabit, vt fides ac religio Chriſtiana ſit inuiolata, vt nullæ hæreſes aut ſectæ iam olim damnatæ, in populo reſideant, vt nomini Seruatoris noſtri nulla fiat ignominia, quod plerique nimis licentiosè faciunt. eam verò petulantiam grauibus exemplis atque pœnis coercebit, ſi Deum velit habere propicium. Permultum enim ſceleris eſt in ea conſuetudine, quæ noſtris iam mori-

moribus propè nullam habet infamiam. Eccleſiæ verò Apoſtolicę magnum in primis deferet honorem, eóque magis, quò ſecundiori ſunt vſi fortuna, propter eam pietatem, & pluribus adfecti beneficiis, ipſius anteceſſores. Vt etiam Eccleſiis omnibus per Galliam ſua iura ac priuilegia conſtent, & vt Eccleſiarum præfecti ſuum faciant officiũ, magno ſtudio prouidebit, & quod in ea re vitii deprehenderit, per eos, quorum intereſt, emendari præcipiet. Neque enim ſatis eſt, quæ recta ſunt & honeſta, nouiſſe, verum ad actionem prodeundum eſt, idque cum primis decet eos, qui præſunt aliis, maximè verò regem, cuius nullum factum obſcurũ eſſe poteſt. & quoniam ſui principis mores ferè ſequitur populus, elaborare debet, vt optimis honeſtiſſimiſq; vitæ exemplis prælucear. Eccleſiaſtici autem ordinis homines, eos præſertim qui præſunt adminiſtrationi ac toti diſciplinæ, in honore habebit, ſic tamẽ vt ſua ipſi maieſtas cõſtet. Multum in ea re peccatur, tum hîc, tũ aliis in locis. quod etſi vitiis illorũ ac impuræ vitæ tribui fortaſſe poteſt: ordini tamẽ ipſi nihilominus honor ſuus atq; cultus impendi debet: ſicut regiæ dignitati atq; ſplendori, propter ipſius regis nequitiã, nihil decedit. Permultum enim eſt vbiq; vitiorum, nec vllum eſt vitæ

genus, quod non emendationem requirat. Sed reges incuſari poſſunt, qui minus idoneos Eccleſiis ſæpè præficiunt. Plus enim eſt in eo peccati, quàm credi poſſit: nam & miſerorum hominum ſalus periclitatur, & plerique dum in illos intuentur, remolleſcunt, eorumque ſimiles euadunt. Perſuadeant ergo ſibi viri principes, hoc vno facto Deum grauiſſimè offendi, eóque magis, quo maiorem iſtud apud nos iam habet noſtris moribus excuſationem. Nam ſi in iis rebus, quæ propriè ad ipſos pertinent, magno ſtudio & ſollicitudine conquirunt ac ſibi deligunt, quos in quaque re maximè excellere arbitrantur, coquos, tonſores, venatores, aucupes, equorũ domitores, ſatellites cuſtodiæ ſuæ cauſſa, item belli duces ac militum præfectos: quomodo tandem in aſpectu Dei conſiſtent, quòd Eccleſiæ, quàm ſanguine ſuo Chriſtus in libertatem vindicauit, eos præponunt, qui vel flagitioſis moribus atque vita populũ à recta ſemita deducũt in præcipitium, vel etiamſi non turpiter ac ſceleroſè viuant, tamen omni deſtituti doctrina ſuum officium facere non poſſunt? Certè, ſi quemadmodũ nomine, ita quoque reipſa volumus eſſe Chriſtiani, & ſi quidem Euangelio ac ſacris litteris fidem eſſe habendam putamus, ita ſtatuemus,

nullam

nullam poſſe reipublicæ Chriſtianæ grauiorem plagam infligi. Quidquid enim eſt vitiorum, ex eo fonte profluit atq; redundat. Nam eiuſmodi Eccleſiarum proceres, Epiſcopi ac id genus alii, inferiores deinde præfecturas ac populi curam, ſui ſimilibus hominibus indoctis atque vitioſis committũt, & facultates illæ atque poſſeſſiones, in optimos honeſtiſſimoſque vſus olim contributæ, nequiter & indignè conſumuntur, & religio ipſa in ludibrium atque contemptũ adducitur. Et quamquam huic ordini nomen ipſe dedi, tamen quod res eſt, dicam. nec enim hoc agitur, vt aliqui de ſuo ſtatu deiiciantur, verum vt ſinguli officium ſuum faciant, & offenſiones è medio tollant; & non ſolum eius populi, quem curandum ſuſceperunt, ſed totius etiam Eccleſiæ miſeriam & incommoda conſiderent. Vix enim paucos reperire liceat noſtri ordinis homines, ad quos earum rerum omnium emendatio propriè pertinet, qui poſſint cum dignitate, & velint intereſſe Concilio publico, atque ibi quæ neceſſaria ſunt ad communem omnium ſalutem, explicare ac in medium conſulere. Quòd ſi vel mediocris aliquis numerus eorum, qui ad eiuſmodi rem ſint idonei, reperirietur, dubium non eſt, quin pleraque omnia commodiorem in ſtatum

breui peruenirent. Veritas enim aptè patefacta & demonſtrata, ſemper in ſuo gradu conſiſtit, nec vlla vi expugnari poteſt, ac Deus immortalis conſilio & ope ſuis perpetuo ſuccurrit, vt ſingulis temporibus, & hac quoque memoria non ſemel obſeruatum eſt. Parum quidem iſta, quæ dico, pro me faciunt, ſi ſpectē emolumenta: ſed ea vis eſt veritatis, vt etiam ii, qui factis & moribus illam pernegant, neceſſe tamen habeant, & propemodum cogantur, ſi non ſermone ac palàm, tacitè tamen & conſcientia teſte, illam profiteri. Quum igitur à noſtro ordine vehementer peccatum eſſe ſciam, non grauatè culpam agnoſco, atque ita ſentio, primum ac potiſſimū delictum in eo verſari, quòd Epiſcopi populo ſibi commiſſo non cohabitant ipſi, verum alii aliis de cauſſis, quę propè omnes ab ambitione originem ducunt, aut Romani Pontificis, aut regum ſectantur familias. Huic certè malo, quantū meæ facultatis erit, medebor, ac Deum precor, vt conatum ac ſtudium meum promoueat, & iis, quorum ad curam propriè pertinet ſanare morbos & emendare vitia, clementer adſit. Eſt enim officii noſtri, vt in eo diligenter elaboremus, & detectis erroribus, in viam redeamus ipſi, & aliis, vt ad ſanitatem reuertantur, ſimus auctores atque duces.

duces. Quòd ſi rex animum huc applicaret, ac idoneis in eo vteretur adminiſtris: ſanè quæ nunc ſunt tempora, valdè proficeret, ſuiq; propoſiti multos eſſet habiturus adiutores, ac nihil facere poſſet magis aut ſanctum aut illuſtre, neque Galliæ tantum, ſed toti etiam reip. Chriſtianæ magnopere in omnem partem prodeſſet. Si enim, qui ſunt velut deprecatores ac interceſſores populi ad Deum, honeſtè viuerent, ſuumq; facerent officium, exorarēt ſine dubio ſuis precibus Deum, & complures ad emendationē vitæ perducerent, & placatus Deus bellum, peſtem, annonæ caritatē & id genus alias plagas, quibus nos pro ſcelere noſtro vlciſcitur, auferret, ſuamq; beneficētiam cumulatè nobis impertiret. deinde, maxima vis pecuniæ, quā noſtri ordinis homines, Eccleſiarū pręfecti, ambitione quadam & inexplebili cupiditate maiora conſequendi, profundunt, non excederet prouinciarum fines, quæ nunc à Romanæ curiæ ſectatoribus & alumnis, præter omnem modum expilantur ac diripiuntur. Hoc autem nō ita velim accipi quaſi putem Eccleſiarum proceres à Romani Pontificis & regum familiis arcendos eſſe. minimè enim iſtud arbitror, atque vtinā multi ſint ea virtute & ingenio, vt regū adhibiti conſiliis, publicam orbis terrarum

ſalutem atque commoda procurent. Summam enim laudem merentur, qui his de cauſſis eorum ſectantur amicitiam, modo tamen interim Eccleſiis atque muneri ſuo ſatisfaciant. Sed oratio mea omnis ad eos pertinet, qui vel gloriæ vel amplificandæ fortunæ cupiditate quadam ſeſe ingerunt, & adeò nihil in commune proſunt, vt etiam vitæ ſuæ exemplo multos offendant. Et hæc quidem hactenus, de primo retinaculo regum, nempe de Religione, à qua ſalus ipſorum omnis dependet. Proximum eſt, vt ius diligẽter adminiſtrent. hac enim ſola ratione conſiſtunt imperia, quæ, niſi ius obtineat, latrocinia verius dici poſſunt. Et quoniam beneficio Dei pulcherrimis legibus ac inſtitutis ornata eſt Gallia, rex auctoritate ſua grauiter ac ſeuere illas conſeruabit. proximè enim & ſecundum religionem nihil eſt præſtantius, nihil vtilius. & reges idcircò Deus conſtituit, vt ius cuique ſuum reddant, & planè ſit contra regis officium, ſi quo modo iuriſdictionem impediret aut labefactaret. Sicut etiam munerum ciuilium & Eccleſiarũ præfecti niſi rem ſuę fidei commiſſam diligenter & bona fide curent, nullo iure ſtipendium ſibi dari poſtulant, immo, ſi quid eis depenſum fuerit, æquum eſt vt reſtituant. ad eundem quoque modum iudicari de-

debet de regibus,qui ius non colunt. Hoc enim Deus ab ipſis flagitat & requirit. & quamquam eo ſpectare in primis oportet: tamen ſiue publicam totius regni,ſiue priuatam ſuam vtilitatem conſiderent, ipſorum certè poteſtatis firmamentum in hac vna re conſiſtit. Iuris enim adminiſtratio regibus auctoritatem conciliat. alioqui copiis & exercitu paſſim continendi ſint homines in officio atque metu. ſed natura vim omnes oderunt, & æquitate quouis adduci poſſunt, ideoq; legibus atque præclaris inſtitutis multò plus quàm vi armorum efficitur, vt omnium temporum documenta ſatis demonſtrant. Iam verò,etſi de *Iuriſdictione*, déque iis quæ committuntur in ea re vitiis,plurima dici poſſunt: tamen tria ſolum, quæ ad regem propriè pertinent,explicabo. Primum eſt, vt viros bonos atque doctos iuri dicundo præficiat, & quoniam de iis iudicare ipſe non poteſt, negociū aliis dabit, vt eiuſmodi conquirant,& de cuiuſque doctrina,atque virtute teſtimonium dicant optima fide,ſicut noſtris legibus cautum eſt.Ipſos verò iudices, atque ſenatores commonefaciet, vt ſyncerè agant, alioqui non laturos impunè: quumque ſe deceptum eſſe intelliget, vindicabit factum, vt ſint reliquis documento. Nam quoniam optimis legibus

Gallia eſt cõſtituta, vt paullò ſuprà dictum eſt, nihil ad ſummam felicitatem ei deeſſe poteſt, modo ſint fideles ac reipublicæ amantes earũ legum adminiſtri: qui quum vel ſuas tantum fortunas augere ſtudent, vel emerendi fauoris atque gratiæ cauſſa, ab æquitate deflectunt, vel ingenio ac eruditione ſunt deſtituti, incredibilem reipublicæ perniciem adferunt. Controuerſiæ enim creſcunt ac producuntur in infinitum, & qui litigant, variis ſumptibus exhauriuntur; & nemo credat, quanta ſit ea prouinciarum peſtis, eóque magis, quòd horum in poteſtate facultates aliorũ verſantur, & honos & exiſtimatio, in Galliis præſertim. Itaque ſi rex, qui cuſtos eſt atque defenſor iuris, vt antea diximus, hominibus improbis & auaris & ineptis, rem tantam ſciens committat, æquum eſt, vt de damno & iniuria, quæ cuique ſit ab illis illata, ſatisfaciat. quemadmodum præfecti aut etiam mercatores, quod ipſorum procuratores atque negotiorum geſtores fecerint, præſtare ſolent. Et quoniam qui ſemel in hunc ordinem allecti ſunt, non remouentur loco, niſi grauiſſimis de cauſſis, vt antea dictum eſt: rex, vt eos in officio contineat, ſua ipſe voce nonnumquam interpellabit, & graues multorum de ipſis querimonias ad ſe deferri dicet, ſimul hor-

tabi-

tabitur ſeuerè, vt quidquid eſt vitii, emendent denunciata pœna niſi faciant: & quos præ ceteris diligentes, aſſiduos & incorruptos eſſe cognouerit, eos nouis ornabit beneficiis, ac liberis etiam illorum præſtabit amorem, vt malis terrorem inferat, & bonos in ſpem atque exſpectationem adducat. In primis autem danda eſt opera, ne largitiones locum habeant. quod fieri ſolet, quum ii, qui rem non intelligunt, pro aliis intercedunt, eo freti, quòd facilem habent aditum. ſed commendationibus horum nihil mouebitur, nihilque tribuet, niſi legitimas eſſe cognouerit. quumque munus aliquod eius generis vacabit, tacitè rem cum ſuis agat, & vbi illorum iudicio repererit idoneum, ſua ſponte nulloque intercedente beneficium ei conferat. Sic enim corruptelam omnem atque fraudem excludet, & qui ſunt affecti beneficio, ei ſolummodo ferent illud acceptum. Alioquin aut largitionem interuenire, aut beneficiarium ſuo patrono deuinctum eſſe oportet, quorum vtrumque iuris officio plurimum infert impedimenti, vt nimis notum eſt. Hoc etiam valdè cauebit, ne ex litigatoribus alteri fauore vel commendatione vllum præſtet adiumentum, neque vel minimam vllius affectus præbeat ſignificationem. Tanta eſt enim

ipſius nominis auctoritas, vt etiam ſi profiteatur, velle ſe, quod æquum ſit, fieri: iudices tamen eius commẽdatione commoti, facilè ſuccumbant atque remittant, præſertim in lite paullò difficiliore. quod in noſtris iudiciis eſt procliuius, vbi ſecundũ id, quod æquum videtur, magis, quàm ſecundum ius ſcriptum, pronunciatur. qua quidẽ in re plurimum eſſe poteſt incommodi. Hanc ergo ſi quis rationem ſequatur, veri principis officium fecerit, & intercesſoribus illis aditum atq; ſpem omnem præcludet, qui ſemel admiſſi, nullum ſint importunitatis ſuæ facturi modum atque finem. Et iſta quidẽ ad cauſſas ciuiles propriè, ſed tamen ad criminales etiam pertinent, in quibus durum ſeſe ac propè inexorabilem exhibebit, neq; temerè condonabit, præſertim ſi facinus paullò ſit atrocius, vt videlicet omnes intelligant, ipſum tota mente & animo ab eiuſmodi flagitiis abhorrere. Quapropter & eos, qui pro ſceleroſis deprecantur, ſeuerè grauitérque caſtigabit. ſic enim & improborum audaciam reprimet, & in metu cõtinebit omneis: contra verò, ſi facilem atque lenem ſe declaret, maximas nocendi præbebit occaſiones. Multa quidem adhuc dici poſſent huius argumẽti, ſed ad alia mihi progrediendum eſt. Vnum modò reſtat, vt ſcilicet commu-

communicato conſilio cum viris bonis & peritis,& reip.ſtudioſis, rationes ineat minuendi controuerſias,ne in infinitum producantur, quod noſtris moribus nimium inueterauit. Multi enim hac ſola ratione ad ſummam inopiam redacti ſunt,& complures, quòd vel ſumptum facere, vel aduerſariorum potētiæ reſiſtere ſe poſſe deſperant, optimas aliquando cauſſas deſerunt. Ad *Politiam*, quod tertium eſſe retinaculum diximus,quantum pertinet,quoniam ſub eo genere comprehunduntur Galliæ decreta, leges, inſtituta, mores atque conſuetudines,quibus in hanc tantam amplitudinem illa creuit ad hoc tempus, operam rex dabit vt quidquid eſt earum rerum, diligenter & ipſe ſeruet, & ab aliis quoque ſeruari præcipiat, eóque magis, quòd quum ad ipſum imperii ſumma defertur, iureiurando facturum ita ſe pollicetur. Si quid ergo contrà faciat,& Deum iniuſtitiæ vindicem offendit, & conſcientiam ſuam ipſe lædit,& populi voluntatem alienat, & nomini ſuo maculam inurit, & infirmiorem ſe redigit ipſe. Primum autem eſt atque potiſſimum, ne ſui, hoc eſt, Galliæ patrimonii quidquam alienet, niſi quantum ei moribus atque legibus regni permittitur. Nam alioqui feneſtram aperiet multorum importunitati,&quum vni

aliquid conceſſerit, non deſunt alii complures, qui ſuis meritis idem beneficium deberi putant. quod ſi recuſet, illos vt offendat, oportet. Hinc odium atque ſimultas inter eius familiares, quod minimè ſit futurum, ſi repudiatis omnium precibus, non ſibi licere dicat, quidquam earum facultatum largiri. Et quoniam in iis, quæ ad Politiam pertinent, maior quædam eſt difficultas: ad eam partem, de quà ſupra dixi, quæ conſociationem animorum, & omnium ordinum regni coagmentationem complectitur, oratio mea reuertetur. Niſi enim mutua quædam beneuolentia & amor & obſequium intercedant, ne quidquam de rei ſumma bene ſperabimus. Nobilitatem ergo, qui primus eſt ordo, magno ſtudio complectetur, ac non ſolum iis, quæ iam olim habent, priuilegiis ac immunitatibus vti frui ſinet, verum etiam in ceteris rebus omnibus, & tribuere ſe plurimum ipſis & confidere, & fortunis eorum cupere, quàm optimè conſultum eſſe, demonſtrabit. Huius enim ordinis induſtria & ſingulari virtute regnum hoc & initium habuit, ac deinde locupletatum eſt atque confirmatum ad hoc vſq; tempus. Hi ſunt, qui rebus duris & aſperis communem patriam ab hoſte defendunt, qui pro laude ac ſalute regis nullum

recuſant

recuſant periculum, qui præ cæteris omnibus regem valdè diligunt, obſeruant, colunt, venerantur, quoniam & commodiore vtuntur condicione, & honeſto nati loco, iam inde à paruulis ad morum ciuilitatē educati ſunt & aſſuefacti. quô magis etiam conuenit, vt ceteris virtute præſtent, & caueant, ne quid ſuis maioribus & genere atque loco indignū admittant. Quod quum ita ſit, præfecturæ tàm ciuiles quàm Eccleſiaſticæ his potius quàm aliis debent attribui, modo ſint idonei. Hoc enim & rationi & legibus omnibus eſt conſentaneum: verum ſi non ſunt apti, minimè illis committendum eſt aliquid, vt ea, de quibus anteà diximus, incommoda vitentur. Si enim non ad virtutem & eruditionē, ſed ad generis amplitudinem rex ſolum reſpiciat, & gratiæ atq; fauori omnia tribuat, nobiles plerique, contemptis atque deſertis bonarum artiū ſtudiis, ambitioſè omnia facient, quando eam eſſe primam atq; potiſſimam rationem aliquid conſequēdi intelligent. Quòd ſi autē loci atq; familiæ ſplendorem propè nihil, doctrinā verò plurimū apud eū poſſe videant: daturi ſunt operā, vt eo præſidio muniti, viā ſibi ad honores patefaciant. Atq; hoc locū habet, non in iis tantum præfecturis, quæ ſunt vtriſque communes, verum in illis etiam, quæ propriæ ſunt ac

ſolis tribuuntur nobilibus. eſt enim diſcrimen inter ipſos faciendum, quoniam alii ſunt aliis illuſtriori loco nati, & virtute ac meritis alii aliis antecellunt. Videat autem, ne ſic illis indulgeat, tantumque permittat, vt vel reliquos ordines opprimant, vel etiam ſuæ conditionis obliti, minus ipſum reuereantur. Magna enim ex eo futura ſit perturbatio, vt non ſemel in Galliis cognitum eſt. Quam igitur habet poteſtatem ſummam, eam diligenter conſeruet, neque ſinat vllo pacto minui vel interire, quo ipſum videlicet omnes, vt præcipuum ac legitimum magiſtratum agnoſcant. Humanitate quidem & manſuetudine erga ſuos vtetur, ſic tamen vt honos atque dignitas ei ſua conſtet, & quam habet iuris exercendi facultatē, ea vt ſeuerè conſeruetur, elaborabit, eóque ſuis præfectis, quorum ad officium iſtud pertinet, auctoritate ſua aderit, quod ſuperioribus ſæculis & prudenter inſtitutum, & magna ſemper diligentia conſeruatum eſt, & magni refert, vt ita fiat. Eſt enim vnum ex præcipuis regni pręſidiis atque ornamentis. Neque tamen ſuis interim concedet, vt proceres ac reliquam nobilitatem, in ipſorum iure interpellent aut impediant, niſi magna quædam ſubſit & diu multumque deliberata cauſſa. Nam ſi temere fidem illis

habeat,

habeat, futurum eſt, vt ad minimam occaſionem, nobilibus litem ſæpe faciant, & in iudicium pertrahant, maximóque adficiant damno, propterea quòd etiamſi cauſſa cadant, ſumptum tamen litis non præſtant, eò quòd regis negotium egerint. Vt ne longius ergò quam æquum eſt, atque oportet, progrediantur, illos monebit. Alterum eſt, vt æquabiliter adminiſtrato iure, maleficia non dimittat impunita, ſed ſeuerè vlciſcatur, neque temerè ignoſcat, iis præſertim qui militiæ ſtudent ac rebus bellicis. Hi enim quoniam & natura, & inſtituto ac vitæ genere ad omnem vim propendent, niſi coerceantur, facilè ſint oppreſſuri ceteros. Hæc autem ſeueritas adhibenda eſt quadam cum moderatione, pro delicti, atq; eius qui commiſit, & temporis etiam atque loci condicione. Remittere verò pœnam atq; condonare minimè omnium oportet, vt metu ſupplicii deterreantur omnes. ac belli tempore ſeuerius eſt animaduertẽdum, vt poſtea ſum dicturus de diſciplina militari. In diſtribuendis etiam muneribus publicis, rationem habebit naturæ atque ingenii eorum, quos propius nouiſſe poteſt, cuiuſmodi ſunt viri principes & id genus alii potentiores. Nam quos animo elato & ſeditioſo eſſe cognouerit, iis nihil tale committet, quo vel ad-

uerſum ſe vel contra rempublicam abuti queant. quod quidem illis, ſi poteſtatem obtineant, facile ſit futurum, quando ob leuiſſimam quamque cauſſam concitari poſſint & incendi. Quos autem magnæ virtutis eſſe compertum habet, eos præ ceteris augebit honoribus atque prefecturis, quoniam & hi facultatem bene de republica merendi, & populum habent obſequentiorem. Neque tamen plus, quàm maieſtati ſuæ conuenire videbitur, eis tribuet, & ita ſe comparabit, vt & illi, & illorum ſubiecti imperio, ipſum in primis, vt auctorem earum rerum omnium, reuereantur & ſuſpiciant, & quum aliquid maioris momenti inciderit, ad ipſum confugiant. Niſi enim hanc grauitatem interponat, minuetur eius ad populũ exiſtimatio, & prouinciarum aliiq; maiores præfecti, aut ipſorũ etiam legati proteruè & indignè multa facient, & pro temporum condicione conſilia forſitan inibunt, pernicioſa reipublicæ, quod in imperio Romano ſcimus eueniſſe. Hæc autem omnia, non tam ad preſentem ætatẽ pertinent, quàm vt in poſterum res benè conſtituantur. Prouidendum eſt etiã, ne is quem medium eſſe diximus ordinẽ, potentia nobilitatem vincat, eiuſque facultates atq; copias minuat. hoc enim ad reipublicæ detrimẽtum pertinet,

quæ

quæ ne quidquam ſit ab illis opem atque præſidium, exhauſtis eorum fortunis, expectatura. Sunt autẽ tria potiſſimum, quæ nobilium opes vehementer adfligunt. Ex iis primum eſt, quòd lites atque cauſſæ forenſes aliæ ſeruntur ex aliis, & producuntur in immenſum, & maximos requirunt ſumptus, eóque fieri videmus, vt iuris adminiſtri, nobilium poſſeſſiones adquirant, & horum copiæ ſic attenuentur, vt cum ordini atque profeſſioni ſuæ ſatisfacere non poſſint, multa præter decorum faciant. cui quidem incommodo facilè poſſit occurri, ſi modo rex & ii quorum vtitur conſiliis, animum huc adiicerent. De quæſtoribus idem iudicium fieri debet. nam etſi magnam his auctoritatem tribui oportet, colligendæ cauſſa pecuniæ, quæ in regis ærarium infertur: tamen adhibendus eſt modus, neque permittendæ ſunt illis rationes, quibus ipſi quidem locupletentur, alii verò complures, honeſtioribus nati familiis, ad inopiam redigantur. Mercatores etiam, quod eſt ex tribus, quæ diximus, poſtremum, intra certos fines coercendi ſunt. Inualuit nobilium conſuetudo, vt magnificè & ſumptuosè viuant, & ſplendidiſſimè veſtiantur. quæ duæ res & priuatim fortunas eorum exinaniunt, & publicè quoque plurimum nocent. His enim rebus fit, vti maxima vis

auri deferatur extra Galliæ fines, in quo permultum eſt incommodi, quoniam pecuniis reſpublica, tamquam neruis atque ſanguine, conſiſtit & alitur. In hoc igitur genere nihil quidquam rex facere poſſit vtilius, quàm ſi luxum omnem comprimat. Nam & valdè offenditur Deus, & vt ſtipendia rex illis augeat, oportet. alioquin enim, quia ſumptum vix tolerant, non poſſint obire miniſteria, quibus ſunt deſtinati. Iam verò, quò plus in hos elargitur atque diſtribuit, eò magis populum vti grauet, neceſſe eſt. Hunc deinde luxum alii quoque nobiles, qui publicè nihil adminiſtrant, & vulgò magna ex parte ſtudēt imitari, ii præſertim, qui ſunt aſſcripti militiæ & equitatui regis. Itaque fit, vt qui virtute præditi ſunt, quoniam illis profuſionibus vident ſuas facultates non eſſe pares, priuatā vitam agant: quibus alii poſtea, minimè cum his virtute comparandi, ſuccedunt, qui ſtultè plerumque & inutiliter ſua dilapidant, etiam id quod equis & comparandis armis impendendum erat, & copiis deinde omnibus exhauſti, rapinis atque deprædationibus incumbunt. quod etſi grauibus pœnis apud nos interdictum eſt, tamē fruſtrà fit, quamdiu ſtirps eius mali non tollitur. ſicut cum corporis pars aliqua, vitioſo corrupta humore adfligi-

fligitur, etſi dolor fortaſſe mitigari poteſt, tamen, niſi qui cauſſam morbi dant humores, expurgentur, nequidquam omnis adhibetur medicina. Nihil igitur vtilius, nihil ad eam rem emendandam aptius, quàm vt à ſe ſuiſque familiaribus rex initium faciat, vt aliàs factum eſſe conſtat. Nam certè vera ipſius gloria non conſiſtit in exquiſitis atque ſplendidis veſtibus, immò ſtudium eius rei immodicum exiſtimationem potiùs minuit. Neque enim pro ſua condicione atque perſona, quam ſuſtinet, ſatis magnificè veſtiri poſſit, & reperire liceat in infimo genere hominum, qui hac quidem in parte minimè illi cedant. Plus ergo laudis habitura eſt mediocritas, quàm nimia huius rei cura. Verum eſt enim, quod vulgò dici ſolet, *Extrema omnia propè eſſe vitioſa.* Non hoc quidem dico, vt immunditiès aliqua ſit & deformitas in eorum, qui regem ſectantur, veſtitu, ſed vt ne luxus aliquis appareat, néve extra modum ſumptu & magnificentia prodeant, & vt certus modus, pro ſua cuique condicione & ordine, ſit præfinitus. Neque enim promiſcuè omnibus permittendum eſt, vt quocumque velint modo veſtiantur, & hac in parte facta principum imitentur. Sanè, ſi quædam adhiberetur animaduerſio, magno ſit futurum & publico emolumento,

nam vt hirudo ſanguinem, ſic ea, quam dixi, profuſio, neruos ac firmamentum reipublicæ, pecunias, exugit. Eſt etiam aliud, quod ad mercatores propriè pertinet. Quę ſunt Galliis finitimæ regiones, legibus ac more ſuo diligenter cauent, ne qua pecunia ex ipſorum finibus deportetur, & rationem habent, quemadmodum ab aliis ad ipſos importetur. Hunc morem Gallia non obtinet, & ſi quid fortè eius rei pręcipitur, ab iis quos minimè omnium decet, violatur, idque ſæpè fit, vt quidem à noſtris dicitur, ſtudio gratificandi vicinis, ne moleſtè ferant, ſi quid eis denegetur: in quo tamen nihil eſt rationis. Quam enim habeant offenſionis cauſſam, ſi quantum nobis tribuunt, tantundem ipſis inuicem permittatur? Accedit, quòd Gallia propter omnium rerum copiam & agrorum vbertatem, facilè poteſt externis adiumentis & importationibus carere. & quoniam omnis generis rebus abundat, ſic vt vix vmquam exhauriri poſſe videatur, hinc eſt, quod pleraque negligentius in hac parte adminiſtrantur. Maximam verò laudem ad omnem poſteritatem mereatur, qui bonis legibus omneis reipublicæ noſtræ partes conſtitueret. Tum enim dubium non ſit, quin ceteris omnibus regnis Gallia præſcriberet. quod facilè ſim

demon-

demonſtraturus, ſi res ita ferret: verum id non eſt huius inſtituti. Quantum ad vulgus & promiſcuam multitudinem pertinet: quamquam ex iis, quæ ſuprà dixi, facile eſt intelligere, quid in eo fieri oporteat: tamē quoniam maximi res eſt momenti, nō grauabor ea paucis repetere. Primū eſt, vt rex quam minimum illos tributis & pecuniarū exactionibus grauet, verum ita ſe comparet, vt intelligant ſuas fortunas & compendia ipſi eſſe curæ. Hoc enim & Deo eſt gratiſſimū, & ad ipſius quoq; ſalutem animiq; tranquillitatem pertinet. Nec enim ſine maximis illorū diſpendiis vllā grandiorē pecuniā imperare poteſt. Atqui nonnumquam eripitur miſeris, quo carere omninò nō poſſunt, quod illis atq; liberis & familiæ ad quotidianū victum eſt neceſſarium. in quo certè ſummum eſt flagitium, neque dubium eſt, quin huius iniuriæ magnitudo, & eorum, qui ſic opprimuntur, gemitus, Deum vehementer commoueant. Huc ergo reſpiciāt reges, ac præterea cogitent, alienari hominum voluntates, dum ſuæ cupiditati nullum ſtatuunt modum, ex eóque facilè poſſe turbas & ſeditiones oriri, præſertim ſi quis grauior caſus regnum adfligat. Accedit, quòd extremæ inopiæ vitandæ cauſſa, locum illi atque ſedes mutare coguntur. quod ad ipſius

regis detrimentum & infamiam pertinet. Quocumque enim perueniunt, ibi de iniuriis & indignitatibus & tyrannide, qua ſint adflicti, rumorem ſpargunt, & famam longè latéque excitant, & qui ad egeſtatem redacti ſunt, agriculturam deſerunt, & mendicando victum ſibi ſuiſque parant. Sumptus ergò ſuperfluos atque luxum omnem rex moderari debet atque vitare, vt ne priuatorum fortunis calamitatem adferat. Sed & ipſa exigendæ pecuniæ ratio, noſtris moribus vſitata, modum aliquem & emendationem requirit. Colligitur enim infinita quædam vis pecuniarum, neque tamen ad regis aut reipublicæ commoditates impenditur omnis, & quæſtores auctoritate ac nomine ſui muneris confiſi, multa ſæpè faciunt auarè ac intemperanter, & ex miſerorum hominum laboribus atque re familiari ſuas facultates amplificant. Opus eſt quæſtoribus, ac ſumptum facere oportet. ſcio. ſed tantum eſt in ea re vitiorũ, vt magna quadam & exquiſita ſit opus animaduerſione, præſertim, quum ad cupiditatem & auaritiam quotidiè aliquid accedat. In regis autem voluntate ſola poſitum eſt, vt hæc omnia emendentur. Alterum eſt, ne rex permittat vulgus hominum à potentioribus opprimi, ſed æquabili iure ſimul omnes

mnes contineat. Inprimis autem eſt prouidendum, ne quod incommodum illis aut vis inferatur ab iis, qui militiæ ſtudent & armis. quod tametſi multis noſtris legibus cautum ſit, tamen ad hoc vſque tempus fruſtrà fuit, in eoque duplex eſt peccatum. Nam illi, rebus atque fortunis adflictis, non poſſunt, quod regi debent ſtipendium atque vectigal præſtare. deinde, graue quoddam odium in eos concipiunt, à quibus diuexantur, magniſque precibus interitum atque cædem eorum exoptant. Poſtremum eſt, vt de ipſorum iure atque libertate nihil diminuat, ſed permittat, vt artes omnes ipſorum ordini conuenientes, exerceant, & iis quoque rebus dent operam, quæ ex humili loco ad maiorem dignitatem ipſos perducant: cuiuſmodi ſunt, mercatura, bonarum litterarum ſtudium atq; doctrina, & militia, in iiſque rebus quos honeſtè & cum laude verſari videbit, eos fauore & gratia complectetur & ope ſubleuabit, vt reliquos etiam ad virtutem incendat. Nam vnus aliquis hac ratione euectus ad altiorem gradum, exemplo ſuo complures alios ad ſtudia virtutis exſtimulare poteſt, vt quotidie experimur. Et quo rarior eſt doctorum atque pręſtantium virorum prouentus: eò maiorem operam rex dabit, vt quibuſcumque ratio-

nibus poteſt, ad virtutem ſuos inflammet, vt vel doctrina, vel rei militaris ſcientia, vel negotiando, vel nauigando, & id genus aliis rebus excellant. Quia verò ſalus & incremẽtum regni dependet à pacis & à belli artibus, vtrumque pro mea virili deinceps tractabo.

CLAVDII SESELLII
DE REPVBLICA GALLIÆ & Regum officiis,
LIBER II.

GAlliæ robur omne ac firmamentum quattuor in rebus potiſſimũ conſiſtit, vt omnes ordines mutuâ quadam beneuolentiâ regem obſeruent, eique pareant, vt facultatibus & opibus plurimum poſſint, vt in armis ac re militari ſint quàm exercitatiſſimi, vt quæ ſunt in finibus opida & arces, opere ac arte muniantur. Hęc omnia conſilio prouideri debent & adminiſtrari. *Parua enim ſunt foris arma*, vt inquit ille, *niſi eſt conſilium domi.* De duobus primis nihil ferè ſum dicturus, quoniam ad eam rem quidquid pertinet, ſuprà ſatis eſt demonſtratum. de poſtre-

mo

mo etiam vt pluribus agam, nihil attinet, quoniam ſatis per ſe clarum eſt. Nemo enim ignorat, quàm ſit neceſſe, habere in finibus propugnacula quàm munitiſſima. Nam vnum aliquod opidum bene munitum, ac rebus neceſſariis inſtructum, ad tolerandam obſidionem, ad alendum pręſidia militum, & ad ſuſtinendum vim hoſtilem, donec ei ſubueniatur, maximum ſæpè momentum toti regno ad ſalutem adfert. quod quum aliàs frequenter, tum hac memoria non ſemel cognitum eſt. In hanc ergo curã rex diligenter incumbat, & ſumptum in eam rem faciat, & pecunias ad certum tempus, in hunc vſum imperet, iis præſertim, qui fines incolunt, & qui tẽpore belli receptum habituri ſint in ea loca, quæ contra vim & impetus hoſtium ædificantur. Pacis autem tempore his rebus vacandum eſt. nam & populus multò minus grauatur, & opus ipſum in otio melius perficitur, & quum bellum incidit, non ita perturbantur homines, vt fieri neceſſe eſt, quum repentè ac tumultuosè ad laborẽ accurritur. Tum enim hoc etiã eſt incommodi, quòd in ea feſtinatione nihil ad diuturnitatẽ ædificari poteſt. Verùm in eo ſæpè peccatur, maximo & regis & populi detrimento: quamobrem, quibus earum rerum eſt demãdata cura, ii certè magnoperè pro-

uidere debent, ſi ſunt reipublicæ amantes, vt oportunè ſuóque tempore ſingula adminiſtrentur. Quoniam verò & non omnes ſunt ad eiuſmodi res idonei, & plerique ſuis ferè ſtudent commodis: erit ex vſu reipublicæ, ſi rex, quum ei per negotia vacat, circumſpacietur per omnes prouincias, & regni fines in primis accedat, vt cuiuſmodi fiant locorum munitiones, & quomodo populus gubernetur, & an præfecti, in ſuo quiſque genere, officio fungantur, ipſe cognoſcat. Quocumque autem acceſſerit, populi ſalutem ſibi eſſe curæ declarabit, & eos qui quaque de re querentur, benigne patienterque audiet, & quod iniquum eſſe cognouerit, emendabit. Nam hoc ipſo beneuolentiam & animos hominum, multò magis, quàm ſi litteris tantum & mandatis rem ageret, ſibi conciliat, & omnis generis præfectos, ac belli duces in officio ac metu continet, & illos, in quorum agros peruenerit, quæſtu auget. quod in finibus maximè eſt neceſſarium, vt videlicet homines, quia ſumptuum plus quam reliqui facere cogũtur, ſint quàm maximè pecunioſi. Nunc ad illud, quod tertium eſſe diximus, deſcendam, ad militiam & ad belli ſtudium, qua quidem in re multum eſt difficultatis, & ad cognoſcendum & agendum. Suprà

dictum

dictum eſt, vſum armorum eſſe proprium nobilitatis, neque populo debere permitti: ſed maiorem diſputationem res iſta requirit. Primum enim negari non poteſt, quin populus aſſuefactus ad arma, facilè poſſit ad rebellionem incitari, vt regis auctoritatem proiiciat, & nobilitatem omnem opprimat, vt paullò ſupra hanc memoriam compertum eſt. E diuerſo, magni res eſt periculi, ſi in armis non ſit exercitatus. Quum enim bellum ab exteris infertur, nullum habemus idoneum peditatū, quo tamē minimè carere poſſumus, quando vel Angli, vel Germani, vel Heluetii bellum nobis faciunt. Hi enim ferè ſunt pedites. ideóque ſtatim vbi de illorum copiis aduentantibus nunciatur, quantumlibet exiguis, noſtri quamlibet multi, etiamſi equitum habeant præſidia, concurſant ac trepidant, ſuiſque rebus planè deſperant, eumque timorem vbi vident equites, incipiunt & ipſi animo eſſe deiecto, quandoquidem abſque peditatu ſciunt non ſe poſſe impetus illorum ſuſtinere: atque eô fit, vt hoſtibus, qui hæc non ignorāt, multò maior accedat alacritas oppugnandæ Galliæ. quod minimè ſit futurum, ſi pópulo, qui eſt frequentiſſimus, concederetur vſus armorum. Facilè quidem eſt regi, propter potentiam & opes,

conducere manus peditum exterorum, quos confecto bello dimittat, quod abſq; magno ſuorum diſpendio facere non poſſit, ſi milite vtatur in Gallia conſcripto. Fateor equidem, ſed periculi plenum & ſæpè fuit, & eſſe poteſt hodie, vti externis auxiliis. Primum enim, ingentem pecuniæ vim extra Galliæ fines illi ſecum aſportant. deinde, fieri non poteſt, vt eis, præſertim humilis condicionis hominibus, cuiuſmodi ferè ſunt pedites, tantum tribuatur fidei, quantum incolis regni, neque ſic ad officium cogi poſſunt, nec obſequentiam illam, quam noſtri homines, præſtant, & quum ſtipendium perſoluitur, ſatisfieri vix illis poteſt, & ſi quid deliquerunt, vindicari nõ poſſunt, quum aliquo ſunt maiori numero. Atqui delictum poſſit eius eſſe generis, vt ſumma calamitate regnum vniuerſum adficiat, ſi videlicet ipſorũ culpa vel prœlium ſit factum aduerſum, vel opidum aliquod amiſſum. Sed & hoc metuendum eſt, ne ſi viribus & numero ſuperent, aliquam regni partem occupent, vt non in Galliis tantum, ſed aliis etiam in locis aliquando compertum eſt. Fieri etiam poteſt, vt illis aut voluntas deſit aut facultas in tempore ſuccurrendi, atque interim hoſtes maximo aliquo damno rempublicam adficiant. Aſſuefacere autem homines natura belli-

coſos, & præmiis ac pollicitationibus allicere, permultum eſt in eo periculi. Nam & noſtrum belli gerendi morem & ſcientiam omnem, & ſi quid in nobis deſideretur, item promiſcuæ multitudinis infirmitatem ac inſcientiam, & quæ loca ſint munita, quæ minus; breuiter, portus & aditus omnes vſu cognoſcant, ſimul, quantæ ſint Galliæ facultates ac opes, perſpiciunt, iiſq; rebus omnibus ad bellum nobis inferendum exſtimulantur. quod multis aliis regnis, & huic quoque, recenti memoria, ſcimus accidiſſe. His ergò de cauſſis mihi videtur, quòd adeò ſit ineptus ad arma populus, vt externis ſemper vtendum ſit auxiliis, magnum in eo eſſe diſcrimen. Multis enim hiſtoriarum teſtimoniis demonſtrari poteſt, eos, qui numeroſo milite ſunt vſi peregrino, tandem in ſummas ob hoc ipſum incidiſſe calamitates. Quum igitur periculum ſit vtrobique, conſultiſſimum eſſe videtur, inſtituere rationem illam, de qua non ſemel eſt deliberatum, vt per omnes regni prouincias, ex plurimis pauci quidam deligantur, quàm minimum vitioſi, qui ad militiam videntur & natura eſſe facti, & optimè poſſe aſſuefieri. His autem præficiendi ſunt eiuſdē regionis homines, qui ſingulos norint, ac fidē ſuā pro illis interponant, eoſq; militum præfectos

oportet eſſe viros integros, & minimè auaros, qui fauori & gratiæ nihil tribuant, in iis præſertim, quæ ad regem remque publicam pertinent, qui militem ad diſciplinam & temperantiam inſtituant. His ipſis verò præerunt maiores illi præfecti, Conneſtablius, & Mareſcalli, eorumq; legati, ac prouinciarum præſides, operamque dabunt, vt pacis tempore in armis exerceantur, ad eamque rem vtentur militibus aliquot externis veteranis, qui doceant, quis ordo ſeruandus, quomodo inſtruenda acies, atque pugnandum ſit, & quidquid eſt eius generis: quumque delectus habebitur, ſeueritatem adhibebunt, & ne qua fraus omnino interueniat, prouidebunt, in primis autem, vt quam minimo populi detrimento iſtud fiat. ideóque belli tempore ſtipendia illis, quantum ſatis erit, præbebunt, in ocio autem, ne quid eis ad mediocritatem deſit, curabunt. Interim verò dum noſtri diſcunt, & vſum armorum ſibi comparant, ſi qua neceſſitas incidit, licebit aliquam exterorum manum cõducere, quibuſcum noſtri militent. Neque verò tunc etiã, quum erunt exercitati, alienum fuerit, exteris vti, partim, noſtros ſubleuandi cauſſa, partim, vt ipſo peditatus genere præſtemus, partim, vt ex qua gente militem conducimus, ea nobis
conci-

concilietur,& beneuolentia quadã adiungatur. Sed in eo videndum eſt, primum, vt iis vtamur, quos maximè fideles arbitramur nobis fore: deinde, vt numero ſint noſtris pauciores. Ita enim nullus erit offenſioni locus, & facultas illis deerit opprimendi noſtros, & ſi quid grauius admiſerint, abſque magno negotio poterunt coerceri, & quum non equitatum modo noſtrum, qui multo iam vſu eſt omnium longè exercitatiſſimus, ſed peditatum etiam videbunt in armis excellere, non ſolum vim nullam inferre audebunt, ſed ne qua ipſis inferatur vis, metuere etiam cogentur, ideóque pacem nobiſcum perpetuo colent, ac magnopere cauebunt, ne offendant. Itaque fiet, vt pecuniæ non exportentur è Galliis, & populus minimùm grauetur, neque ſit vllus grauior motus pertimeſcẽdus. Nam qui per ſingulas prouincias conducentur milites, quoniam & pauci erunt ſingulis in locis, & interiectis ſpatiis dirimentur, non poterunt aut excitare alios ad rebellionem, aut coniurationem aliquam inter ſe facere, neque verò cauſſam habituri ſunt cur faciant, aucti ſtipendiis aliiſque priuilegiis, præ ceteris ſui ordinis hominibus. immò, quoniam his beneficiis ornantur, multò erunt obſequentiores, ac diligenter, ne quid animad-

uerſione dignum admittant, cauebunt, & quum exſequendum erit aliquid in iudiciis definitum, præſtò ſemper erunt. Hæc autem non ſic accipi debent, quaſi putem eos, qui ſunt ad regni fines, non oportere magis eſſe in armis exercitatos, quàm qui longiſſimè à finibus abſunt. Minimè quidem iſtud: verum ita ſentio, qui ſunt præfecti finibus, debere illos allicere ac propoſitis præmiis inuitare, vt ſagittis & arcu & tormentis & haſtis & gladiis, idque genus aliis armis diligenter ſe exerceant, non quidem omnes indifferenter, ſed il cumprimis, qui corporis figura & natura videntur eſſe idonei. Nam certè opus eſt, vt qui fines incolunt, habeant, quibus ſe ſuaque defendant, arma, ne à vicinis & finitimis opprimantur. Multæ enim oriri ſolent de finibus contentiones, eóque, ſi ex longinquis ſint euocandi milites, qui reſiſtant, maximo ſit futurum eius regionis, cui ſubſidio mittuntur, detrimento. Natura etiam, atq; more ita comparatum eſt, vt qui ad ipſos regni fines habitant, pro laude atque commodo ſui principis, maiori ſtudio, quàm alii, contendant, ideóq; ferè tributa & vectigalia, quæ reliqui dependunt, ipſis remitti ſolent. quamquam & hoc alioqui fieri æquũ eſt, propter ſumptum, quem pro ceteris faciunt, & rei fa-

miliaris

miliaris diſpendium, ac varia pericula, quibus belli tempore ſunt expoſiti. Nam & præſidia militum alunt, & excubare ipſos, atque locorum munitionibus deſeruire oportet. De claſſe & exercitu maritimo inſtituendo, poſtea ſum dicturus. Et quoniam in hoc genere præcipuum eſt, vt tàm equitum quàm peditum copiæ ad diſciplinam militarem, non minus pacis quàm belli tempore, domi pariter atque foris aſſuefiant. ex hoc enim fonte profluit quidquid è belli ſtudiis commodi ſperare licet: idcircò pauca quędam de eo ſum dicturus, & prolixitatis vitandæ cauſſa, quæ Valerius & quæ Vegetius copiosè de his rebus tradiderunt, prætermittam, ac ea ſolum, quæ noſtræ ætati maximè conueniunt, exponam, quid videlicet detrimenti reſpublica acceperit propter neglectam diſciplinam, & quomodo in poſterum huic rei facienda ſit medicina. iis explicatis, quod reliquum eſt, prudentiæ regis, & eorum fidei, quibus auctoritatē rex tribuit, committemus. Primum igitur, quanti ſit momenti hæc, de qua loquimur, diſciplina, nemo qui cognitas habeat hiſtorias, & res geſtas, Romanorum præſertim, ignorare poteſt. Hi enim præ ceteris diligentiſſimè illam ſeruarunt; & eius adiumento potius, quàm robore aut vi armorum, ad eam

imperii magnitudinem peruenerũt. quod Valerius Maximus aliique multi teſtantur, & duces aliquot populi Romani nominant, qui ad veterem diſciplinam reuocato & inſtituto milite, vicerunt hoſtem antea victorem eius populi, ob proiectam atque deſertam diſciplinam: & quod de Scipione Africano bellum gerente in Hiſpaniis commemorant, valdè eſt præ ceteris illuſtre. Hoc igitur & id genus alia documenta, principum animos ad imitationem excitare debent. Duabus autem in rebus ea diſciplina potiſſimum conſiſtit, quæ ſimul cohærent, neque ſeparari inuicẽ poſſunt. Primum eſt, vt qui præficiuntur copiis, egregia ſint virtute: alterum, vt milites dicto ſint audientes. Nam ſi & exercitus imperator eſt idoneus, & reliqui ſub eo præfecti, tribuni, centuriones, ac vulgus militum eius præceptis obtemperat, dubitari non debet, quin rectè omnia procedant. Quum autem ex iis alterum deficit, fieri non poteſt, vt aliquid laude dignũ perficiatur. Niſi enim belli dux multo vſu comparatam habeat rei militaris ſcientiam, niſi exactè teneat, quomodo res in omnem euentum atque caſum adminiſtrari debeant, & niſi ea ſit virtute, prudẽtia, & animi fortitudine, vt quod optimum in concilio viſum fuit, nauiter efficiat, deſpi-

cietur non à ſuis tantum, ſed ab hoſtibus etiam, & quum aliquid agere inſtituit, milite vtetur inuito & trepidante: quòd ſi autem virtutis opinionem haberet, alacres ac fiduciæ pleni milites, nullum laborem atque periculum ſint recuſaturi. Dici enim non poteſt, quàm multa ſecum trahat incommoda belli dux aliquis aut ignauus atque timidus, aut imperitus. Nihil enim circumſpicit, nihil prouidet, nihil opportune conſtituit, & facilè circumuenitur ab hoſte, & ſæpenumerò fallitur & errat, in quo reipublicæ ſalus nonnumquam tota periclitatur. Neque verò ſatis eſt, attribuere illi homines idoneos atque peritos, qui in commune conſulant: ſed ipſum oportet ingenio ac prudentia valere, vt rem, quæ in deliberationem venit, intelligat, & inter multorum opiniones iudicium facere poſſit, ne quod peſſimum eſt, eligat. Qua quidem in re tantò maiori eſt opus animaduerſione atq; induſtria, quòd non rarò fieri ſolet, vt quum pauci quidam apud imperatorem exercitus omnia poſſunt, reliqui indignentur atq; moleſtè ferant, & quæcumque res inciderit, iis ipſis, quos præferri ſibi dolent, contraria ferè pronuncient. Sæpè etiam fit, vt exercitus præfecti, qui vel per ætatem vel alioqui vix tenuem habent rerum vſum, hominibus

idoneis & exercitatis anteferant eos, à quibus vel à paruulis educati ſunt, vel qui auribus ipſorum atque voluptatibus ſeruiunt. Vt autem belli dux per ſe ipſe ſapiat, vel ideò eſt neceſſe, vt quum aliquid repente incidit; quod aut deliberationem atque moram non patitur, vel quod ſilentio tegi oportet, idoneè, quod opus eſt, conſtituat & agat. Nam etiamſi prudentiſſimorum hominum vtatur conſilio, tamé, niſi re ipſa virtuté repræſentet ac militum animos ſibi deuinciat, parum profecerit. Quid autem opus eſt pluribus verbis? Quia non ſemper ad virtutem animique præſtantiam reſpicitur, ſed fauore atque gratia res agitur, & qui commodum aliqué nacti ſunt interceſſorem; aditum ferè habent ad eiuſmodi præfecturas, idcircò tantæ ſæpè calamitates in rempublicam noſtram inundarunt, vt in hominum quotidiano ſermone nihil ſit frequentius & vſitatum magis. Itaque ſi quis præditus eſſet iis omnibus, quas dixi, virtutibus, magno ſit redimendus, ac omnibus aliis præferendus, & illuſtri loco nati principes, non ſint ægrè laturi, ſi voluntate regis, imperio illius obtemperent. Sed quoniam difficile eſt inuenire; qualem deſideramus, relinquitur, vt eos; qui proximè ad perfectionem accedunt, eligamus. Cicero

putat

putat in ſummo imperatore quattuor has res ineſſe oportere, Scientiam rei militaris, Virtutem, Auctoritatem, Felicitatem. Ad hæc igitur reſpiciendum eſt, quum aliquis deligitur, tametſi quod de auctoritate dixit, ſuperuacaneum eſſe videtur. Nam qui duo illa ſolum habet, quæ primo loco dicuntur, hunc neceſſario ferè comitatur auctoritas, ſi modo rex illius virtuti tribuit quantum oportet. Ex his autem duobus vtrum antecellat, nunc diſpiciendum eſt. Quæritur enim, quum duo ſunt, quorum vnus ſcientia rei bellicæ, alter autem virtute excellit, vter ſit præferendus. Cicero videtur ita ſentire, vt exiſtimet virtuti eſſe præferendam ſcientiam: nobis autem ſecus apparet. Virtute enim, quæ ſit adiuta fideli conſilio, longè plus effici poteſt, quàm ſola ſcientia, quæ virtute careat: quod in Alexandro, Hannibale, Scipione, ſatis demonſtrari poteſt, qui iuuenilibus annis præfecti ſummæ imperii, non poterant per ętatem, tantis rebus gerendis idoneam aut ſatis magnam habere ſcientiam: ſed quoniam innata fuit ipſis præſtantiſſima quædam vis animi, multò fecerunt illuſtriora, quàm alii in armis quidem & vſu militari plurimis annis exercitati; verum ea, quam diximus, virtute deſtituti. Duobus igitur in medium ad-

ductis, quorum alter ſit rei bellicæ peritiſſimus, vim autem illam animique fortitudinem non habeat, alter verò non magnũ quidem habeat vſum armorum, animo verò ſit excellenti, & ad omnia ſubeunda parato: hunc certè longè illi præpoſuerim, tum propter ea quæ diximus, tum quòd hic ſcientiam exercitatione, ille autem robur animique præſentiam vix vllo tempore ſibi comparare poſſe videtur. Sed quoniam vix eſt, vt qui pluribus annis militiæ ſtuduit, & rem omnem perſpectam habet, non ſit etiam animoſus; & quia multi viciſſim reperiuntur, animo quidẽ parati ad quiduis, minimè verò periti rei militaris: hanc eſſe puto cauſſam, cur Cicero ſcientiam illam inter ea, quæ in imperatore requirit, primo loco numerarit. Dignitas autem atque ſplendor familiæ, magnam tum auctoritatem, tum beneuolentiam imperatori cõciliat. Quum ergo virtute præditus eſt aliquis illuſtri loco natus, præferri debet aliis inferioribus: quod tamen ſic accipiendum eſt, ſi in virtute nihil ſit temeritatis, quæ ſapientum & peritorum hominum conſilia repudiet. In eo enim tantò plus eſt periculi, quantò maiorem ille poteſtatem obtinet. Verum ſi moderato ſit ingenio, & quos peritos eſſe cognouit, eos libenter audiat diſſerentes de rebus,

rebus, & ſi iudicium habeat, vt diſceptata cauſſa, quod optimum eſt, eligat, eique facultati vim etiam animique promptitudinem adiungat: omnibus aliis meo quidem iudicio debet anteponi, eique ſunt attribuendi viri prudentes, qui quod in eo forſitan deſiderabitur, ſuppleant. Et quamquam hæc propriè ad legatum regis pertinent, cui demandata eſt ſumma rerum; tamen, quum rex ipſe bello intererit, etiamſi magna ſit præditus experientia, valdè cauebit, ne rem vllam maioris momenti, niſi communicato prius conſilio, faciat. Alterum, quod in belli duce ineſſe oportet, in Galliis ferè contemnitur, vt ſit eloquens, & omnis generis hiſtorias tàm veteres quàm recentes habeat exploratas. Quum enim grauius aliquod tempus incidit, quum magnæ res difficultatis atque periculi obiicitur, elegans atque prudens imperatoris oratio vehementer inflammat militum animos: quòd ſi verò nihil eiuſmodi interueniat, remolleſcit eorum virtus, vt in C. Cæſaris commentariis non vno loco videre licet. Quid enim oratio poſſit firmis adiuta ſententiis, declarauit idem Cæſar, quum ad Veſontionem Sequanorum opidum, aliquamdiu moratus, aduerſus Ariouiſtum Germanorũ regem cum exercitu proficiſceretur. Hoc genus

alia teſtimonia multa reperiuntur in Xenophontis libro, qui de Cyri profectione in Perſiam eſt conſcriptus, quem librum in noſtram linguam ipſe conuerti: reperiuntur item quàm plurima in Salluſtio, Tito Liuio, Q. Curtio, & omnibus pariter hiſtoricis. Quamobrem ita ſtatuo, quòd ſi conſuetudo illa vetus concionandi ad militem reuocaretur in vſum, & ab imperatoribus noſtris recoleretur, non mediocrem ex ea re commoditatẽ poſſe ad rempublicam redire. Et hæc quidem de imperatoris aut legati regis officio ſatis dicta ſint: nunc verò quid regem inuicem facere oporteat, paucis demonſtrabo. Quem ergò ſuis copiis præfecit, huic omnem auctoritatem adminiſtrandi belli tribuet, ſic vt nemo ſit in caſtris atque exercitu, qui non ei pareat. qui verò ſecus fecerint, in eos grauiter vindicabit, & quò maiori eſt potentia is, qui detrectat imperium, & quò plures ad idem facinus impellere poteſt: eò ſeueriori pœna mulctari debet. Niſi enim auctoritatẽ belli dux obtineat, & niſi in honore ipſum habeãt, ac dicto ſint audientes milites, nihil vnquã laude dignum efficiet. Hinc eſt, quòd ſuprà diximus, non probari Venetorum inſtitutum, qui quum in continente bella gerunt, legatos adiungunt,

gunt, qui exercitus imperatori præſcribāt. Si prœlio ſit dimicandum, ſi quod opidum obſidendum, ſi mittenda ſubſidia, ſi dimittendi milites aut etiam conducendi, ſi facienda ſit oppugnatio, ſi deditione capiendi qui obſidentur, ſi puniendi facinoroſi, ſi remunerandi & præmiis ornandi aliqui propter virtutem, ſi conſtituendi præfecti, in his rebus omnibus, quid agendum ſit, illi præfiniunt. In quo ſanè valde peccatur. nec enim vllum aut collegam, aut maioris auctoritatis aliquem, qui non ſit in re bellica exercitatus, attribuere oportet imperatori. Quantum verò ad reliquam adminiſtrationem attinet, non me latet, opus eſſe pluribus, partim, vt belli dux non diſtineatur aliis occupationibus, partim, quòd eiuſmodi munera ſunt ab eius remota profeſſione. nam alii ſunt ad alias res magis idonei. Sed eius tamen, qui ſummæ rerum præficitur, auctoritas, intra hos fines includi debet, vt quoties aliquid maioris incidit momenti, quod celeritatem non requirit, ab ipſo rege petatur conſilium. In eius quidem poteſtate nō erit, nouum aliquod excitare bellum, aut pacem induciaſve longiores facere cum hoſte, niſi iuſſu ac voluntate regis, aut niſi magna quædam interueniat neceſſitas. Tunc enim licet, atq; vt paucis abſol-

uam, pro condicione hominis, atque cauſſæ, & pro magnitudine interualli, tribuenda eſt illi poteſtas. Sic enim Romani, Conſulibus ad longinqua bella proficiſcentibus maiorem concedebant poteſtatem, quàm cum in Italia bellum gerebatur: ſæpè etiam, pro eius, qui mittebatur, virtute, plus minuſve tribuebant. In ſummam verò difficultatem rebus adductis, creabant Dictatorem, penes quem erat omne arbitrium. Qui plura volet cognoſcere de his, quæ in belli duce requiruntur, facilè ſibi ipſe collegerit ex pleriſque libris ea de re ſcriptis, & ex hiſtoriis, iis præſertim, quæ clariſſimorum hominum res geſtas commemorant, cuiuſmodi fuerunt Cyrus, Alexãder, Pyrrhus, Hannibal, Marcellus, Fabius, Scipio, Themiſtocles, Lyſander, C. Cęſar, & id genus alii, quorum facit mentionem Plutarchus. In iiſdem quoque libris reperire licet abundè, quidquid ad diſciplinã militum pertinet, quod eſt alterum mei propoſiti caput. & quamquam à ſuperiori dependet, tamen ſeparatim de eo loquar, non multa quidem, ſed ea ſolummodo, quæ ad noſtrum tempus propriè pertinent, quæque & ipſe vidi, & ab hominibus earum rerum peritis cognoui. Sunt autem tria potiſſimum eius diſciplinæ præcepta: ex iis primum eſt, vt

milites

milites imperatori ſuo pareant. de quo ſatis antea. Scipionis Africani dictum celebratur, *Mille milites obſequentes, praſtare decem millibus non obtemperantibus.* Ab ipſo autem duce pendet hæc obedientia. Nam ſi nomini ac profeſſioni ſuæ reſpondet, ſi rex illi, quam oportet auctoritatem tribuit, non dubium eſt, quin dicto ſit habiturus illos audientes. Nec enim vlla reperitur hominum natio tam barbara, tam efferata, quæ legibus atq; pœnis non poſſit ad officium & æquitatem adduci. Hæc autem ſeueritas in primis eſt neceſſaria militiæ. niſi enim interueniat, tumultuosè ac perturbatè omnia fient. qua quidem in re quantum ſit malorum, quis omnium ignorat? Valdè ſunt igitur reprehendendi præfecti, qui conciliandi fauoris cauſſa, vel vt benigni atque clementes videantur, nimis leuiter militibus ignoſcunt, ac ſæpè etiam delicta diſſimulant, in quo tantò magis peccatur, quum vel imperatori non eſt obtemperatum, vel aliquid contra leges aut militiæ morem admittitur: quæ quum dimittuntur impunita, ſummam adferunt licentiam, ac diſciplinam omnē eneruant, Seueritas enim magis, quàm facilitas atque mobilitas imperatorem decet. Erat Iulius Cæſar in ceteris rebus omnibus clementiſſimus: belli verò tempore non item, ne-

que tamen idcircò milites eum oderant, immò vehementiſſimè amabant. Ferè enim fit, vt qui nimium militibus indulgent, eblandiendi fauoris atq; gratiæ cauſſa, tandem ob hoc ipſum vituperentur, & in odia plurimorum incurrant: qui autem in officio illos continent, hi & amentur, & magnis celebrentur laudibus. Vt ergò legibus pareant, & pro ſcelere ipſorum puniantur milites, imperatoris eſt prouidere, tunc in primis, quum vel ſingularis aliquis, vel complures etiam priuati aliquid animaduerſione dignũ admiſerunt. Quum enim aut totus exercitus, aut pars eius aliqua deliquit, diſſimulandum eſt nonnumquam pro tempore, maioris vitandi motus cauſſa: verum vbi nullum eſt amplius periculum, dabit operam, vt aut vlciſcatur factum, aut ita ſe comparet, vt omnes intelligant, iniquiſſimo ſe animo ferre quidquid contra maieſtatem imperii remque publicam admiſſum ſit, neque in poſterum eiuſmodi petulantiam eſſe dimiſſurum inultam. Cauebit etiã, ne quam militibus det cauſſam ſeditionis: quod erit, ſi de ipſorum iure nihil diminuat, ſi nihil cupidè, nihil auarè committat, ſi liberalitate iuuet eos, qui videbuntur eſſe digni. ſed in primis cauendum eſt, ne quam fraudem in ſtipendiis faciat, & vt ad certum diem ea dependat, neque ſolutionem diffe-

rat, & quum in promptu non erunt pecuniæ, dolere ſibi demonſtret, ſimul operam det, vt acceleretur, atque interim omnem humanitatem illis præſtet. Si qua verò ſit commeatus inopia, confirmabit eos, quibuſcumque poterit rationibus, ac ſe quoque in eadem eſſe difficultate oſtendet, inque rebus omnibus amorẽ ſuum in ipſos declarabit, eorumque incommodis non ſecus atque propriis adfici atque commoueri ſe præ ſe feret; ſic tamen, vt ſui muneris atque loci dignitatem ſeruet, neque nimium ſe demittat, ad illos præſertim, qui ſunt ſeditioſi & minus obtemperantes. Duces autem atque præfectos, & centuriones, & præcipuos quoque milites amanter ac familiariter habebit, & ex omnibus copiis vnam aliquam cohortem, de qua maiorem virtutis opinionem habebit, ſingulari beneuolentia complectetur, & quanti eam faciat quantumque tribuat, ſignificabit. quod tamen ea dexteritate fieri debet, vt reliqui non inuideant, ſed ad æmulationem excitentur ac virtute cum illis contendant. Facilè hoc efficiet ac conſequetur, ſi meritis honos ille ac beneficentia tribuatur, ſicut C. Cæſarem erga legionem decimam feciſſe conſtat. Hanc rationẽ ſi ſequatur imperator, non temere naſcẽtur ſeditiones, aut natæ

minimo negotio componentur. Alterum eius diſciplinæ præceptum eſt, vt milites honeſtè ac ſobriè viuant, quorum illud ad pietatem & ad rempublicam pertinet, ne videlicet Deum offendant. Non eſt ergo concedendum illis, vt nomini diuino contumeliam vllam faciant: ne qua vis etiam ſacris inferatur locis & Eccleſiaſticis & viduis & pupillis & aliis id genus calamitoſis hominibus, imperatoris eſt prouidere, ſuoſque à libidinibus & raptu & ſtupris, magna conſtituta pœna, prohibebit. Eiuſmodi enim maleficiis irritatus Deus, graues nonnumquam plagas immittit, vt tam ſacræ quàm profanæ hiſtoriæ teſtantur. Scortis igitur nullum in caſtris locum permittet, vt Scipionem Africanum in Hiſpaniis feciſſe legimus. Quod ſi autem grauioris incommodi vitandi cauſſa concedendum eſt, quemadmodum in ciuitatibus fieri videmus, curabit tamen, ne numerus modum excedat, & tum verbis tum re ipſa militibus demonſtrabit, impurum illud vitæ genus diſplicere ſibi vehementer, & qui eo ſunt contaminati, leuiter æſtimabit, eos verò qui temperanter & honeſtè viuunt, magni faciet. Quia enim maximam temporis partem in vitæ periculo verſantur, idcircò decet eos pietas atque modeſtia. ſed & vehementer in eo peccant noſtri

noſtri homines, præſertim pedites, ac vitæ turpitudini hoc etiam ſcelus adiiciunt, quòd magnis iniuriis nomen diuinum adficiunt, idque adeò nunc obtinuit, vt nullius ferè ſit precii, & ignauus eſſe putetur, qui non in eo maximè excellat. quò minus debet videri mirum, quod nihil egregiè perficiant. Cauendum eſt etiam, ne qua ſimultas inter ipſos oriatur, vel vt orta ſtatim ſedetur, vitandi cauſſa maioris periculi. quod maximè tum ſolet euenire, quum in exercitu ſunt non vnius gentis atque linguę homines. Optimum igitur eſt, vt qui moribus & lingua & inſtitutis inter ſe differunt, non contineantur iiſdem caſtris, verum vt alii ſeparentur ab aliis, nec vlla præbeatur ipſis occaſio miſcendi ſe, quod fieri conſueuit, quum vel annona diſtribuitur, vel ad direptiones atque prędam concurritur. Ad eam rem valdè confert præfectorum atque centurionum mutua inter ipſos notitia & beneuolentia. Continenter etiam atque ſobriè viuendum eſſe militibus antea diximus, vt ſcilicet in victu quotidiano & veſtibus omnem luxum defugiant, neque ſe mollitiei dedant, quod nunc per totam ferè Europam fieri videmus, maximè verò per Galliam, vbi ſic aſſueuerunt deliciis, vt in caſtris non minus copioſè & lautè & molliter viuant, quàm

ſi domi eſſent. Ex ipſis plerique numquam ferunt arma, niſi quum neceſſitas vrget, quum vel metuunt, vel dimicandum eſt prœlio, & ne tunc quidem laborem adhuc ſubeunt, ſed armorum partem maiorem ſuis calonibus atq; ſeruulis ferendam tradunt. qua quidem in re multum ſanè eſt incommodi. Primũ enim, remittitur eorum virtus, ac relangueſcunt animi & effeminantur, quod Hannibali eiuſque copiis, dum Capuæ ac in reliquis Campaniæ locis moraretur, ſcimus accidiſſe. Deinde, maximo commeatu opus eſt illis, & ſumma rerum copia. neque enim rebus ad victum neceſſariis contenti ſunt, ſed exquiſitiſſimos etiam cibos requirunt, & ſi quid deſit, agunt ſeditiosè, & propter mutatum vitę genus conſuetum, incidunt frequenter in morbos, quod minimè fieret, ſi ſobrietati perpetuò ſtuderent. Ad hæc, propter calonum & iumentorum multitudinem, quæ cibaria & impedimenta perferunt, annonæ caritatem & inediam excitant, & belli adminiſtrationẽ impediunt, & quum prœlio decertandum eſt, magnis ſunt defendendi præſidiis, & nõ raro fit, vt equites, quum ſuarum rerum iacturã metuunt, ordines deſerant, & ſuis, qui ſunt cũ impedimentis, auxilio proficiſcantur. Poſtremò, ſumptibus exhauſti milites, quandò è

dò è ſtipendiis nihil habent reliquum, prædæ ſtudent atq; rapinis, & populum quem defendere debebant, magnis adficiunt incommodis, ideóq; vulgo ſunt odioſi, & quũ bellum incidit, non minus quàm hoſtes ipſi metuuntur, & hominibus cauſſam ſæpè præbent deſerendi ſedes, alióque commigrandi. Huic autem malo facienda eſt medicina, vt ne voluntates hominum alienentur, néve alii deterriti noſtrum imperium deteſtentur & exhorreſcant, totiſque viribus huc incumbendum eſt, vt noſtræ lenitatis ac moderationis fama longè latéque apud finitimos excitetur. neque enim dubium eſt, quin bene conſtituta republica, plerique omnes noſtrum imperium quibuſcumq; aliis anteponant. Poſtquam ergò de republica tàm domi quàm foris adminiſtranda diximus, reliquum eſt, vt quemadmodũ rex erga vicinos principes atque populos gerere ſe debeat, tàm pacis, quàm belli tẽpore, exponamus. quo quidem in argumẽto plus eſt difficultatis, quàm in ceteris. Quomodo enim domi gerenda ſint omnia, & quæ ſint eius rei rationes, nõ pauci præſtantes viri cognitum habẽt, atq; perſpectũ: ſed magnæ prudentiæ eſt atq; induſtriæ, cognoſcere quomodo ſint in amicitia retinẽdi populi externi, quibus Gallia eſt vndique cincta, Itali, Sa-

baudi, Heluetii, Angli, Belgæ, Hiſpani, Germani. Tenere enim rationem atque modum gubernandi quos noueris, quiq; tuo ſint ſubiecti imperio, nō tam eſt difficile, quàm pacē poſſe colere cum iis, quorum ingenia non ſatis perſpexeris, & in quos nullum habeas imperium. Atque interim tamen hęc ratio ſic eſt neceſſaria, vt ad regni ſalutem in primis pertineat. Habet autem difficultatem magnam non ad agendum modo, ſed ad cognoſcendum etiam, vt videlicet rectè aliquis & idoneè præfinire poſſit atque docere, quid in eo maximè conueniat. Nam ad exterorum mores, ingenium, negotia, & quæ ſæpè incidit in his omnibus, mutationem, accommodanda ſunt conſilia: neque raró fit, vt quibus aliquando ſumus vſi pacatis & amicis, ab iiſdem nunc, vt ab hoſtibus, cauere nos oporteat: contrà, quos olim ſumus experti nobis aduerſarios, vt iis fauorem ac beneuolentiam omnem præſtemus. Et quia ſit futurum odioſum, ſpeciatim de his rebus loqui, quæ mea ſit ſententia, in genere proponam. Primum igitur eſt, vt qui principatum obtinent, pacem cum vicinis omnibus & exteris colant, niſi fortè vel natura gentis vel religio diuerſa repugnet. Semper enim paci conſulendum eſt, quæ firma ſit atque conſtans, & quæ nihil habitu

bitura ſit inſidiarum,&in ſuſcipiendo bello nihil tribuendum eſt ambitioni, nihil gloriæ cupiditati, nihil animi perturbationibus; ſed cum noſtra vel repetimus, vel iniuriam aliquam vlciſci cogitamus, ad vim confugiendum eſt, ſi diſceptatione vti non licet. item defendendi cauſſa vicinos & propinquos & amicos, aduerſus vim & iniuriam, arma etiam capimus. In primis autem vt à nobis ipſis & ab iis qui noſtro ſubiecti ſunt imperio, vim propulſemus. Quo in genere quid ſit obſeruandum & agendum prius, quàm ad arma veniatur, in præſentia non dicam, quia non eſt noſtri propoſiti. Sed quoniam homines natura ſunt vitioſi, & in principibus viris plerumque exiſtunt honoris, imperii, potentiæ & gloriæ cupiditates, diligenter obſeruandum eſt, quid agant aut moliantur vicini, & prouidendum, ne facultatem habeant vllam nocendi, in eaque re pro tempore & loco, & eius quem metuimus, condicione, agi oportet. Nam qui ad faciendam iniuriam inſtructus eſt, qui vel actionem contra nos habet, vel alioqui veteres nobiſcum exercet ſimultates, ab hoc multo diligentius cauendum eſt, quam ab eo, qui neque magna potentia præditus eſt, neque maleuolentiæ cauſſam vllam habet, aut ex iis altero deſtituitur. ſic etiam, ab eo qui verſutus

eſt atque callidus, & in quo cupiditas ambitióque dominantur, magis vt nobis caueamus oportet, quàm ab eo, in quo nulla eſt fraudis iniuriæque ſuſpicio, & qui non eſt ea vel virtute vel potentia, vt vim vllam nobis inferat. Cum illis igitur, à quibus iniuria metuitur, viuendum eſt amicè, pacis tempore, ſic, vt nullam habeant doloris cauſſam, & agendum liberaliter, vt intelligant plurimum ipſis tribui & confidi. Quòd ſi verò & callidè & ſimulatè nobiſcum agere, & ſi facultates atque vires habeant, aut etiã oblata occaſione, damnum allaturi nobis atque bellum ſuſcepturi videbuntur, impediendi ſunt, quibuſcumque licet, honeſtis rationibus: id enim iure tàm diuino quàm humano conceſſum eſt. Cuiuſmodi autem ſint hæ rationes, breuiter exponam, non quidem omnes, verum eas, quarum in hoc tempore meminiſſe poſſum, ex iiſque reliquas erit non difficile intelligere. Primum ergo, non eſt permittendum iis, quos diximus, vicinis, quantumuis etiam videantur eſſe amici, vt in Galliis aliquid faciant aut experiantur, quod ipſis occaſionem deinde præbeat muniendi ſe aduerſum nos: Eius generis ſunt, ne ipſis aut tranſire cum copiis, aut commorari diutius, aut annonam & arma præter modũ exportare liceat, néve

conce-

concedatur, vt nimis magnum habeant vſum ac familiaritatem, aut ſua cōſilia communicēt, cùm noſtræ ditionis hominibus, iis pręſertim, qui fines incolunt & præfecti ſunt opidorum cuſtodiis. Alterum eſt, vt fines benè muniantur, ne qua vis inopinantibus adferatur. Nā occaſio & facultas perficiendi, ſæpe homines inuitat, eos præſertim, qui propter emolumentum non dubitant violare fidem, & allicit, vt aliquid tentent & audeant, quod alioqui minimè ſint facturi, ſi propoſita difficultate, fruſtrà ſe conaturos viderent. Tertium eſt, vt eos, qui fidelē operam nobis præſtiterunt rebus aſperis, non deſeramus vllo tempore, tunc in primis, quando cum hoſte paciſcimur, neque prædæ aut periculo fortunas eorum atque ſalutem obiiciamus, verum iiſdem cōdicionibus complectamur, quas nobis ipſis pacti ſumus. Nā alioquin & facultas illis aufertur opitulandi deinceps, ac ſimul cauſſa præbetur, vt à nobis deſerti atq; proditi, rationes ineāt, quemadmodū recōciliati ad hoſtē tranſeant. in eoq; quātum ſit incommodi, facilè quiuis intelligit. Nam & inimici confirmantur, & complures alii exemplo perterriti, recedunt ab amicitia, niſi imperio aut neceſſitate prohibeantur. Hęc etiā eſt cauſſa, quamobrē populi iniurias rex minimè negligere debeat,

eorum præſertim qui ſunt in finibus. hos enim acerrimè propugnabit, vt ad virtutem inflammet, & ad omnia ſui cauſſa perferenda reddat alacriores. Quartum eſt, vt ei, quem diximus, vicino ſuſpecto, impedimentum ſemper aliquod inferatur, ne nouis amicitiis atque facultatibus creſcat. Quum enim periculum eſt, ne nouis acceſſionibus amplificatus, nobis noceat, impedire conatus illius licet atque tardare. Et ſicut Paulum feciſſe conſtat; excitata ſimultate atq; diſſidio inter Iudæos, qui in ipſius perniciem coniurauerant: ad eundem quoque modum licet occultè factiones & diffidentiam & diſſidium alere inter eos, qui conciliati & amicitia coniuncti, nobis incommodare poſſent, nec id modo, verumetiam in ipſo, quem ſuſpectum habemus, eiuſque populo idem eſt faciendum, ſic tamen vt nullum turpe vel immane facinus interueniat. Neque verò ſolum impediendus eſt, vt ne potentior euadat: ſed ineundæ ſunt etiam rationes, vt ſumptibus exhauriatur, & ſeipſum infirmiorem reddat, & vt amicitiæ illi omnes atque præſidia, quibus ad noſtram perniciem vti poſſit, detrahantur. In primis autem elaborandum eſt, vt qui ſunt in eius familia viri præſtantes conſilio & virtute, ad noſtras traducantur partes.

quod

quod quidem nemo facilius, quàm Galliæ rex, efficere poteſt, propter omnis generis præfecturas, & munera publica, quorum infinitus eſt numerus: ideóque fit, vt exteri, poſteaquam copias & emolumenta Galliæ ſemel experti ſunt, inuitiſſimi redeant ad ſuos. immò, non ſemel compertum eſt, illos, quum pro virtute ac merito honeſtè & liberaliter eſſent à nobis habiti, non minorem nobis fidem præſtitiſſe, quàm noſtræ originis atq; linguæ homines. Beneficiis enim noſtris & humanitate capti, agros & poſſeſſiones, quas domi habent, ſæpè relinquunt, & nobis ſeſe totos tradunt, & perſpecta eorum virtute, grauiſſimas aliquando præfecturas à regibus obtinent, & prouinciis finibuſque tuendis præponuntur, & præclarè de republica ſæpè meriti ſunt: ac docere poſſim, quibus temporibus illi, quum ſuam operam nobis detuliſſent, repudiati, maximis incommodis Galliam adfecerint. Hoc autem non eò pertinet, vt exiſtimem ab initio ſtatim illis fidendum, aut vllam rem maioris momenti committendam eſſe: verum vt beneuolè recipiantur, & vbi ſuæ virtutis ac probitatis fidem fecerint, ornentur & augeantur. Hæ ferè ſunt rationes, quibus vtendum eſſe puto pacis tempore erga vicinos, quorum de fide & amicitia dubita-

mus, in eóque ſic agendum eſt, vt quàm minimum offendantur. Quum autem ad vim illos & inferendam iniuriam ſpectare videbimus, quum ſeſe munient, & quæ neceſſaria ſunt ad bellum, præparabunt, primum monendi ſunt, vt ab armis abſtineant, & æquitate rem gerant, & adhibendi viri boni, tamquam arbitri, qui controuerſiam minuant. Qui enim hanc rationem ſequitur, quoniam ſibi diſplicere contentionem omnem, & pacis cupidum ſe profitetur, is & Deum ſibi reddit propitium, & hominum beneuolentiam conciliat, & populum ſuo ſubiectum imperio promtum efficit & alacrem, & amicos omnes habet ſui propoſiti adiutores, & aduerſariorum animos impetumque refringit. Nihilò ſecius tamen interim ſeſe communiat, vt à rebus omnibus ſit paratus, & vt non modo bellum illatum defendat, verumetiam, ſi ſit opus, inferat, & hoſtem laceſſat. Nam ad impetrandam pacem nihil eſt vtilius, quàm vt ad bellum aliquis habeat omnia parata & inſtructa, nec vllam ſignificationem metus præbeat. Infirmitas enim virium & animi imbecillitas in aliquo deprehenſa, vehementer ad inferendum bellum excitare ſolent. Cauendum eſt ergo regi, ne ad hoſtem timidè ſe atque demiſſe gerat, præſertim, ſi qua ſit affectus contumelia

melia, néve pacem ſollicitet, niſi extrema coactus neceſſitate. eóque magis cauere debet, cum hoſtis eſt aut cupidus aut ambitioſus, aut ſuperbus. Huic enim augeſcit animus illa demiſſione, & alii quum timorem animaduerterint, relangueſcunt, ſuiſque rebus incipiunt deſperare, & duriſſimis ferè condicionibus paciſcendum eſt, quoties ad hunc modum pax ambitur ac velut emendicatur. Eius rei documenta peti poſſunt ab Athenienſibus, quando Perſarum reges bellum ipſis inferebant, & à Romanis, quum grauiſſimis eſſent implicati bellis, præſertim aduerſus Hannibalem. In ſummis enim anguſtiis conſtituti magnam ſemper animi fortitudinem atque conſtantiam præ ſe ferebant, neque turpē vllam aut indignam pacis condicionem admittebant. quæ ſanè virtus animiq; magnitudo regem aut principē virum non paullò magis quàm ciuitatē aut populum aliquem decet. Præter id, quod diximus, de muniendis locis, videndum eſt etiam, quomodo illi quàm plurimum noceri poſſit, ante bellum. Nam ſicut ignauię tribuitur, ſi trepides ac hoſtem metuas: ita quoque temeritatis eſt, contemnere illum, & imprudentiæ, non prouidere ſuis rebus in tēpore. Valdè enim eſt indecorū, vbi præter opinionē aliquid accidit, dicere vulgatū

illud, *Non putaram*, præſertim ſi res fuit eius generis, vt præuideri poſſet atque caueri. Neque verò dubium eſt, quin conſilium idoneè ſuſceptum, & diu multumque deliberatum in rebus bellicis, tanti aut etiam maioris ſit momenti, quàm robur ipſum & vis armorum atque copiarum. Hac enim ratione bellum non modo defendi, verum etiam aliò, ac in ipſum quoque hoſtem deriuari poteſt, quod ad regni ſalutem in primis pertinet. Nimis enim multa ſunt pericula, quum in noſtris finibus & agris bellum geritur. quòd ſi verò bellum ipſe inferas, & hoſtem inuadas, nihil earum rerũ tibi ſit metuendum. Animaduertit hoc Scipio Africanus, qui Carthaginem deleuit, & auctor fuit Romanis, tunc vehementer adflictis ab Hannibale, vt in Africam profecti, Carthaginenſibus bellum facerent. qua quidem re factum eſt, vt omni depulſo ab Italia periculo, Romanum imperium, vires ac dignitatẽ priſtinam recuperaret, illa verò populi Romani æmula ciuitas funditus euerteretur. Hoc ipſum deinde Hannibal, Antiocho regi, ad quem profugerat, bellum gerenti cum Romanis, ſuaſit, & prudenter quidẽ: ſed ille quum non obtemperaret, in maximas incidit calamitates. Atqui nihil eſt opus antiquitate ad ea demõſtranda, quandò no-

dò noſtri temporis exempla ſatis declarant verũ eſſe quod dicimus. Putant nonnulli, ſi bellum ſuſtineatur in finibus regni per annos decem, multò id eſſe tolerabilius & minus perniciosum reipublicæ, quàm ſi foris & apud exteros vno tantum anno geratur, idque ſic exiſtimant propter pecuniȩ magnitudinem, quæ profunditur & è Galliis exportatur: ſed eorum eſt iam pridem exploſa & repudiata ſententia. Sic enim omnes propè ſtatuunt, decem annorum bellum, adminiſtratum à nobis in Italia, multò minus reipublicæ nocere, quàm ſi per vnum dumtaxat annum in finibus geratur. Non nego equidem, vnius arcis aut opidi poſſeſſionem adquiſitam in finibus, modo vt fieri poſſit abſque grauiori motu, magis eſſe commodam & opportunam reipublicæ, quàm ſi foris & longè à finibus multa ſimus adepti. verum ea de re poſtea ſum dicturus. Qui igitur & auctoritatem ad vicinos retinere, & illis volet vti pacatis, ordinem rebus omnibus adhibeat, & ſit in omnem euentum atque caſum, ſiue repentinum, ſiue deliberatum, inſtructus atque paratus, & amicitias conſeruet, & rationes ineat, quibus aut bellum aliò transferat, aut is qui vim inferre cogitat, tardetur & impediatur. Et quamquam Gallia præ ceteris regionibus facilè

poteſt inferentibus bellum reſiſtere, partim propter omnium ordinum obſequentiam & affectum erga regem, partim propter colligendæ pecuniæ facultatem, partim etiam propter ampliſſimum & perpetuum equitatum: tamen ex vſu & dignitate reipub. ſit futurum, ſi mari quoque plurimum poſſemus, quandoquidem & ad Oceanum & ad mediterraneum mare Gallia pertinet. Sic enim fieret, vt non modo ciuitates ac populi maritimi, valdè locupletes atque copioſi, regis imperio ſubiecti, ſed vicini quoque omnes, metu periculi, in fide & amicitia permanerent: mercatores etiam multò liberius atq; tutius commearent, & maximas reipublicæ commoditates adferrent, & orto bello, nauigatione hoſtes facilè poſſent propter noſtræ claſſis magnitudinem, prohiberi, & omnibus in locis, quo noſtris nauibus pateret aditus, militũ præſidia diſponere, & ſumptum facere cogerentur, noſtramque oram maritimam minimè auderent diuexare. Nam vna ſolum claſſis benè munita rebus neceſſariis, propter commoditatem nauigationis, vſui & auxilio eſſe poteſt multis regionibus, longo ſeparatis interuallo, quod terreſtris exercitus minimè poteſt. Etenim noſtra ætate quomodo Veneti ac Genuenſes creuerint, ſuoſque fines dilatarint

latarint ſcientia & vſu rei maritimæ, nihil attinet commemorare, & hiſtoriæ pleræque teſtantur, eos qui mari plurimum poſſent, celeritate & magnitudine rerum geſtarum præſtitiſſe aliis, qui in continente ſolum alerent exercitus. Exemplo ſunt Athenienſes, Carthaginenſes, Romani, qui tunc demum, vbi mare ſibi patefeciſſent, vehementer ſuum auxerunt imperium, longiſſiméque ſunt progreſſi. Cn. Pompeius in primis, qui ſexaginta dierum ſpatio, totum illud mare à prædonibus liberauit, & ciuitatibus omnibus atque ſociis populi Romani tutam præſtitit nauigationem, quum ante id tempus, in ipſo propè conſpectu vrbis Romæ, piratæ graſſarentur, nec quiſquam, niſi illorum beneficio atq; permiſſu, auſus eſſet mari ſeſe committere. Terra certè nihil eiuſmodi fieri potuiſſet, niſi plurimis exercitibus & longiſſimo tempore. quò magis videre licet, quanti ſint momenti nauigationes illæ. Nam ii, quos diximus prædones, etſi humilis erant condicionis atque fortunæ: tamen freti ſua ſcientia, non ſocios tantum populi Romani, ſed & ipſam vrbem Romam in eas redegerant anguſtias atque difficultates, vt niſi Pompeii virtus atq; felicitas interueniſſet, tēpeſtas illa vix ægrè propulſari potuiſſet. Non me quidem latet, maximos

ad eam rem ſumptus requiri,& fore,vt populi fiat diſpendio,propter nouas exactiones: verumtamen, ſi quod bellum maritimum incidat,neceſſe erit vt ita fiat. hæc enim ætas atque memoria docere nos poſſunt, quanto ſit factum reipublicæ noſtræ periculo & incommodo, quòd idoneam ad reſiſtēdum claſſem nullam haberemus. Quòd ſi belli non ſit vlla ſuſpicio, fateor aut nullum, aut non maiorem ſumptum iis locis faciendū eſſe, quàm populus commodè ferre poſſit.ac profectò,quemadmodum equitatus ille perpetuus eſt non ſolum ornamento &præſidio toti regno,ſed hoſtibus etiam terrori: ad eundem quoque modum ſi claſſem haberemus inſtructam ſemper & amplam pro magnitudine & facultatibus noſtris,tutam atque pacatam vndique ſimus habituri Galliam, & ad ſummam peruenturi potentiam breui tempore.Nam &ad regis facultates maxima fieret acceſſio,& priuatim ad vniuerſum populum ingentes redirent commoditates, mercaturæ ſtudio,quod plerique, depulſo non ſolum periculo, ſed metu etiam periculi,ſectarentur. Iam verò,quoties aliquid de tumultu & incurſione repentina nunciatur ab oris maritimis, magna trepidatione concurſatur, & nonniſi maximo ſumptu vix tandem reſiſtitur. Hoc

autem

autem incommodum, parata claſſe, facile poſſet vitari. Aut enim ab iniuria & maleficio abſtinerent omnes, aut ſi quid conarentur, minimo negotio poſſent, antequã nocerent, profligari. quod ſi etiam plures coniuratione facta nos laceſſerent, ex iis ſinguli à nobis correpti & exagitati, non poſſint auxilio alii aliis adeſſe. Quare ſic ſtatuo, etſi initio quidem populo videtur futurus eſſe grauis hic apparatus: tamen ſi commoda ſpectemus & emolumenta, non debere quemquam eius ſumptus pœnitere. Sed interim hæc eſſet adhibenda cautio, vt maritimę ciuitates & illi, ad quos maxima pars commoditatum atque quæſtus reditura ſit, maiores etiã ſumptus partem ſuſtineant, & amplius contribuant, quàm qui mediterranea loca incolunt. ſumptus autem pro magnitudine belli & temporum condicione erunt moderandi. Quòd ſi etiam præter publicam claſſem, ſingulæ priuatim ciuitates maritimæ naues haberent inſtructas, valdè ſit profuturum in commune. patefactis enim omnibus viis, & ſublatis periculis, multi exemplo & lucri magnitudine prouocati, naues ad exercendam mercaturam cõſtruerent, quarum deinde ſit futurus etiam vſus ad bellum. Diligenter hoc & ſtudiosè quibuſdam à populis fieri videmus. Et vt ne nimi-

um res differatur, optimum fuerit, ſi rex communicato cõſilio cum hominibus earum rerum peritis, rationem ineat quàmprimum inſtituendi operis. Quantum ad me pertinet, neque vllam in eo ſcientiam mihi arrogare poſſum, neque etiam eſt inſtituti mei, vt prolixius de eo loquar, & ſunt alii complures, qui rectè in medium conſulere poſſunt. Vnum ſolummodo dicam, quod & vſitatum eſſe video vicinis circum populis, & à rege multo poſſit commodius, quàm ab illis, fieri. Hoc autem eſt eiuſmodi, vt rex nullum genus annonæ vel mercium exportari nauibus permittat. Eſt enim copioſa & rebus omnibus abundans Gallia, ſic vt aliorum commerciis multò facilius, quàm illi noſtris, carere poſſit. Quod etiam illi nobis denegant, quanam ratione poſtulent hoc ſibi à nobis concedi? niſi forte pactionibus aliter ſit conſtitutum. quamquam ſanè & hoc emẽdari poſſit. Gallia enim multas habet agendi facultates, quibus aliæ regiones ſunt deſtitutæ, ac ſatis eſt mihi vel leuem aliquam eius rei mentionem intuliſſe, vt qui ſunt peritiores, occaſionem habeant diligentius de eo cogitandi. Nam ſi animum ſemel rex adiiciat, multos eſt habiturus conſilii & inſtituti ſui adiutores. Reliquum eſt, vt exponam, quemadmodum extra Galliæ fines bel-

nes bello ſint adquirendæ prouinciæ & conſeruandæ.quidquid enim hactenus dictum eſt,ad regni ſolum adminiſtrationem pertinet. Quia verò tempus nonnumquã incidit, vt rex aliqua graui de cauſſa bellum ſuſcipiat longè à finibus, & quoniam non hoc ſolum tempore, ſed paullò etiam ſuprà hanc memoriam,id genus bella,maximis iacturis facultatum & multorũ præſtantium virorum, à nobis ferè adminiſtrantur, deinde, quoniam occupatas ſæpè regiones, facili momento rurſus amiſimus, non abſque ludibrio & ignominia: res ipſa poſtulat, vt demonſtretur, quid à nobis peccatum, & quid deinceps cauendum ſit atque agendum, ſi forte vel amiſſa recuperare cogitamus, vel etiam noua comparare. Atque vt ſuprà fecimus, generatim de his rebus omnibus loquar, nec vllius honorem aut exiſtimationẽ lædam. In primis ergo diu multumq; rex deliberet,an graues atq; veras habeat ſuſcipiendi belli cauſſas, & ſuorum audiat de eo ſentẽtias. Niſi enim legitima ſubſit cauſſa, non eſt quòd ſperemus,Deum iuſtitię vindicem,adfuturũ eſſe noſtris conatibus.qui etiamſi fortaſſe felicem ſucceſſum atq; victoriã concedat,& eos,quibus bellum infertur,pro ſcelere ipſorum vlciſcatur,& finibus omnibus atque poſſeſſionibus eiici

permittat: tamen illos, qui iniuſtam vim adferunt, & aliorum facultates occupant, nõ dimittit impunitos vel in hac mortali, vel in illa ſempiterna vita. Poſtquam verò de cauſſa belli conſtiterit, proximum eſt vt deliberetur, quomodo ſit agendum, an aliquid impediat, an abſque magno diſpendio fieri poſſit, an verò plus in eo ſit metuendum periculi, quàm ſperandum emolumenti. Maioris enim aliquando detrimenti vitandi cauſſa neceſſe eſt tentare fortunam, præſertim, ſi quid iſtud ad rem conferre videbitur. Verum vbi nulla cogit neceſſitas, & quando voluntarium eſt bellum, & ſolum commodum atque lucrum eſt propoſitum, nihil temerè tentandum eſt: niſi probabile ſit, perfici poſſe quod inſtituimus. Nullum enim bellum geri poteſt, in quo non ſit periclitanda fortuna: quumque res in eum caſum incidit, longè præſtat differre, quàm feſtinare nimium atque celeriter procurrere. Quum autem non commodum, ſed honos agitur & exiſtimatio, cuius facienda ſit iactura, ſi nimium res differatur: tum certè, quemadmodum reliquas iniurias perſequimur & vim à nobis depellere ſolemus, minimè cunctandum eſt. honoris enim atque famæ multò grauius eſt, quàm opum atque bonorum, diſpendium. Idem faciendum

eſſe

eſſe puto, quum periculum eſt, ne mora dilatioque belli magno aliquo damno rempublicā adficiat, quum videlicet metui oportet, ne quis alius eam regionem, quam nobis adiungere cogitamus, præoccupet, ex eaque plurimum deinde nobis incommodet. Hæc autem omnia conſiſtunt in actione, neque tàm doctrina, quàm vſu & experientia opus eſt; vt ſcilicet rex cognoſcat, quid à ſuis, quid ab amicis exſpectare debeat, quo ſint ingenio, quibus facultatibus atque viribus hoſtes eorumque ſocii; item quanti ſint faciendi ſumptus, quomodo corrogandæ pecuniæ, quæ ſit eius regionis, quam debellare inſtituit, natura, quæ loca, qui aditus, & id genus alia multa, quæ rei bellicæ periti homines intelligunt. Caueat autem, ne temere fidem habeat vel cauſſis parum firmis, vel hominibus aliquo perturbatis affectu & imperitis: item, ne quid ſuæ priuatim cupiditati atque deſiderio tribuat, ſed omnia potius metuat, & plena difficultatis atque periculi ſibi fingat & perſuadeat ipſe. quumque iis rebus ad concilium delatis, ex vſu reipublicæ viſum fuerit, vt ad actionem veniatur, conſiderandum eſt, an regio, cui bellum facere decreuit, defendi poſſit, item an idonea ſit & opulẽta ſatis, vt ſe ipſa ſuis vectigalibus atq; copiis tueatur. Nam

ſi conſtat eam defendi non poſſe atque retineri, valdè ſit ineptum & inconſultum, ſubire diſpendium rei familiaris & temporis & exiſtimationis. Videndum eſt igitur, an impedimentum illud antè, quàm ad arma deſcẽditur, vel etiã belli tempore poſſit auferri: quod ſi tolli non poteſt, deſiſtendum eſt negotio, & cogitandum de aliis, vnde plus emolumenti atque gloriæ ſperare liceat. Sic quoque faciendum eſt, quũ aut belli ſumptus, aut ipſa loci defenſio videbit excedere fructus annuos atque commoda, quæ quocumque modo percipi poſſint. Nam & hac de cauſſa Romani ſæpè repudiarunt prouincias, quæ in fidẽ ipſorum vltrò ſeſe permitterent. Dixi autẽ de commodis non ſimpliciter, ſed quæ quoquo modo prouenire poſſint. Fieri enim poteſt, vt ſumptus maiores ſint fructibus, & tamen regionis natura ſituſque tanti ſint momenti, vel ad reliquam regni partẽ tuendam, vel commeatus aditusque cauſſa, vt impenſæ rationem habere non oporteat. Deinde quum alicuius regionis occupatio vel defenſio magnis iacturis cõſtitit, ſpes autem eſt, breui pòſt tẽpore ſumptus poſſe minui, fructus autem amplificari, non eſt anxiè de eo, quod impẽditur, cogitandum. Huc enim ſi quis reſpiciat, nihil vmquam adquiſiturus ſit bello, propterea

quòd

quòd initio fructus plerumq; non reſpondent ſumptuum magnitudini. Breuiter, etiamſi quod inſtituimus, facile factu videtur: tamen non præſens modo tempus, verum etiam futurum, neque tàm quid vtile, quàm quid ſit honeſtum, conſiderandum eſt, ac omninò faciendum, vt ſolent ii, qui agrum aut prædium ſibi comparant, aut præfecturam aliquam atque ſacerdotium ambiunt. Hi enim non ſolum magnos ſuſcipiunt labores, verum etiam, an quod cupiunt, ſint impetraturi, & vbi impetrauerint, an ſine lite & cōtrouerſia poſſint eo frui, in dubio verſantur. Poſtquam ergò re omni diſceptata, placuit ſuſcipiendum eſſe bellum, non eſt amplius differendū, ſed rebus neceſſariis procuratis, ad actionē illicò veniēdum eſt. Nam interiecta mora, ſpatium & tempus datur hoſtibus communiendi ſe & conciliandi amicos, & quod arcanum eſſe oportuit, effertur in vulgus, & relangueſcunt animi, & augetur ſumptus, & rei bene gerendæ occaſio amittitur, neque rarò fit, vt quod inſtitutum eſt, prorſus concidat. Neque tamen tumultuosè aut inconſideratè agendum eſt, verum vbi ad quemlibet caſum inſtructa erunt atque parata omnia, tota mente & animo incumbendum eſt actioni, & vtendum hominibus peritis atque induſtriis, in eoſque diſtribuendæ ſunt præfecturæ ac reliqua

munera, ſic vt alter alterum non impediat, & deligendus imperator, eique tribuenda poteſtas & auctoritas, vt ſuprà diximus. Quòd ſi rex non intereſt ipſe adminiſtrationi belli, quoſdam è ſuis deliget, iiſque negotium dabit: vt poſtpoſitis omnibus occupationibus, in eã ſolum rẽ ſtudium & operam omnẽ ponant, quumque aut reſpondendum erit, aut agendum aliquid maioris momenti, coniunget ſe illis, & rem vnà cognoſcet, vt promptè & idoneè ſingula gerantur: quod in bello maximè requiritur. Ineundę ſunt autem quęcumq; rationes, vt hoſti quàmplurimum noceatur nec vllum ſubſidii genus reiiciendum eſt, vt te communias, illum autem infirmiorem redigas. Neque verò ſumptui parcendum eſt, & quò celerius rem conficias, duplicandæ ſunt potius impenſæ. Nam vt de periculis & variis incommodis, quæ ſolent euenire, quum interponitur mora, nihil dicam, multò ſunt etiam faciendi maiores ſumptus. Galli autem in primis operam dabunt, vt confeſtim expediant quod propoſitum habent. eſt enim ipſis innata quædam alacritas & ardor, qui paullatim relangueſcit & propè extinguitur. Quum igitur pecuniis & donis & pollicitationibus aut id genus aliis artibus cõfici res poteſt, eo eſt vtendum adminiculo.

neque

neque differendum, donec vi conſequaris quod optas. Et quamquam homines earum rerum periti, quid in eo ſit agendum, ſatis intelligunt: tamen quoniam hac memoria ſæpius in eo grauiterque peccatum eſt, magno cum reipublicæ detrimento, putaui aliquid de eo mihi dicendum eſſe. Nunc deinceps, quomodo ſint tuendæ ac conſeruandæ prouinciæ, bello adquiſitæ, explicandum eſt. Quamuis autem ex vſu & tractatione rerum præteritarum, & ex monumentis librorum atq; hiſtoriarum, quas diximus, facilè cognoſci poteſt, quid ſequi oporteat: tamen ſecutus morem meum, quod mihi videtur ad præſentem ætatem congruere, & quid in eo ſæpè noſtri homines peccauerint, amiſſis, quas bello viciſſent, regionibus, breuiter exponam. Vt igitur parta conſeruemus, duabus in rebus poſitum eſt, in armis atque legibus. Et armis quidem opus eſt, initiò, neque diſcedendum eſt ab iis, etiamſi populus magnam præſtet obſequentiam, eóque vtendum eſt præſidio, donec pacata erunt omnia, & in eum caſum res deducta videbitur, nulla vt ſit deinceps metuenda rebellio. Conſtituta deinde republica bonis legibus & adminiſtratione iuris, dimittendus eſt exercitus, vitandi ſumptus & recreandæ regionis cauſſa. Verùm inte-

rim, quõad de populi voluntate compertum ſit,& pacati omnes circum vicini,pręſidio ſunt relinquendæ nonnullæ copiæ, partim, ſi qua noua res oblata ſit, vt reſiſti poſſit,partim,vt præfecti omnes in officio contineantur. In ipſa verò iuriſdictione, magna quadam opus eſt diligentia & ſeueritate, quoniam munus hoc eſt perpetuum, ab eoque reliqui omnes ordines dependent. Quæ verò ſuprà diximus de conſeruando regno,deque diſciplina militari, huc etiam pertinent, ideóq; non repetam, ſed vt prouinciam nuper adiunctam tuæ ditioni tuearis, in eo plus eſt difficultatis, quàm vt vetus patrimoniũ ac hereditatem conſerues. Primum igitur conſideranda ſunt omnia pericula & caſus, quibus amitti poſſit,quod nuper adquiſitũ eſt, & prouidẽdum in tempore,quomodo iis occurri debeat, & inter alia conſiderandum eſt, an qui ſuis finibus expulſus eſt,aut ipſe adhuc ſuperſit, aut aliquem ſuæ ſtirpis atque familiæ ſuperſtitem reliquerit, qui litem atque turbam excitare poſſit: an deuictæ regionis populus vniuerſus eam familiam amet,an verò pars aliqua populi,& quota: deinde, an vicini circũ principes atq; populi ſint amici, nec ne,an verò neutri parti ſtudeant,an regio ſit natura&opere munita,an

ta, an frumentaria & copioſa, ceteriſq; rebus ad defenſionẽ neceſſariis abundãs: poſtremo, an finitima ſit & mittendis auxiliis opportuna, an verò longè à tuis finibus remota. His omnibus animaduerſis, ſi ad eius tuitionem videtur nihil opus eſſe magna cuſtodia, deducendi ſunt milites, & quàm minimũ ibi relinqui debet præſidiorum, partim minuendi ſumptus cauſſa, & ne populus nimium grauetur, vt antea diximus, partim vt ne qua vis atque turba moueatur. Milites enim natura ſunt contentioſi, & vitam hac ratione tolerant, ideóque perfacile ſit, vt vicinis cauſſam aliquam offenſionis præbeant, vnde poſtea ſit oriturum graue aliquod bellum. deinde, etiamſi liberaliter cum ipſis agatur, vix tamen ab iniuriis & maleficio ſibi temperant, & multa proteruè ac libidinosè faciunt. breuiter, ita ſeſe comparant, vt niſi ſumma in neceſſitate, nemo ſocietatem eorum expetat. Sin autem aliqua ſubeſt cauſſa, quamobrẽ ſit opus magno præſidio, certus eſt adhibendus modus atque cautio. Nam ſi frequens eſt eius regionis populus, & exercitatus in armis, aut ſi vicini ſunt potentes ac inimico in nos animo, collocandi ſunt in pręſidiis homines externi. quę ſanè res maximos ſumptus requirit, ac multas adducit incommoditates. Ex his enim, qui rem fa-

miliarem auxerunt, & militiæ facti ſunt diuites, cupiunt ſemper hoc ipſum, quod adepti ſunt, aſportare domum: qui verò ſunt tenuioris fortunæ, quando legibus ac inſtitutis, quod in primis eſt neceſſe, viuere ipſos oportet, quia ſtipendium non ſatis eſt ipſis ad victum, ſtationem ferè deſerunt, & ſi fortè pudore adducti manſerint, tamen honeſtè diſcedendi occaſionem circumſpiciunt, & totius regionis iacturam atque defectionem leuiter ferunt. Populus etiam, quum inuitos illos apud ſe commorari, & moleſtię plus adferre quàm emolumenti animaduertit, non ſolum ab illis liberari cupit, verumetiam aduerſariis operam ſuam, vt illi profligentur, præſtat. & quamquam hoc ipſo maiorem aliquando ſeruitutem ſibi comparant, tamẽ excæcati odio vix tandẽ agnoſcunt. Eſt igitur ſummæ res difficultatis, eiuſmodi prouincias ab hoſtibus defendere, quumque præuideri poteſt ea difficultas, neque ſpes apparet vlla tuendæ regionis abſque perpetuo præſidio, conſultius foret non ſuſcipere bellum, ſed paciſci potius cum aduerſario vel occupatæ prouinciæ dominũ aliquem præficere, qui tibi ſit propter acceptum beneficium deuinctus. quod Alexandrum Magnum, populumque Romanum multis in locis feciſſe conſtat. Quòd ſi ve-

ſi verò patrimonii & regni tui ſalutis cauſſa neceſſe eſt regionem illam habere in tua poteſtate, faciendus eſt quantumlibet magnus ſumptus, & ineūdæ rationes, vt quidquid eſt impedimenti, quantum fieri poteſt, tollatur. Ex iis autem primum eſt, vt ex militibus plerique & potiores incipiant amare prouinciam, quod fiet, ſi vel poſſeſſiones illis dentur, quas vendere non liceat, aut vxores. quod Gulielmum Normanniæ Ducē, occupata Britannia, feciſſe legimus, magna parte facultatum & agrorum in ſuos diſtributa: quo factum eſt, vt hi ipſi magno ſtudio & alacritate regionē illam tuerentur. Idem à Romanis atque Græcis factum eſſe conſtat, qui deuictis prouinciis, in ea ferè parte, quæ omnium maximè videbatur oportuna & fructuoſa, exædificabant vrbes, eóque transferebant ſuæ gentis atque originis homines, eiſque domos & agros attribuebant, quos colerent. Hi conſuetudine ipſa & conuictu morem eius regionis omnem condiſcebant, & benignè ſeſe erga vicinos gerebant, ſic interim animo parati, vt quæcumque fortuna incideret, eorum à quibus erant miſſi, dignitatem atque ſalutem defenderent. Idem erat ſtudium atq; voluntas aliorum, qui cohabitandi cauſſa ſeſe ipſis adiunxiſſent, propterea quòd eodem iure, iiſdem vtebantur legibus, & eundem ſeſe popu-

lum eſſe cum illis iudicabant. Alii quidam, quum de populi nuper deuicti voluntate erga ſe deſperarent, migrare illos atque ſedes aliò transferre cogebant, & aut ſuæ linguæ & ditionis homines, aut etiam exteros aliunde aſcitos ibi collocabant, quod & Alexander Magnus, ac ipſius deinde ſucceſſores multis in locis fecerunt. ſed non modo inhumanum eſt iſtud, verum factu quoque difficile: alterum autem multò eſt commodius. Quia verò parum ſit futurum in eis præſidii ad ſuſtinendam vim vllam maiorem, præmiis ac pollicitationibus inuitandi ſunt ad virtutem atque conſtantiam: interim tamen in eos, qui vel non impetrata dimiſſione diſcedunt, vel alios ad diſcedendũ ſollicitant, grauiter eſt animaduertendum. Et hæc quidem de militibus, qui præſidio relinquuntur. Ad incolas verò quantum pertinet, iis perſuadendum eſt, vt impoſitum onus æquè ferant, & deſiderium ſuum leniant emolumentis: ad ipſorum pertinere ſalutem ea militum præſidia, ne videlicet ab inimicis diripiantur: vbi fidem ſuam atque beneuolentiam ſemel approbarint, fore vt liberentur. Ipſius autem præfecti ſiue legati comitas & manſuetudo plurimũ eò conferet, ſi & amorem illis præſtet, & ipſorum iniurias minimè ſe neglecturum eſſe demonſtret,

neque

neque paſſurum, vt aut ipſis aut ipſorum liberis & vxoribus & facultatibus vlla vis inferatur. Quòd ſi rex etiam ipſe per aliquod tempus iis in locis moraretur, ſuamque beneuolentiam hominibus declararet atque teſtatam faceret, non dubium eſt, quin vehementer commoueret, ad ſuique amorem inflammaret. Apud veteres mos erat, vt iis populis, quos bello viciſſent, obſides imperarent, pro cuiuſq; ciuitatis magnitudine, quò reliquos in fide & amicitia continerent. Hac etiam ratione nobis vti, & honeſtam aliquã cauſſam inuenire liceat, cur ita fiat, linguę ſcil. perdiſcendæ cauſſa, vel ſimile aliquid. Atque his remediis vtendũ eſt, quum illi aut rebellaturi videntur, aut bello ſunt inutiles. verum ſi ſpes vlla ſit, permanſuros in fide, ſtipendiis excitandi ſunt, meo quidẽ iudicio, & attribuendi reliquis copiis, vt noſtrum militiæ genus condiſcant, noſtriſq; moribus paullatim aſſueſcant, & gentem noſtram adamare incipiant. qui ſunt etiam ex ipſis primi ordinis & maioris dignitatis, amplificandi ſunt pręfecturis. Nec enim ii ſolum, quibus datur ſtipendium, ſed ipſorum quoque neceſſarii & amici, hac ratione conciliantur, & alii in ſpem veniunt eadem conſequendi, & quia fidem ſibi haberi intelligunt, valde adficiuntur. huc acce-

dit, quòd minori & ſtipendio & detrimento aliorum, vitam tolerare poſſunt, quàm exteri. atq; vt initio non ſint noſtris virtute & exercitatione conferendi, paullatim tamen maiorem vſum armorum ſibi comparant, nobiles præſertim, & quicumque ſunt honeſtiori loco nati. Hanc rationem ſecuti ſunt Romani, Græci, & quicumque alii rebus geſtis claruerunt. Neque enim video, quemadmodum prouincia vlla, vbi præſidiis opus eſt, diu conſeruari poſſit, niſi incolas etiam traducamus ad noſtras partes, eorumque vtamur opera. Vidit hoc Turcarum Cæſar, eius, qui nunc præeſt, auus, ideóque deuicta Græcia multiſque aliis locis captis, quum animaduerteret non ſe poſſe illa tueri ſuis copiis, noſtræ religionis hominum liberos delegit in iis ipſis, quas expugnauerat, prouinciis, eiſque ad ſuam militiam aſſuefactis, vtebatur. Hi ſunt, quos vulgò *Ianizaros* appellant. ſed crudele eſt hoc inſtitutum & immane, & futurum aliquando pernicioſum atque exitiale Turcico imperio. Ianizari enim milites, pertæſi tandem dominatum illum tyrannicum & inhumanum, excitata rebellione, ſummam imperii inter ſe partientur olim, idque eò magis, quòd nullas habent poſſeſſiones, & ſtipendiis tantummodo vitam tolerant. Illa igitur, quam

ſuprà

ſuprà dixi, ratio, multò eſt & humanior & ad diuturnitatem vtilior. Alterum eſt, vt quæ loca videbuntur poſſe defendi, præſertim quæ poſita ſunt in finibus, muniantur rebus omnibus neceſſariis, vt vel totũ annum obſidionem ſuſtinere poſſint: in eóq; magna eſt adhibenda diligentia, & ſi quid negligenter adminiſtratum erit, in eum, cuius culpa factum eſt, ſeuere vindicandum. Eiuſmodi locis præficiendi ſunt egregii duces, & imponendi milites, quantum ſatis videbitur, exercitati quidem illi, & ad omnia ferenda parati, qui deditionem minimè faciant, quamdiu ſubſidii ſpes vlla erit reliqua, & qui condicionem nullam ab hoſte recipiant, niſi extrema inopia & neceſſitate adducti. Quaproptèr externo milite vtendum eſt; qui nullas habeant iis locis facultates aut agros. hi enim fraudi atque corruptelæ minus ſunt expoſiti. Ipſum verò ducem oportet magna præditum eſſe virtute, quem milites obſeruent & reuereantur, quem peritiæ rei militaris nihil lateat. Sunt enim qui excellant, quum prœlio dimicandum eſt, qui tamen ad tolerandum obſidionem & procurandum ea quæ ſunt in anguſtiis neceſſaria, minimè ſint idonei. Sed præter eam, de qua ſæpè iam diximus, experientiam, requiritur etiam in duce prudentia, vt iis,

quæ ad quamque occaſionem incidere ſolent, mederi poſſit, vt militibus animum addat, eoſque ab omni factione atque turba prohibeat, vt annonam atque cibaria rectè & idoneè diſtribuat, & id genus alia procuret. Liberaliter autem habendi ſunt duces, ne vel inopia coacti, vel per iracundiam, turpiter aliquid faciant, & prouidendum eſt, ne ſint cupidi & auari. nam id genus homines, etiam vt fortaſſe non turpem aliquam deditionem faciant, pecuniis corrupti, quod in primis eſt metuendum: tamen quia ſunt ad rem familiarem intenti, ſumptus neceſſarios ſæpè prætermittunt, & minus accepti ſunt militibus; & amplificandi ſui cauſſa, foris & ad hoſtem multa faciunt, quæ periculo non carent. Nihil igitur his, præter loci defenſionem, committi oportet, neque concedendum eſt, vt in ciuili adminiſtratione aliquid ſibi ſumant, immò conſultiſſimum erit, vt & ipſi & milites, niſi graui de cauſſa, non prodeant longius, & minimè ſint familiares opidanis, nec in ſuas munitiones quemquam admittant, niſi quantum opus erit ad vſum quotidianum. Congreſſus enim illi & colloquia magnis ſæpè incommodis occaſionem præbent. Et hæc quidem hactenus dicta ſint, quomodo vi & armis conſeruanda ſint quæ bello cepimus: nunc au-

tem

tem de legibus atque iure quędam nobis dicenda reſtant. Hæc enim diſciplina in eiuſmodi prouinciis multò magis, quàm in priſcis atque auitis poſſeſſionibus eſt neceſſaria, tametſi diuerſum ferè fieri videmus. Et quamquam ex iis, quæ ſuprà commemorauimus, ſatis intelligi poteſt, quomodo ſit adminiſtranda iuriſdictio, quomodo aſſuefaciendi ad diſciplinam milites, quomodo de commeatu ceteriſque rebus prouidendũ, & exercenda mercatura, & minuendæ controuerſię: tamen ſpeciatim & diſtinctè quædam mihi ſunt explicanda. Generale præceptũ eſt, quódque latiſſimè patet, vt multitudinis & populi commoditatibus inſeruiatur, quantum quidem abſque regis & occupatę prouinciæ detrimento fieri poſſit. Primò igitur, quum ius redditur, nihil eſt tribuendum perſonis, ſed ęquabiliter omnibus illud eſt communicandũ, ad eamq; rem conſtituendi ſunt homines idonei. Hoc enim & ad placandũ Deum, & ad conciliandam multitudinis beneuolentiam pertinet, eorum etiã, qui priuatim ſibi aliquid tribui, & ab æquitate deflecti volunt. Nam hi quũ non impetrant, quod cupiebant, errorem ſuum agnoſcunt, & iudicem propter integritatem magni faciunt. Alterum eſt, vt in iis rebus, quæ nihil aut parum ad prin-

cipem ſpectant, populo concedatur viuere ſuo more, præſertim initiò, neque cogantur aſſuetum vitæ genus mutare: immò conſultum erit, vt exteri, qui cum ipſis viuunt, eorum ſeſe moribus vitæq; modo accommodent, quantum poſſint, niſi fortè illi ſua ſponte noſtris inſtitutis ſeſe tradant. Hanc rationem ſecutus Alexander Magnus, ſummopere ſibi conciliauit atque deuinxit animos eorum, quos bello viciſſet. Quùm enim ipſorum ingeniis atque naturæ conuenienter ſeſe gereret, hoc effecit, vt illi quàm plurimum ſibi ab eo tribui, & magnopere ſe diligi iudicarent. Verumtamen ſi temporis condicio feret, ſenſim reuocandi ſunt, comitate quadam ad noſtrum viuendi morem, vt ſuæ conſuetudinis obliti, æquabiliter nobiſcum viuant, quod Romanos feciſſe conſtat. Quòd ſi regi ipſi non ſit integrum diutius apud eos commorari, præ ſe feret tamen ſitum atque naturam regionis valdè ſibi placere, & quam diu per occupationes atque negotia ſibi liceat, libenter ibi permanſurum eſſe, & pro ipſorum ſalute, nulli ſe labori, nullis impenſis atque periculis velle parcere. ſed interim iis locis aliquem præficiet, cui propter virtutem plurimum poſſe tribui confidit. Hic autem prouinciæ præfectus, vt ſit liberalis & ſum-

& ſumptum faciat, vtque ſibi familiares habeat lectiſſimos viros, oportet, qui tam pacis, quàm belli rationes intelligāt, & conſilio iuuare poſſint. Huic etiam vt ampla tribuatur auctoritas à rege neceſſe eſt, vt obſequentem & officioſum habeat populum, & in rebus non magnis indulgere poſſit atq; condonare iis qui deliquerint. quum enim eiuſmodi eſt facinus, quod ad Rempub. pertinet, regis arbitrio reſeruandum eſt, vt ſuprà quoque diximus. Conſtituendi ſunt autem viri prudentes atque boni, legumque periti & conſuetudinis patriæ, qui ius dicant. Et quoniam exteri nō tā facilè regionis morem & inſtituta percipiunt, res ipſa poſtulat, vt ex incolis eligantur, qui probitatis atque doctrinæ laudem inprimis habent. His omnibus præficiendus eſt aliquis externus, qui ſit magnę virtutis, qui reliquos in officio contineat, nec vllius hominis cauſſa, vel periculi metū, ab æquitate deflectat. Hunc & rex ipſe & regionis præfectus fauore & ope ſubleuabunt, nec vllo modo iuriſdictionem impedient, & quum opus erit, auctoritatem quoque ſuam interponent. Hac enim ratione conciliatur hominum voluntas: quod ſi verò negligenter atque remiſsè agitur; aut ſi iudices præfectique ſuis priuatim com-

modis plus, quàm reip. ſtudent, magnus oritur populi non fremitus modo, ſed & contemptus. Tertium eſt, vt rex ceteriq; præfecti, honore & omni humanitatis genere adficiant eius regionis incolas, eos præſertim, in quibus aliquid eſt dignitatis atque conſilii, & quorum operam ſpẽtant vtilẽ ipſis fore. In hos aut in ipſorum liberos, propinquos & amicos diſtribuendæ ſunt pleræque tam Eccleſiaſticæ, quàm ciuiles præfecturæ, ad quas idoneus quiſque videbitur. Quæ verò ſunt maioris momenti, quæque ad reip. ſalutem ac dignitatem in primis pertinent, eas nõ niſi probatiſſimis viris, qui populo ſint accepti, tribui oportet. Si qui ſunt etiã præſtantes in ea prouincia, ac bene de repub. meriti homines idonei ac populares, iis rectè committentur maiora quædam munera, vel etiam ſumma rei, quamdiu ipſorum operæ atq; fidei nos non pœnitebit. Natura enim ſic comparatũ eſt, vt ei, qui ſit eiuſdem originis atq; linguæ, qui eiſdẽ aſſueuerit legibus atque inſtitutis, multò libentius omnes, quàm externis, obtemperent. verum incidit aliquando tempus, vt ſecus faciẽdum ſit. Sunt enim quibuſdam in populis factiones, eoq; fit, vt vtriq; malint externi alicuius dominatum ferre, quàm alterius partis legitimo ſubeſſe imperio.

petio. Quum igitur in eum caſum res deuenit, præficiendus eſt aliquis externus, iis, quas antea commemoraui, præditus virtutibus, aut ad eas quàm proximè accedens. deinde, operam rex dabit, vt offenſionem omnem tollat, & vtramque factionem ſibi conciliet, ſi quidem fieri poteſt: ſin autem, prouidebit, ne illorum odia prorumpant, neve reip. noceant. Neutris verò ſeſe dabit, ſed in quibus maiorem fidem atque virtutem perſpexerit, eos magni faciet, & hoc quidem, quum ab vtriſque amari ſe intellexerit. Verum ſi certis indiciis cognoſcat, non eſſe ipſorum eandem erga ſe voluntatem, tum eos, qui animo ſunt beneuolo, modis omnibus amplificabit, ſic tamen vt ne cui faciat iniuriam. Amplificandi autem & ornandi hæ ſunt rationes; vt præfecturas & honores & emolumenta in ipſos conferat, & agris atque poſſeſſionibus augeat, pro cuiuſq; merito, & quanti ipſos præ ceteris faciat, non obſcurè declaret. Qua tamen in re hæc eſt adhibenda moderatio, vt nihil affectu ivel ſtudio priuato, ſed meritis atque officiis omnia tribuere videatur. nam ſi qui ſunt alterius factionis non mali, iis conſimilem quoque beneuolentiam præſtabit, vt reliquos ad ſe pelliciat. In ceteris autem rebus omnibus parui momenti, præſertim in iuris admini-

ſtratione,ſeruabit æquabilitatem: quibus autem in rebus plurimum eſt honoris atque commodi,in iis pręferet quos maximè ſibi fideles arbitratur. Eam enim factionem,cuius explorata ſit fides,& à qua certum ſubſidium exſpectatur, in amicitia continere, alteram verò quæ ſit inimica,humilem,atque infirmam redigere,ne poſſit nocere, multò pręſtat, quàm illam deſerere,debilemque efficere,hanc verò, quam adiungere tibi non poſſis, quæque alieno ſit animo,pati ſuperiorem exiſtere: Nam ſi vtrique cauſam habeant offenſionis, futurum ſit aliquando,vt reconciliati coniurationem aliquam faciant. Opus igitur hîc eſt non mediocri dexteritate, & quod ſuprà quoque diximus, neutris adhærendum eſt, niſi quantum reipubl.ſalus requirit.Conſiderandum eſt etiam,an quæ nobis aduerſatur factio, plus quàm altera poſſit,an verò minus Nam ſi eſt infirmior, aut iis, quas expoſui rationibus; ad officium & ęquitatem facile adducetur, aut ſi recuſet, non magnam nocendi facultatem habebit. Verum ſi opibus & potentia ſuperat, neque benignitate adiungi poteſt,tum certè altera factio ſic eſt cohoneſtanda beneficiis, vt & hi, cur in officio permaneant, & illi, cur ad tuas accedant partes,cauſſam habeant, atque interim

terim tamen ita ſunt attandi, licèt diſſimulanter, vt minimùm nocere poſſint, & obſeruandi ſtudioſè, quid agant, quid moliantur, quibuſcum ſua conſilia communicent, præſertim quando tempus metu atque ſuſpicione non carebit: ac ſi quid animaduerſione dignum admiſerint, ſeuerè ſunt vindicandi. Quod ſi etiam probari factum non ſatis idoneè poſſit, interim tamen graues intercedant ſuſpiciones, licet illos vel relegare aliquò, vel iubere ſatisfacere atque cauere, datis fideiuſſoribus, & occupatis ipſorum, ſi quas habent munitionibus: verũ ita, ne quo adficiantur damno, ſi nihil in eis reſidebit culpę.

Atque hæc ferè ſunt, quæ in adminiſtratione reipub. noſtrę conſideranda mihi videntur. quæ quidem præcepta ſi rex imitabitur atque ſequetur, non dubium eſt, quin ſuorum maiorum gloriam ſit obſcuraturus, ac ſperare licet, eò rem deduci poſſe, vt quas prouincias nobis eripuerunt religionis hoſtes, hæ beneficio Dei recuperentur.

Summa doctrinæ Platonis

De

REPVBLICA

&

LEGIBVS,

congeſta per

IOHANNEM SLEIDANVM.

Digitized by Google

MAGNIFICO ET SPECTABILI VIRO, D. GVILhelmo Pageto, Sereniſſimi Regis Angliæ conſiliario, Equiti, & primario regiæ domus Oeconomo, Iohannes Sleidanus S. D.

QVanta ſit vis ingenii & lumen illud naturæ, diuinitus accenſum in animis hominum, & quouſq; ratio progredi poſſit, vir ampliſſime, manifeſtum nobis fecit Deus, quum in aliis nonnullis, tum in Platone potiſſimum. qui Dei quidem cognitionem non habuit, quæ nobis miniſterio ſpiritus atq; verbi eſt demonſtrata; ſed tamen doctrina & ratiocinatione ad ſummũ faſtigium & ad metam peruenit, quam humana mens nulla poſſit excedere. Quis enim ante ipſum aut ſenſit præclarius, aut plura ſcriptis prodidit de illo rerum omnium fabricatore Deo, & animæ immortalitate? quis autem ſanctiora dedit inſtituendæ vitæ præcepta, quum priuatim, tum publicè, ſi paucula quædam mutentur? quis de ſuppliciis malorum & præmiis bonorum, poſt hoc vitæ curriculum, ma-

iori grauitate ſcripſit: plane relucet ingenium ex oratione, ac videtur magno quodam affectu & deſiderio, beatiorem ſedem, ab hac ærumnoſa vita, exſpectaſſe. Quod quum ita ſit, nos certè maximas immortali Deo gratias agere debemus, qui diſiectis tenebris & diſſipata caligine, quæ præſtantiſſimorũ hominum mentes obtexerat, Solem ipſum vt intueamur, nobis eſt largitus: ita quidem, vt licèt Platonis & aliorum acumen videatur admirandum) tamen, quantum ipſis ad veram atque perfectam cognitionem defuerit, facile perſpicere poſſimus. Magnus eſt campus, & multa hic copioſe dici poſſent de noſtra felicitate, quibus tantum beneficium Deus impertiuit: ſed habenda eſt mihi ratio tui, ad quem iſta ſcribo, qui multo rectius hæc atque plenius, quam ego, cognoſcis. Iam verò, quamquam Chriſti Philoſophia nobis ad omnem vitæ rationem prælucere debet, tamen quæ ſunt etiam apud Ethnicos, morum atque ciuilis vitæ præcepta, minimè ſunt aſpernanda, cuiuſmodi ſunt Platonis De republica & legibus, libri. quos in opuſculum iſtud contraxi, & quæ potiſſima ſunt in iis, ac rebus gerẽdis accommodata dogmata, breuiter annotaui. Tibi autem, Magnifice Domine, dicandam eſſe hanc qualemcunque operam putaui, tamquam munus quoddam ordini ac conditioni

ditioni tuæ aptiſſimum. Propter eruditionem enim ac ſingularem virtutem, Henricus Angliæ rex, octauus, optimum de te iudicium fecit, & quamdiu vixit, inter paucos valde habuit familiarem: moriturus etiam, vt inſignem locum apud filium regem obtineres, reique publicæ partem non minimam adminiſtrares, diligenter cauit. Vt igitur ſcriptum hoc boni conſulas, tibique proprium eſſe putes, ac velut teſtimonium quoddam accipias meæ erga te obſeruātiæ, quam humanitati beneuolentiæque tuæ debeo, magnopere oro. Vale. Argentorati, menſe Iunio, Anno Domini MDXLVIII.

SVMMA DOCTRINÆ PLATONIS DE REPVBLICA & Legibus.

I. LIBRO primo Socrates cum aliis nonnullis amicè ac familiariter confabulatur de ſenectute, & per occaſionem ſermonis incidit quæſtio, quidnam ſit illud, quod Iuſtum appellatur. Pleriq; ſic definiebãt, vt dicerent Iuſtitiam eſſe virtutem quę ſuum cuique reddat. Eam definitionem impugnat Socrates, & ait ad iuſtitiam pertinere, depoſitũ reddere: ſed tamen furioſo minimè reddẽdũ eſſe quod depoſuit. nõ eſſe igitur idoneam ſatis atq; firmã hãc definitionem. Erat qui diceret, *Iuſtitiam eſſe, quæ benefaceret amicis, male autem inimicis.* Hoc ipſum quoque Socrates refellit, & more ſuo per minutas interrogatiunculas colligit atque demonſtrat, eſſe pręter officium viri iuſti nocere cuiquam. Tertia fuit ſententia Thraſymachi, Iuſtum eſſe nihil aliud, quam quod homini præpotenti, & qui magiſtratum obtineat, ſit vtile. Socrates autem hoc euertit, ac multis in medium adductis argumentis oſten-

oſtendit, virum bonum, qui ſit cum magiſtratu, non ſuam priuatam ſed communem eorum, quib. præſit, vtilitatem ſpectare. Quumq; Thraſymachus incaluiſſet ac ſuę opinionis confirmandæ cauſſa diceret, Iniuſtitiam eſſe firmiorem Iuſtitia, & hominem iniuſtum ex rebus omnibus percipere plus emolumẽti quàm iuſtum: Socrates ne hoc quidem concedit, & exponit quemadmodum qui iniuſtè agunt, conſiſtere non poſſint, ac neceſſario tandem *corruant. Confutata Thraſymachi ſententia, Glauco & Adimantus fratres multa differunt pro Iniuſtitia; & ille quidem ait omnes homines naturâ eò propendére, vt iniuſtè agant: & per occaſionem recitat fabulam de Gyge paſtore Lydio, cuius & Cicero meminit in libris Officiorum. Adimantus verò Iuſtitiam ab omnibus laudari dicit propter honores atque præmia, quæ tamen vberius multò conſequatur is, qui Iuſtitiæ ſolum opinionem habeat, re autem ipſa ſit verſutus atq; callidus. Hæc autem ideò diſputantur ab eis, vt Socratem ad ampliorem Iuſtitiæ defenſionem excitent. quod ille quidem diligenter facit, ac tandem oſtendit, quomodo conſtituatur ciuitas, & quàm variis in ea ſit opus artificibus, quorum alii ſint neceſſarii, alii verò ad

voluptatem comparati, creſcente ciuium luxu atque mollitie. qua quidem ex re dicit oriri bella, quando ſcilicet aucta multitudine fines noſtros dilatare volumus, vt ne quid ad omnem luxuriam nobis deſit. facta deinde quadam digreſſione, explicat quomodo ſint inſtituendi, qui Rempubl. aliquando procurabunt, in Gymnaſtica nimirum & Muſica. Libro
III. tertio vtrumque declarat, & adoleſcentum inſtitutionem eò referendam eſſe dicit, vt de Deo bene ſentiant, eumque bonorum, non etiam malorum auctorem eſſe putent. Ex Poetis igitur aliiſque fabulis ea ſolum eſſe proponenda iuuentuti, quæ ipſos reddant audaces, & ad ſubeundum vitæ diſcrimen intrepidos, quo quidem in loco multa recitat ex Homero, aliiſque Poetis, à quorum lectione vult abſtineri adoleſcentes, ne teneris annis vllam deprauatam ſententiam imbibant. Muſicam dicit conferre animis ad virtutem formãdis, Gymnaſticen verò corporis valetudini, quam vt conſequamur, ad continentiam atque ſobrietatem hortatur. Noſtris enim moribus atque luxu fieri, quòd animaduerſoribus & medicis carere non poſſumus, & ſignum eſſe male conſtitutæ Reipublicæ, quæ tàm multis opus habeat curatoribus. Vtrumque verò ſtudii genus pariter

pariter exercendum eſſe præcipit. nam eos qui Gymnaſticę tantum ſtudeant, euadere ferociores ac induere mores agreſtes: qui verò ſolam ſectentur Muſicen, remolleſcere ac quodammodo effeminari. Iucundo deinde figmento demonſtrat, alios eſſe natos ad imperandum, alios ad auxiliandum, alios ad agriculturam & artificia; eoſque omneis diſtinguit per aurum, argentum, æs atque ferrum, & non rarò fieri dicit, vt ex aureo patre naſcatur ferreus, & nonnumquam è ferreo procreetur aureus. Diligentem itaque curam in eo adhibendam, & accommodandos eſſe liberos quam ad rem maximè videntur eſſe à Deo & à natura formati. Præfectos etiam Reipublicæ iubet ex ærario communi tolerare vitam, nihilque poſſidere proprium, vt ne, dum rei familiaris amplificationi ſtudent, ciuitatis negligant ſalutem. Eo qui ſequitur IV. libro reſpondet Adimanto, qui hæc impugnauerat, & oſtendit mediocrem fortunam omnium eſſe optimam, & inopiam non minus quàm copiam atque opulentiam habere ſua incommoda: ex illa enim naſci maleficium & illiberalitatem, ex hac autem delicias & deſidiam & ſeditiones & rerum nouandarum ſtudium. In primis verò curandum eſſe dicit, ne ciuium mo-

tes deprauentur: eius autem rei ſummum ac præcipuum momentum eſſe poſitum in educatione. Poſtea deſcendit ad definitionem Iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis ac temperantiæ, & collatione facta, quis prudens, iuſtus, fortis atque temperans haberi debeat, item, quæ ciuitas ab his virtutibus laudanda ſit, demonſtrat. Poſtremo, fundamentum Reipub. dicit eſſe, vt quiſque naturam ſequatur ducem, & quã ad rem natus eſſe videtur, in ea plurimũ vt elaboret, neque naturæ repugnet.

V. Poſt hęc admonitus à Glaucone, quod ſuperiori libro dixerat de communione rerum, explicat, & ait feminas, etſi natura ſint imbecilliores, tamen eſſe non ineptas ad ea diſcẽda & peragẽda, quæ viri diſcũt & faciũt, ad Muſicã videlicet, ad Gymnaſticen, ad rem militarem. Et quo ciuitati ſẽper ſuppetant viri ac mulieres egregii, cenſet ex omni numero deligendos eſſe optimos iuuenes ac ſpecioſiſſimas feminas; qui liberis dent operam: ſed eam commixtionem debere per magiſtratum indici, ac ſubtili quadam ratione per ſortes ità diſponi, vt robuſtiſſimi cum optimis, deteriores verò cum ſui ſimilibus conueniant.: fortibus autem vtendum eſſe, vitandæ cauſa offenſionis. Maſculos iubet liberorum procreationi ſtudere ab anno tri-

tricesimo vſq; ad quinquagesimum quintum, puellas autem ab anno vicesimo vſq; ad quadragesimum, ſimul modeſtiæ ac verecundiæ maximam eſſe rationem habendam dicit, & qui cum quibus rem habere poſſint, exponit. Liberos autem ad hũc modum procreatos, publico ſumptu nutriendos eſſe in ciuitatis parte ſeparata: qui verò nati ſint ex deterioribus, non eſſe vnà cum reliquis educandos, & cuiq; ſuũ vult ignotum eſſe parentem, & matribus quoq; filios, promiſcuè autem ab omnib. vſurpari nomen patris, matris, filii atq; filiæ, pro ætatis cuiusq; ratione. Sic enim fore, vt maximus oriatur amor atq; cõſenſus inter ciues, quando quidem quod vni alicui accidit, omnes ad ſe pertinere putabũt, ſicut in corpore humano ſi quod mẽbrum malè ſit affectum, cetera dolorem hunc ad ſe propriè pertinere putãt, operamq; dant vt illi ſubueniant. Ciuitatem verò melius conſtitui non poſſe, quàm vt talis perpetuò ſit inter ciues conſenſus. Vtendum etiam ipſis inter ſe familiaribus & amicis appellationibus, & qui Reipublicæ præſunt, non principes, verum auxiliatores ac ſeruatores à ciuibus nominandos eſſe, ciues autem ab illis præbitores atque nutricios. Vult enim quod & ſuprà

dictum eſt, Reipub. præfectos nihil habere proprium, ſed ali ex publico, ne cupiditate & auaritia adducti, ciuitatem perturbent & exhauriant. Multas præterea refert commoditates, quæ ex iſta rerum communione proueniunt, in primis autem, quòd controuerſiæ, cuiusmodi ſolent oriri plurimæ de agris, poſſeſſionib. liberis, propinquis, nullæ prorſus exiſtũt, nec etiam vis vlla, quando pudor & metus in officio ſingulos continent. Monet etiam, vt viri vnà ſecum ad bellum educant mulieres atque adoleſcentes, quò ſint ſpectatores ipſorum virtutis, & à puerilibus annis ad militiæ laborem ſeſe darent. Poſthæc addit quædam præcepta, ad rem militarem atque diſciplinam pertinentia, de non deſerendo ordine, de non abiiciendis armis, de fortiter pugnando, neque dedendo ſe hoſti viuum, de cohoneſtandis iis, qui fortiter in hoſtem pugnando ceciderunt. Sed belli genus diſtinguit. Aliter enim eſſe dimicandum aduerſus exteros, aliter aduerſus Græcos: & adeò quidem clemens vult eſſe Græcorum inter ipſos bellum, vt ne bellum quidem appellari debeat, ſed ſeditio; atque ita gerendum ipſis eſſe bellum, quaſi non multò pòſt futuri ſint amici. Græcos enim omneis neceſſitudine quadam contineri &

inter

inter ſe deuinctos eſſe: verum exteros atque barbaros natura eſſe hoſtes. Itaque nato diſſidio, vel ea, quam diximus, ſeditione, abſtinendum eſſe à depopulationibus agrorum, ab incendiis & aliis id genus immanibus factis. Interpellatus deinde Socrates, difficillimum eſſe, talẽ conſtituere rempublicam, reſpondet, vt maximè fieri non poſſit, tamen præclarã fore ciuitatem, quæ ad eam formam, quã ipſe deſcribat, proximè acceſſerit, nec vlli Reipubl. bene ſperandum eſſe, quam non regant Philoſophi. ſimul, qui ſit Philoſophus, definit, & ait eum eſſe veritatis cupidum, & amare ſcientiam, qua notior ei fiat ea natura, quę ſemper eſt, atq; permanet, neq; generatione vel corruptione mutatur. Libro ſexto Philoſophi naturam prolixè deſcribit, qui corporis oblectamenta contemnat, animi tantum voluptates quærat, qui ſit temperans & moderatus in rebus omnibus, ac minimè auarus, deniq;, qui veritatis diligentiſſimus ſit inueſtigator. Huic ergò Remp. poſſe rectiſſimè committi. Sed Adimãtus obiicit, Philoſophiæ deditos conſeneſcere in eo ſtudio, & inutiles euadere ad Remp. gubernandã. Ei reſpondet Socrates, & fatetur verum quidem eſſe, ipſos autem Philoſophos non eſſe reprehendendos, ſed VI.

illos potius, qui Philoſophis non vtantur. Minimè enim illos eſſe gloriæ cupidos, nec facere aliquid ad oſtentationem, ideoq; latere ac prope contemni. Cur etiam in philoſophiæ ſtudio nonnulli nequiores euadant, oſtendit, & vitioſam educationem in cauſſa eſſe dicit, vbi ſimul & ſtatum ſui temporis & mores corruptiſſimos perſtringit, & niſi diuino quis beneficio conſeruetur, vix poſſe fieri, vt in iis moribus & temporum confuſione laudem probitatis retineat. Opes etiam & ea quæ vulgo bona putantur, impedimentũ adferre philoſophię ſtudioſo, quem liberum eſſe oporteat ab omnibus aliis occupationibus, & natura duce perſeuerare in his ſtudiis, neque ſermonibus hominum ab inſtituto reuocari. Tandem cõcludit, vt antea quoque, niſi aut Philoſophi ciuitatibus pręſint, aut qui pręſunt, Philoſophiæ dent operam, non fore beatam Remp. Poſt hęc diſputat de eo, quod appellatur Bonum, neque tamen definit. tantum hoc dicit, Solem eſſe filium ſummi illius boni, rerum omnium auctoris.

VII. Libro ſeptimo ſimilitudinem adducit de ſpecu ſubterraneo, in quem modicũ lucis illabitur, euius inhabitatores nullã eſſe putent beatiorem vitam, è quo ſi quis in apertam lucem eductus ſit, ægerrimè

rimè poſſit intueri ſolem: vbi verò paullatim aſſueuerit, admodũ deploret eorum miſeriam, qui in ſubterraneis illis locis vitam degunt. Eam verò ſimilitudinẽ accõmodat ad animũ, qui eruditione excultus, ea ſolũ cogitat & meditatur quæ longè ſunt ſupra res humanas, corruptioni obnoxias. Exponit deinde, quæ potiſſimũ artes neceſſariæ ſint volentibus ad perfectionem hanc peruenire. Ponit autem Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, & poſtremo, Dialecticen, quam valdè magnis extollit laudibus, eamque finem eſſe dicit ac veluti ſummam reliquarum artium, ideoque nonniſi poſtremo loco tradendam eſſe iuuenibus iam natu grandioribus. Diligenter autem præcipit, vt adoleſcentes liberaliter, & non coacti, ſed veluti per ludum inſtituantur, quòd liberum ingenium non deceat artem aliquam more ſeruili condiſcere. In Dialecticis autem reprehendit morem illum captiosè atque ſophiſticè diſputãdi. Quare non omneis indifferẽter huc recipiendos ait, ſed viros tantũ graues ac moderatos, qui veritati ſtudeãt, non autẽ id agant, vt captiosè omnia ſubuertant. Qui.n.eo ſint ingenio præditi, h.e. qui verſutè ac inſidiosè diſputent, fluctuare animis, nec vllam tenere certam ſententiam. Et

quemadmodum adoleſcentes, ita quoque puellas inſtitui iubet atque formari, eas
VIII. nimirũ, quæ ſint his rebus idoneæ. Libro octauo recenſet formas reipub. & præſtãtiſſimam quidem eſſe dicit Optimatũ gubernationem, ſed hanc facile degenerare in Ambitioſã, ex eaque deinde naſci paucorum potentiam, quam dicit eſſe plurimis malis plenam rempublicam, ex iſta deinde adminiſtrationem popularem ſeu multitudinis, ex eaque demum Tyrannidem, quartum ciuitatis & extremũ morbum. Poſt hæc interpellatus Socrates à Glaucone, qui diceret eiuſmodi Remp. qualem antea deſcripſerit, non facilè poſſe in ſuo ſtatu perturbari, reſpondet id quidem eſſe verum, ſed quoniam omne quod genitum eſt, corruptioni ſit obnoxium, ideo quoque talem Reipub. conſtitutionem non poſſe perpetuam eſſe. Turbari autem reſpublicas & commoueri per ſeditionem, cuius originem eſſe dicit ex diſſimilitudine morum & ingeniorum. Liberos enim plerumque degenerare, quod parentes aptum atque legitimum procreandi tempus non obſeruent. Itaque fieri, vt ex aureo patre naſcatur ænea vel ferrea proles, atque hanc eſſe cauſſam, cur ciuitatum conditio ſemper euadat deterior. Ambitioſam gubernationem

tionem vocat eam, quæ eſt media inter optimates ac paucorum potentiam, & vbicumque ea naſcitur, ait illam, quæ fuit antea, rerum communionem diſſipari, & vnumquemque id operam dare, vt ſtatim & quàm plurimum diteſcat. Ex eo deinde ſequi Oligarchiam, in qua magiſtratus & munera publica, pro magnitudine cenſus & opum diſtribuantur, excluſis omnibus, qui ſunt re tenuiori: eiuſmodi autem Remp. nec bonam eſſe poſſe nec diuturnam. Quemadmodum enim ſi naui præficiatur aliquis locupletior, imperitus tamen, vectores in magno ſint futuri periculo: ſic etiam non poſſe non infeliciter adminiſtrari ciuitatem, in qua non virtuti, ſed opibus ſit ad honores patefacta via. Sic enim fieri, vt dum pauci quidam ſtudent quocumq; modo fieri quam locupletiſſimi, complures alii redigantur ad inopiam. Inter eos autem, qui ſunt re minus lauta, eſſe complures, qui furtis, latroniciis, ſacrilegiis, & id genus aliis flagitiis dent operam: hos tandem indigne ferre ſuam fortunam, & quoniam multitudine ac numero vincunt, Oligarchis illis aut necatis aut in exilium eiectis, Rempub. inter ſe partiri, atq; hunc eſſe popularem ſtatum, in quo ſumma ſit ac prope nimia libertas, propter ſcelerum impunitatem, eoq; nomine reprehendit

Athenas.Et ſicut in Oligarchia præcipuũ bonũ eſſe creditur,diuitiarum copia,ſic in Democratia libertatẽ ab omnib. flagitari. eius verò ſtatus exitũ eſſe dicit, tyrannidẽ. Populus.n.inquit,vt iis qui nimia freti libertate,ſuis planè ſeruiunt commodis reſiſtat, ex omni multitudine ſibi aliquẽ deligit,eumq; facultatib.amplificat. Is deinde lupi naturã induit,& principio quidem excogitata calumnia, tollit è medio quos timet,ac quò tutior ſit,corporis ſui ſatellites à populo requirit ac impetrat, fit blandus & manſuetudinem ſimulat ad tẽpus, multis aliquando bene facit,vt gratiam ſibi conciliet,ſed & operam dat,vt excitatis bellis,ipſius opera maximè ſit neceſſaria, quibus in bellis eos interim obiicit hoſti, quos videt liberali prędito ingenio,quoſque ſuũ imperiũ detrectaturos putat.Diligenter.n.prouidere ipſum oportet,ne quẽ bonũ & prudentẽ virũ, à cuius virtute ſibi metuere poſſit, reliquũ faciat;planè diſſimilis à medicorũ inſtituto,qui quod vitioſum eſt in corpore,ſolũmodo tollũt.niſi.n. ita ſe cõparet,nõ poſſit dominari. Sed & ſtipatorũ atq; ſatellitũ ſuorũ auxilio, ciuibus eripit omnia tela, qui nimium ſerò fortunam ſuam tandem deplorant & intelligunt, quam virulentam beſtiam educatint in ſinu,quam nõ temere poſſint,cũ volunt excutere.

Nono libro demonſtrat, tyrannum eſſe IX.
omniũ hominũ longè miſerrimũ, & quò
diutius in tyrannide viuat, eò fieri deteriorem, & agitari perpetuò variis multisq;
timoribus & cupiditatib. ac veluti carcere clauſum cõtinere ſe domi intra muros:
itaq; verè ſeruũ eſſe & expertẽ omnis humanitatis ac beneuolẽtiæ: quod ſi etiã ipſius flagitia laterent deos & homines, tamen eſſe miſerrimum. Pòſt ingreditur
in locum Philoſophicum & communem
oſtendens, neminem frui ſincera voluptate, niſi virum prudentem & temperãtem: eos verò qui corporis voluptatem
ſequantur, omnium eſſe miſerrimos, & illam qua frui videntur, voluptatem, eſſe
fluxam & vmbratilem: Tyrannum etiam,
qui legum ſeueritatem & vincula fugit,
qui rationem minimè ſequitur ducẽ, eſſe
remotũ & alienum ab omni voluptate honeſta: virum aũt prudentẽ cogitare in primis quemadmodũ optimis reb. animum
exornet, nec vllum ſuſcipiat honorem aut
vitæ genus, quod animum deprauare, & à
conſtantia remouere poſſit. Ridens deinde ſubiungit, nullam extare eiuſmodi
ciuitatem, qualem ipſe deſcribat, & hoc ſe
ſpectare tantũ, qualis eſſe debeat. Suprà X.
libro tertio, vbi de Muſica loquitur, quam
diuidit in Orationem, Harmoniã, & Rhy-

thmum, Poetarum quoq; mentionem facit, & oſtẽdit quæ potiſſimũ loca ſint ex iis proponẽda iuuẽtuti: neq; enim promiſcuè illis omnia eſſe tradenda. Eandem ſententiam repetit libro decimo, propter eos, qui Homerum & quoſdam alios Poetas Tragicos ita commendabant, vt ad ipſorũ præſcripta, quum priuatim, tum publicè vitam inſtituendam eſſe dicerent. Hoc aũt refellit, & ait hymnos, quibus vel deorum vel hominum laudes celebrant, admittendos, reliqua verò omnia, quib. varios hominũ adfectus depingunt, adeò nihil conferre ad ciuitatis inſtitutionem, vt et à bonorum virorũ animos deprauare poſſint, atq; hoc locis aliquot ex Homero deſumptis oſtendit. Homerum quoque dicit, nec Rempubl. vllam bonis legibus formaſſe, vt Lycurgus fecit, neque beneficium aliquod in vllam ciuitatem contuliſſe, neque conſilio bellum vllum gubernaſſe, neq; poſteris reliquiſſe præclara morum & officiorum, quæ omni vitæ conueniant, præcepta, ſicut Thales Mileſius & alii quidam, neq; fuiſſe alicuius diſciplinæ vitæq; ducem, vt Pythagoras fuit. His igitur de cauſſis cõcludit, Poetas tantũ eſſe imaginũ virtutis imitatores, ad ipſius aũt veritatis intimam perfectãq; cognitionẽ minimè penetrare. Modeſtè tamẽ hunc locũ

tractat,

tractat,ſibiq; petit ignoſci,quod ſententiã ſuam diſſimulare nõ poſſit:eſſe quidẽ Philoſophis quoddã vetus odiũ ac ſimultatẽ cũ Poetis,verũ eo nihil cõmoueri ſe, neq; tribuere aliquid affectui, & inde à puero vereri ſe cumprimis & amare optimũ auctorẽ Homerũ: hoc ẽt profiteri, poëſim eſſe voluptatis & recreationis non inhoneſtę miniſtrã,& hũc illius eſſe poſſe,verũ vt in Remp.recipiatur,& in reb. grauibus auctoritatẽ obtineat,minimè cõmittendũ eſſe. Poſt hæc ingreditur diſputationem de animæ immortalitate,cui poſt hanc vitam propoſita ſint æterna vel præmia vel tormenta, pro cuiuſq; bene vel male factis,vbi & fabulam inſerit de quodam Ero Pamphylio,qui reſuſcitatus à morte,commemorabat hominibus, qualis eſſet animarum ſtatus atque condicio poſt hanc vitam, & quemadmodum ſint adfectæ.

Libro primo De legib. conueniunt Athenienſis, Cretenſis & Lacedæmonius, qui de patriis legibus inter ſe diiputant:& Athenienſis quidem rogat ex Cretenſi, cur conuiuia publica,gymnaſia & armorũ tractatio ſit apud eos inſtituta. Eius rei explicata ratione,alter dicit,in ferendis legibus & in omni gubernatione ſpectandum eſſe in primis ad ea,quæ vocãtur bona diuina,Prudentiam,Iuſtitiam, Fortitudinẽ, L

Temperantiam: deinde verò ad inferiora bona Sanitatem, formam, vires, Diuitias. Paulatim deinde accedit ad rem ipſam, & tam Cretenſium quàm Lacedæmoniorum leges ponderat. Nam edicto cautum erat, ne quis iuuenis in leges inquireret, ipſis autem ſenibus licebat remotis adoleſcentibus, de legum auctoritate ſermonem conferre ac diſceptare. quum igitur ſoli conueniſſent hi ſenes, oblatam quęſtionem tractant. Et de compotationibus quidē initio loquitur Athenienſis, deque aliis voluptatibus, & Cretenſium morem grauiter reprehendit, qui Iouem, rapto Ganymede, mali cuiuſdam exempli ferebant auctorem ipſis extitiſſe. Hic verò Lacedæmonius abrumpit ſermonem, ſuæque ciuitatis morem laudat, quæ neque temulentiam nec aliquid pręterea admittat, quod voluptatis irritamentum eſſe poſſit, immô grauiſſimè puniat ebrietatem. Tum Athenienſis, rectum quidem hunc eſſe morem ait, ſed tamen in eiuſmodi collocutionibus non itá ſubitò vel laudandum vel vituperandum eſſe aliquid, & prius inſpiciendū, quid qua ratione ſit inſtitutum. Et quamuis ebrietatem ipſe vituperet, eò quòd rebus gerendis inepta ſit, quod omnis generis adfectus vehementiſſimè inflammet,

met,

met, quòd memoriam & intelligendi vim omnem extinguat, tamen ſi quis ciuium ſuorum mores atque naturam, leui & minime noxio experimento cognoſcere velit, nihil ad eam rem eſſe conuenientius, quàm compotationes atque vinum. Pòſt inſerit valde illuſtrem ſententiam, & ait eos qui in aliqua re ſint præ ceteris futuri excellentes, oportere à teneris annis, ad eam rem, veluti per ludum, aſſueſcere & exerceri. Quod eò pertinet, vt demonſtret, diſciplina homines vel probos effici vel vitioſos, vt quæ maximam vim atque momentum in omnem vitam adferat. Vini autem hanc dicit eſſe vim atque naturam, vt qui bibit, primo fiat alacrior, deinde, quò plus hauſerit, eò ſit ampliore ſpe, tantoque de ſe preclarius ipſe ſentiat, & tandē cōfidenter ac animoſe quiduis & dicat & faciat. Libro ſecundo multam denuo mentionē facit Muſices, quam ad II. componendos & formandos animi motus omnino vult referri. Poſtea ſubiungit, adoleſcentibus abſtinendum eſſe à vino, ad annum vſque XVIII. nec igni addendum eſſe ignem, quoad incipiant perferre ac ſubire laborem. Ab ea demum ætate, valdè moderatè vtendum eſſe vino, vſque ad annum 30. & magno ſtudio cauendū ab ebrietate: Poſt annum vero 40.

copioſius bibendum eſſe, in honorem diuorum, inprimis autem Bacchi, qui vinum ſit largitus hominibus, tamquam remedium, quo ſenectutis moleſtiæ omnes abſtergi poſſint, vt & reuiuiſcere quodammodo videamur, & grauiores cogitationes à nobis depellamus, & vt animus vino tamquam igni, calefactus & exhilaratus, flexibilior fiat, ſicut ferrum videmus in igni molleſcere. Compotantibus autem iuuenibus oportere quendam adeſſe, veluti cuſtodem, qui mores illorum & ingenia, ſobrius ipſe, contempletur & obſeruet, & quum indecorè vel impudenter aliquid fiet, corrigat, tunc, quum bibendo animi facti ſunt molliores & obſequentiores. Breuiter, ita lubet vti vino, vt verecundiæ ſemper meminerimus, & vt corporis vires atque ſanitas augeſcant. Quod ſi ad eum modum compotetur, nihil eſſe vitii: vt autem omnes promiſcuè conueniant, remotis arbitris, morumque magiſtris, minimè concedendum eſſe, ac tunc potius laudādum eſſe Carthaginenſium morem, ne quis videlicet in caſtris vinum bibat. Rectè facturos etiam magiſtratus, quando reipublicæ vacabunt, ſi à vino ſibi temperent: item coniuges, cum liberis daturi ſunt operam. Poſtremò redit ad illud, quod ſuperiori libro dixerat,

Bacchi

Bacchi patris munus non ita ſimpliciter vituperandum eſſe, quaſi procul è ciuitatibus eliminandum ſit. Lacedæmonius enim reprehenderat hunc compotandi morem,& alteri temulentiam obiecerat, in ipſorum republica receptam. Poſthæc III. inquirit & expendit, cur ciuitates nõnullæ, ex paruis initiis & humili loco factæ ſint potentes,aliæ verò,poſtquã aliquamdiu floruerunt, redactæ ſint ad tenuitatem & inopiam. Repetit autẽ paulò altius,nimirum ab eo tempore, quo maxima pars orbis terrarum ingenti illo diluuio vaſtata fuit. Tum ait inter eos,qui pauci admodum reliqui fuerunt ex ea calamitate, maximum fuiſſe amorem & ſummam beneuolentiam, propter ſolitudinem illam horrendam & paucitatem ipſorum, quando nec in magnis copiis nec inopia ſeditionis vllam haberent occaſionem. In quocumque enim hominum cœtu nec inopia nec diuitiæ ſint,ibi iuſtiſſimos mores vigere, quòd & iniuria & inuidentia procul abſint. Illos ergo tum homines, vt litterarum & artium nullam habuerunt cognitionem, & ſicut ab omni contentione fuerunt alieni,ſic quoq; fuiſſe cumprimis rectos & ſimplices & modeſtos, & primis aliquot temporibus habitaſſe diuerſos, & vnumquemque ſuæ familiæ,

vxor! & liberis imperaſſe, conſuetudinem ſuorum maiorum moreſque ſecutum: quum deinde paulatim excolerētur, plures vna conueniſſe, qui iunctis domiciliis, vt à ferarum iniuriis eſſent tutiores, ſepimentis aliiſque ſe rebus communierint: & quoniam è ſua quiſque domo atque familia, tamquam ex patria regione, leges & mores ſuos adferret, neceſſe omninò fuiſſe, vt certi quidam, diuerſis omnium legibus inſpectis & diiudicatis, quod optimum eſſet, eligerēt: eos tum fuiſſe legumlatores, qui coactæ alicui hominum multitudini leges dederint: tandem verò multos eiuſmodi cœtus & opida principem aliquem virum ſibi delegiſſe, à quo regerentur, aut etiam ex ipſis vnum aliquem populum fuiſſe reliquis præfectum, & inita inter ipſos fœdera, de tuenda libertate & propulſanda iniuria communi. & tale quidem fœdus ait fuiſſe inter Lacedæmonios, Argiuos & Meſſenios, Peloponneſi ciuitates. Ita quoque natura ferè comparatum eſſe dicit, vt ſenes adoleſcētibus, viri fortes ignobilibus & ignauis, parentes liberis, prudentes inſipientibus dominentur, ſed & illum principatum, qui ſorte contingit, numerat, eum verò principatum, quando viri prudentes rerum ſummæ præficiuntur, omnibus aliis

ante-

anteponit. Duas præterea gubernationum ciuilium veluti parentes eſſe dicit, Monarchiam & Democratiam: ex iis enim reliquas omneis manare. Et Monarchiam quidem ait apud Perſas viguiſſe, Democratiam autem apud Athenienſes. Ingreditur deinde locum pulcherrimum & planè hiſtoricum, de regibus Perſarum, Cyro, Cambyſe, Dario, Xerxe, & Cyrum quidem bonum fuiſſe ducem fatetur, ſed in eo valde peccaſſe, quòd filios molliter inter feminas educarit, qui grandiores facti, & ab aſſentatoribus corrupti, cũ ipſorum auribus pleriq; ſeruirent, mortuo patre, alter alterum interfecerint, Cambyſes etiã à puero vitiosè educatus, regnũ propè ſubuerterit. Poſt hunc regnaſſe Dariũ, populariter quidẽ & ſatis modeſtè, ſed in eo erraſſe nõ mediocriter, quòd & ipſe filium Xerxem molliter educarit, qui ſimilẽ habuerit, vt Cambyſes, vitæ exitum, ab eoque tempore nullum fuiſſe Perſarum regem magnum, niſi ſolo nomine. Quod ipſum non fortunæ quidem tribuendum ſit, ſed deprauato vitę generi, quod regum ac tyrannorum filii ferè complectantur, qui neque pueri, neque viri, neque ſenes ad bonam frugem peruenire poſſint, impediti plurimis vitiorum illecebris. Hæc autem eò dicit, vt demonſtret, Perſarum

regum imperium occidiſſe, quòd nimis magna ſeruitute populum conſtringerent, & Athenienſium rempublicam eſſe labefactatam, quòd populus nimis magna frueretur libertate. Nam in vtroque ſeruandum eſſe modum, eoque refert illud præclarum Heſiodi dictum, *Dimidium plus toto*, quo præcipit, moderatum eſſe præferendum immoderato, & tam in Monarchia quàm Democratia ſeruandã mediocritatem, eoque nomine taxat Meſſenam & Argiuos, qui nimia libertate laſciuiebant, minimè ſecuti veſtigia Lacedæmoniorum, quos magnopere laudat, quòd in ipſorum republica nobilium adminiſtratio eſſet temperata XXVIII. viris natu grandioribus, ac præterea ipſis Ephoris, qui luxuriantem principatum coercerent.
IV. Sub finem ſuperioris dialogi, Cretenſis dixerat, bonam Cretenſium partem velle coloniam deducere, eiusque rei curam eſſe demandatam Gnoſiis, & ſibi Gnoſio ciui cum aliis nonnullis datum eſſe negotium, vt ex omnibus Cretenſium legibus, neque ſolum ex iis, verumetiam ex peregrinis & exteris colligerent, quas iudicarent optimas, quibus noua colonia inſtitueretur. Hoc igitur eſt argumentum & occaſio eius colloquii, quod nunc inter ſe habent. Et primum quidem
Athe-

Athenienſis rogat Cretẽſem de variis rebus, an ea colonia ſit futura maritima, an portuoſa, an op:dum aliquod habeat vicinum, an regio ſit fertilis, an abundet materia fabricandis nauibus. Cumque ille dixiſſet eam aliquantò longius à mari abeſſe; nec admodum eſſe fructuoſam, ſed neque arbores ibi prouenire cõſtruendis nauibus aptas: alter reſpondet, bene rem habere, eamq; vrbem hoc ipſo eſſe aptiorem ad virtutem, quòd quibus vitiis ma‑ri‑mæ ac portuoſæ vrbes propter commercia multarumq; gẽtium aditus oportune ſunt, iis non facilè corrumpi poſſit & effœminari. Quòd etiam ædificandis nauibus nulla ſit ibi materies, hoc eò pertinere, vt ciues fortiſſimè dimicent cum hoſte, quando profugiendi nullam ſint habituri commoditatem. atque eo loco recitat, quantum Athenienſes à priſtina virtute degenerauerint, poſtquam cœperunt adornare claſſem, quod fuit poſt illatum ipſis bellum à Minoe. Reprehẽſum quoque dicit Agamemnonem ab Vlyſſe, quòd quo tempore Troiam acriter oppugnabãt Græci, claſſem ipſe pararit. Poſt hæc rogat, quænam ſit illa futura colluuio & turba colonorum, an omnes Cretenſes, an verò & alii Græci his permixti. Plurimum enim referre, an ſint vnius gentis

& moris & regionis homines, an ſponte migrent propter anguſtos fines, an verò ſeditione coorta, vel bello pulſi diſcedāt: ſed & hoc, an ex omnis generis hominib. conflati ſint: nam alios aliis facilius poſſe cohiberi legibus. Quærit etiam ex Megillo Spartano, quæ ſit forma reip. Lacedæmoniorū. Ille dubitanter reſpōdet, ac tandem conuenit, eſſe mixtā, & quantum ad Ephoros pertinet, tyrannicam. Idem dicit Cretenſis de Gnoſo, & ambigue reſpondet. Poſtea de Saturni temporibus loquitur, & explicat fabulam. Saturnum enim, quòd videret hominem in magiſtratu poſitū, præſertim regem aliquem aut monarcham, efferri nimium, neq; poſſe tenere modum, prefeciſſe ait ſuis ciuitatibus, nō homines, verum Dæmones, qui prudenter & continenter illas regerent. Nec enim hominibus voluiſſe præficere homines, verum præſtantius aliquod genus, quemadmodū videmus boues & capras, non ab eiuſdem generis animantibus regi, verum à nobiliori aliquo cuſtode, nimirū ab homine. Hoc autem eò dicit (fabulam enim eſſe fatetur) vt demonſtret, eos qui præeſſe debeant reip. oportere magnis virtutibus & eximiis dotibus eſſe præditos. Addit inſuper, leges debere condi, non pro ſalute vnius modo partis, verum totius reipubli-

publicæ corporis cauſſa, & eos qui ſecus faciant, nō eſſe ciues, verum homines ſeditioſos, ideoque magiſtratum appellat legum miniſtrum. Hæc locutus de legislatoris officio, ac veluti præfatus, oſtendit, quemadmodum legislator, nouam coloniam aut populum legibus formaturus, cohortari ipſos debeat ad virtutem, & diligenter eis inculcare pœnas malorum, præmia verò bonorum, etiam ab hac vita: item, qua ratione & ordine ſint venerandi diui, quis honor parentibus, quis amicis debeatur. Poſtremò, pulcherrime demonſtrat, oportere populum non minus perſuaſionibus quàm vi aut ſeueritate quadam ad leges obſeruandas excitari. Eius rei tale eſt exemplum. Mandat iuuenibus legislator, vt poſt annum ætatis triceſimum quintum vxores ducant, niſi faciant, multam conſtituit & ignominiam. Acerbum eſt illud atque durum: iam qui volet huic ſeueritati adhibere tamquam lene quoddam pharmacum, vtetur perſuaſione: commendabit matrimonium & ſtudium procreandi, tamquam rem maximè naturalē, quæ nobis quandā immortalitatem pariat, relictis poſt nos heredibus, qui noſtri tum imaginem, tum memoriam repræſentent. Hanc eſſe commodiſſimam rationem alliciendi populi ad a-

morem &obſeruationem legum: ſed eam dicit ab omnibus prope legiſlatoribus prętermitti, quod reprehendit, monens vt ſingulis legibus præponatur exordium aliquod, quo deuinciantur hominũ men-
V. tes: Antequam veniat ad ferendas leges, præfatur multa de Animo, quem dicit poſt Deos maximè colendum eſſe & honorandum; quod illius poſſeſſio ſit verè diuina: tunc autem verè coli & honorari, quum ex deteriori ſit melior, quum ratio prauis affectibus dominatur; quum nec voluptarii ſumus, nec auari, nec iniuſti, ſed modum in rebus omnibus tenemus. Exponit deinde; quantum corporis cultui & bonis fortunæ tribuendũ ſit, quemadmodum ſenes debeant vitæ morumq; innocentia præire & tanquam prælucere iuuenibus; quomodo ſint complectendi propinqui & conſanguinei; quomodo amici & ſodales, quomodo peregrini, quos ab omni iniuria vult eſſe tutos, propter vindicẽ Deum, quomodo ſupplices, quibus parcendum eſſe iubet, quomodo ab aliis depellenda iniuria, cum poſſumus; quomodo bona quæ poſſidemus; communicanda cum aliis. Duplicem quoque naturam in homine, præſertim in magiſtratu, oportere ineſſe, vt videlicet ſit ſeuerus & clemens: quorum illud erga præfractos;

fractos, alterum verò erga tractabiles ac emendationis cupidos valere debeat. Fugiendum eſſe autem nimiũ ſui amorem. qui enim eo vitio laborent, quid iuſtum, quid pulchrum, quid honeſtũ ſit, non rectè poſſe iudicare. In iis etiam, quę in hanc vitã incidunt, in gaudio, mœrore, ſimilibuſque rebus tenendum eſſe modum, & quoſcumq; vitæ caſus animo forti perferendos. Recitat deinde, quantũ oporteat eſſe numerũ ciuiũ, & agricolarũ nouæ coloniæ, nimirum ad quinq; millia & quadraginta, inter quos diſtribuẽdi ſint agri. Quod autẽ Socrates in ſua republica diſputat de communione rerum, idem hic repetit Plato, cõfirmans nullam poſſe cogitari ſanctiorẽ aut feliciorem remp. quęvè propius ad deorum immortalium vitam accedat, quàm eam in qua non modo rerũ omnium & poſſeſſionũ ſit communio, verumetiam, in qua quæ propria ſunt cuiuſq; hominis naturæ, communia ſint; oculi, aures, manus, vt qui videt, audit, agit aliquid, in communem vſum videat, audiat, agat, vbi rebus iiſdem omnes lætẽtur & doleant, tamquam ad omneis indifferenter pertinentibus. At verò, quod eiuſmodi reſp. nec fuerit vmquã, neq; futura ſperetur, contentus oſtendiſſe formã & imaginẽ illius aliquam, tranſit ad eam

reip.formam, quæ inter homines conſti-tui poteſt. Et principio quidē optimū eſſe dicit, vt ciues, alter alterum agnoſcant, vt quiſque ſciat, quantum alterius virtuti tribuendum ſit, & quos mereatur honores atque munera. Cuique ſuum agrum dili-genter eſſe colendum, neque ciues oporteré illum, quem ſupra poſuit, numerum excedere. Vt etiam is, qui multos habet filios, vnum aliquem ex iis, quē velit, poſ-ſeſſionum & domus conſtituat heredem, præcipit, reliquos verò det adoptandos iis qui liberos non habent, vtque filię matrimonio collocentur. Multas autem dicit eſſe rationes vel prohibendæ vel augendæ procreationis liberorum, quando ſcilicet vel honor vel dedecus proponitur, & ſenum ad iuuenes cohortationes accedunt. Sed quum eum, de quo dictum eſt, numerum excedit fetura ciuium, iubet deduci coloniam, quumque vel morbo, vel quauis alia calamitate numerus hic imminutus eſt, ait non temere admittendos eſſe, qui ſunt in alia diſciplina inſtituti. Ciues omneis vult ſordidum & infamē quæſtum vitare. Fœnerationem adeo improbat & prohibet, vt ne ſortem quidem illi qui mutuauit, reddendam eſſe dicat. Poſthæc, eorum refutat ſententiam, qui ciuitatem cupiunt eſſe quàm ditiſſimam, ac latè

ac latè dominari terra marique, confirmãs fieri non poſſe, vt probitas & iuſtitia ſint cõiunctæ cũ magnis diuitiis, & in ciuitate quę ſeditionẽ effugere velit, oportere nec inopiã eſſe neq; diuitias. Pecuariã & agriculturã valde probat, vt honeſtos adquirẽdi modos. huc deniq; ſpectat, vt demõſtret, primũ animi bona eſſe comparanda, ſecundo loco corporis bonã valetudinẽ, tertiũ ac poſtremũ ſtudium oportere eſſe pecuniæ: vrbẽ etiam commodo loco ponendam eſſe & opportuno: permagnam enim vim, neque leue momentum eſſe poſitum in ipſius natura loci. Libro ſexto VI. dicit, etiamſi optimis legibus conſtituta ſit Reſpublica, non poſſe tamen rectè gubernari neque diu conſiſtere, niſi idone us ſit magiſtratus, qui inde à primis annis rectè ſit inſtitutus. Tradit poſtea, quomodo ſint creandi legum pręfecti, quomodo ciuium nomina conſcribenda, & cuiuſque cenſus annotandus, quomodo eligendi exercitus duces, magiſtri equitum, tribuni militum & ordinum præfecti. Magiſtratus verò creationem debere ita fieri, vt media ſit inter vnius & populi poteſtatem: ſeruos enim & dominos, item probos & improbos non poſſe coaleſcere, ſi communio ſit inter ipſos honorum: laudandam quidem eſſe æquali-

tatem, ſed illud ſic accipiendum, vt illa demum ſit vera & iuſta æqualitas, cum pro cuiuſque virtute animique pręſtantia diſtribuuntur honores: vitandæ autem offenſionis cauſa, nonnullis in rebus vtendum eſſe ſorte. Conſtituendos etiam Ædiles, qui vias & ędificia publica, qui portus, fora, fontes, deorum fana & id genus alia procurent: item quæſtores atque cuſtodes ſacræ pecuniæ, & curatores agrorum atque limitum, qui dent operam, vt aduerſus hoſtilem impetum regio ſit munita, foſſis atque vallis in eũ vſum circumductis, item vt fontes atque flumina ædificiis & arboribus exornentur. Rerum venalium curatores vocat Cenſores, qui fori ordinem lege ſancitum ſeruant. His omnibus accedunt Muſices atque Gymnaſtices magiſtratus, qui præſint, alii diſciplinæ, alii exercitationis cauſſa. Iubet autem, vt omnes magiſtratus, officii ſui & adminiſtrati muneris rationem reddant. Poſt hæc venit ad iudices cauſſarum, quandoquidem, niſi iudicia fuerint legitimè conſtituta, ciuitas nulla diu conſiſtere poſſit. Iudicum alios eſſe dicit, qui de priuatorum litibus cognoſcunt, alios qui publica negotia tractant, alios autem arbitrarios, vtriuſque partis voluntate receptos. Ad publicas accuſationes

tiones, hoc eſt, quum aduerſus Rempublicã aliquis deliquit, vult omneis admitti, eò quod ad omnes crimẽ & iniuria pertinet. Oſtendit etiam, quomodo magiſtratus debeat inſtituere atque formare adoleſcentes, qui poſt ipſos aliquando præerunt reipublicæ, nimirum vt modis omnibus incumbant in ea, quæ ciuitati ſint profutura. quo loco & illud ſanctiſſimè dicit, ſic erudiendos eſſe ciues, vt glorioſum & honeſtum putent, mori pro patria, & vt quiduis patiantur potius, quàm velint aut euerſam videre patriam, & in ſeruitutem redigi, vel fuga ipſam deſerere: ſed & illud rectè dicit, non poſſe ſtatim ab initio ſingula comprehendi legib. verum qui ſuccedunt aliis, magiſtratus vſu commonefactos, debere ſtatuere atque etiam corrigere, quæ à maioribus vel prætermiſſa fuerunt, vel minus idoneè conſtituta. Venit deinde ad nuptias, tamquam ad ſeminarium ciuitatis, vbi hoc inprimis conuenire ait, & eſſe ex vſu reipublicæ, vt iuuenes neque pauperum affinitatem fugiant, neque diuitum ſectentur: deinde, vt ferociores iuuenes in matrimonium ducant ſedatorum & quietorum ciuium filias, quò ſoboles vtriuſque parentis naturam referat. Ad eam verò rem non cogendos qui-

Digitized by Google

dem eſſe illos, ſed perſuaſionibus adducendos. Eum, qui poſt triceſimumquintum ætatis annum, celibem vitam agit, pecunia quotannis multari, & in cœtu iuuenum eſſe iubet inhonoratum.

Ad conuiuium nuptiale pauculos quoſdam amicos & propinquos debere conuocari, ne creſcat impenſa, quumque per omnem vitam ebrietas vitanda ſit, ait coniuges operam daturos liberis, oportere eſſe minimè omnium vino grauatos, vt ſemper ex quàm maximè ſobriis & moderatis propagentur liberi.

Quantum ad dotem pertinet, iubet æqualitatem in eo ſeruari, vitandæ cauſſa offenſionis.

Vrbem iubet ædificari rotundam,& in loco eminentiore, quò & minutior ſit,& purior. muris autem non debere cingi, quòd ea res ad ignauiam & ſecuritatem ciuium valdè pertineat, eoque Lacedæmoniorum morem commendat, qui muris carebant. Poſſeſſionum omnium difficillimam ait eſſe ſeruos, propter ipſorum improbitatem atque nequitiam.

Præcipit autem, ne nimium vel ſeuere vel

re vel etiam molliter habeantur: tunc enim cuiuſque virtutem & moderationem maximè perſpici, quando aliquis cauet, ne quam iis iniuriam faciat, quibus facilè poſſit ac propemodum impunè.

Ob impotentiam generandi iubet diuortium fieri, non tamen ſubitò, neque temerè.

Eo qui ſequitur libro ait hominem VII. eſſe animal manſuetum, & ſi cum natura felici rectè inſtituatur, euadere excellentiſſimum; ſin minus, nihil eo deterius exiſtere.

Et ſicut libro ſuperiori tractauit de magiſtratibus, ita hic agit de inſtitutione puerorum. Niſi enim priuata rectè procurentur, nõ eſſe quòd publica poſſe conſiſtere quis ſperet.

Plurimum ergo referre, quomodo ſobolem quis domi nutriat, inque rempublicam emittat.

Recta verò educatione poſſe tum corpus, tum animum quàm pulcherrima & optima reddi. Corpori valdè conferre motum, & agitationem non laborioſam: ſed & fetus, quum adhuc in vtero geſtantur, vult moueri, nimirum, vt grauidæ frequenter deambulent, nec otio torpeſcant, item, vt nutri-

ces circumferant pueros, donec per ſe firmiter inſiſtant, quod ad triennium vſque faciendum eſſe dicit. Mox à puerili ætate, vel infantili potius, iubet illos paullatim aſſuefieri ad diſcendum aliquid, ac deinde quum adoleuerint, vult inſtitui in Gymnaſtica & Muſica, quarum illa corporis, hæc autem animi diſciplinam contineat. In primis autem monet, vt ambæ manus, à teneris annis, ad omneis res pariter & æquè exerceantur, & aſſuefiant: hanc enim ad defendendum, illam nobis ad cædendum eſſe tributam, itaque neutram oportere vel otioſam eſſe vel inexercitatam. Poſt hæc agit de Muſica, quo quidem in loco per occaſionem interſerit inſignem ſententiam; omnem videlicet mutationem, præterquàm in malis, eſſe periculoſiſſimam, in temporibus, in ventis, in curatione valetudinis, in moribus, breuiter, in omnibus rebus, præterquam in malis; & ſimul explicat, quòd quemadmodum corpus humanum offenditur noua & inſolita ratione victus, ita etiam homines abhorrere à nouis legibus, neq; temere illas mutare, in quibus educati ſint, præſertim ſi longo temporum ſpatio ſint confirmatæ, & noſtri temporis memoriam antecedant. Hæc autem eò dicit, vt ne permittatur pueris mutare ludos & alia,

alia, quæ ad ludos pertinent, à maioribus veluti per manus tradita. Nam ea conſuetudine ipſos fieri inconſtantiores, paullatim eis vetera omnia ſordere & noua placere: quę quidẽ res maximam peſtẽ in ciuitatẽ inferat. In media vrbe iubet collocari gymnaſiorũ ædificia publica, vbi iuuentus ad arcum & telorum iactum exerceatur, in ſuburbiis autẽ & foris, equeſtria. Deinde non vult in parentum poteſtate eſſe; vt liberos vel diſciplinæ tradant, vel non tradant, ſed cogendos ait, vt tradant, quòd Reſpublica plus habeat iuris in filios, quã ipſi parentes. Idem iudicat de mulieribus atque puellis, quas in eiſdem rebus iubet exerceri atque inſtitui, vt adoleſcentes; neque permittendum vt deliciis remolleſcant, & lanificium modò tractent, ſed curandum magis vt ſciant arma tractare, ſicut Amazones, vel Sauromatides ad Pontũ Euxinum, idque vel eò ſaltem, vt vrgente neceſſitate, viris omnibus in militiam profectis, vrbem ipſæ mœniaque defendant. Hoc enim eſſe multò præclarius & vtilius, quàm ſi in otio educatæ; imminente hoſte atque periculo, ſtatim ad aras & fana Deorum confugiant: ita fore, vt pro ſimplici virorum ſubſidio, duplum Reſp. percipiat. Sub gymnaſiorum autem nomine complectitur omnem exercitationem &

ſcientiam bellicam, & quidquid ad equeſtrem diſciplinam pertinet. In his omnibus ait tam puellas quam adoleſcẽtes debere inſtitui per magiſtros, reipublicæ ſumptu conductos. Ad vigilantiam deinde hortatur, quòd ſomnus & valetudinem offendat, & animi vigorem extinguat. Arithmeticam autem & geometriam & Mathematicen ait eſſe diſcendas pueris. De venatione poſtea loquitur, eãque diuidit in aquatilem, volatilem, & terreſtrem, & hanc ſolum probat, quoniam & equis & canibus & corporis viribus agitur: reliquas, vt minus induſtrias & propemodum ocioſas & illiberales, minus

VIII. laudat. Octauo libro præcipit, quemadmodum ſacra ſint facienda diuis, etiam Plutoni, tamquam ei qui generi hominum ſemper faueat & ſit ſalutaris, eò quod animæ corporiſque coniunctio, nullo modo ſit melior, quàm diſſolutio. Deinde docet, quo modo ciues in armis aliiſque certaminibus ſint exercendi, ſcilicet vt ſingulis menſibus virium & artis periculum faciant. neque enim belli tempus expectandum, ſed in ipſa pace ad rem bellicam aſſuefaciendos Itaque vult à magiſtratibus inſtitui ludos & ſacrificia, in quibus committantur pugnæ, quàm proximè imitantes vera prœlia: & ſi quis

non

non ſtudio neque dolo malo,ſed caſu fortuito in iis occumbat, iubet eſſe impunè percuſſori. paucis enim quibuſdam ita mortuis, reliquos eſſe futuros non deteriores : timorem etiam in animis ciuium extinguendum eſſe. Quòd autem perpaucæ ciuitates hunc morem obſeruant, duas adfert cauſſas : ex iis primam eſſe dicit, quòd plerique opum accumulandarum cupiditate, rem ſolum familiarem curant, & iis tantum artibus, vnde ſperant emolumentum, incumbunt. Alteram eſſe ait ipſius reipublicæ ſtatum atque formam, oligarchiam videlicet aut Tyrannidem. hos enim ferre nō poſſe, vt in aliqua re ciues excellant. Quum autem eius coloniæ, quam inſtituit, longè alia ſit ratio, putat gymnica certamina locum ibi habere, ac in vſum reuocari poſſe. Hinc digreditur ad corruptos ſui temporis mores atque libidines, quas tamen ait poſſe refrenari iis, quas antea ſanciuit, legibus, tū & ipſius magiſtratus diligentia & ſeueritate viteque exemplo. Adulteros & id genus alios impuros homines iubet eſſe infames, nec vllum eis honorem vult communicari, ſi modo de ſcelere cōſtet. poſtea trāſit ad leges agricolarū, in quib. ea prima eſt, de nō mouēdis agrorū finiumq; terminis, de paſcuis, de apibus, de deriuandis aquis,

de percipiendis colligendisque frugibus & autumni fructibus, de non corrumpendis fontibus. Quantum ad opifices attinet, vetat ne quis duo tractet artificia, ſed vni tantum incumbat. Pro iis quæ vel exportantur vel importantur, nullum vult dependi vectigal. Rerum externarum nihil vult importari, præter ea, quib. omninò carere non poſſit ciuitas, nihil etiã exportari, quod incolis & regioni ſit neceſſarium. Rebus venalibus præficit Cenſores, qui prouideant, ne qua fraus committatur.

IX. In ſequenti libro tractaturus de iudiciis & pœnis maleficiorum, vtitur præoccupatione, quaſi minus decorum ſit atque etiam ſuperfluum, de eiusmodi rebus aliquid præcipere in ea ciuitate, quæ iam ſit optimis ſanctiſſimisque Legibus informata, vbi non ſit credibile, futuros homines adeò flagitioſos, vt iis legum vinculis eos coërcere ſit neceſſe. Quoniam verò deteriora ſint tempora, quàm fuerunt olim, & quia cum hominibus non cum diuis negotium ſit, ait hanc quoque partem diſciplinæ prætermitti nõ poſſe. Et principio quidem de ſacrilegiis agit, aliamque ſeruis, aliam ciuibus pœnam irrogat. Poſt ea de ſeditioſis & Legum euerſoribus, item de furibus & proditoribus. & fures

quidem

quidem eodem modo vult puniri, ſiue magnum ſiue paruum ſit furtum. Quumque hoc nonnihil abſurdum videretur Cliniæ, exiſtimantis pœnam debere infligi pro magnitudine delicti; pulcherrimam diſputationem ingreditur de diuerſitate maleficiorum & iniuriarum. Ait enim quædam ab hominibus fieri, vi & apertè, quędam clam & fraudulenter, quædam conſultò, quædam inconſultò, nonnulla per iram, & eam quidẽ aut ſubitam cum pœnitentia facti, aut præmeditatam ſine pœnitentia. Ad hunc modum diſtinguit omnia, confirmans pro hac diuerſitate pœnam eſſe irrogandam. Pòſt tranſit ad cædem, & aliam dicit eſſe voluntariam, aliam minus, aliam ex ira committi, & ea quidem duplici. Non voluntariam primo tractat, cum quis vel in publicis gymnaſiis aliquem, vel medicus ægrotum, vel liber ſeruum, vel ſeruus liberum, vel liber liberum, vel ciuis peregrinum, vel peregrinus ciuem, vel peregrinus peregrinũ non ſponte interficit. Deinde ad eam, quæ fit per iram, deſcendit, in eiuſque cognitione magnam eſſe dicit difficultatem, an ſit voluntaria, nec ne. Quæ per ſubitam & vehementiorem iram fit, ei mitiorẽ pœnam ſtatuit: ſeruum tamen qui herum ſuum, aut filium, qui parentem ſi interfe-

ciſſet, capitis pœnam ſubire iubet. Voluntariam verò capite plectit, ſiue quis ipſe, ſiue per alios eam perpetrarit. Parricidiũ autem commiſſum ex induſtria, ſic punit vt poſt ſumptũ de percuſſore capitis ſupplicium, nudum cadauer extra vrbẽ protrahatur, atque ibi omnes qui ſunt cum magiſtratu, lapidẽ in illius caput coniiciant, pòſt extra fines regionis pertractum, dimittatur inſepultum. Eos qui mortem ſibi conſciſcunt ipſi, vult ſeparatim ſepeliri. Ignotum homicidium iubet præconis voce proclamari, poſtea verò homicidam deprehenſum capitis pœnam luere. Vbi de cæde tractauit, venit ad vim & vulnera, quæ & ipſa dicit vel ſponte, vel ira, vel timore aliquo, vel non ſponte fieri, & pœnam horum omnium augeri, tum ex perſona eius qui læditur, tum ex loco vulneris. Breuiter, nullum facinus atque delictum vult impunitum dimitti, ſed vel morte, vel vinculis, vel verberibus, vel ignominia, vel mulcta caſtigari, & iudices, qui de maleficiis cognoſcunt, iureiurando, quod Veſtæ Deæ pręſtare debent, aſtringit, vt legitimè, quantum in ipſis erit, pronuncient. Adiicit & hanc inſignem ſententiam, oportere leges ita cõſcribi, vt patris matriſq; perſonã legislator repræſentet, atq; vt ſcriptæ leges amoris beneuolen-

uiolentiæq; ſignificationem quandam habeant, non autem vllius vel crudelitatis, vel tyrannidis. Ideoque pręfationibus iubet demulceri ac præmolliri hominum animos, antequam leges proponantur. Eos enim qui non ſint omnino deplorati, vel non delicturos omninò, vel multò certè minus, partim metu, partim pudore. Quapropter & inſanabiles iubet è medio tolli, quòd duplex inde commodum ad remp. redeat, primũ, quòd horũ exemplo reliqui deterrentur; deinde, quòd ab improbis liberatur ciuitas, ne quid ex contagione accipiat incommodi: prius tamen omnes alias rationes tentandas: modo ne crimẽ ſit tam atrox, vt ſit nefas, eũ qui deliquit, diutius intueri ſolẽ. Magnam verò partẽ delictorum ex eo prouenire dicit, quod homines primum locum tribuũt diuitiis, quum & animi & corporis dotes longè ſint anteponendæ: corpus enim eſſe creatum animi cauſa, diuitias autem, propter corpus. Poſthæc oſtendit, quàm ſint neceſſaria legum vincula: niſi enim hęc interuenĩant, hominum vitam, quæ quidẽ ſint tempora, futuram eſſe immaniſſimam. Cuius quidẽ rei hanc dicit eſſe cauſſam, quòd nullius hominis ingenium ita ſit natura inſtitutum, vt quæ ad publicam humanæ vitę vtilitatem conferunt, ſatis cogno-

ſcat, neque ſi cognoſcat, id ſemper agere poſſit ac velit, quod optimum eſſe videt. Nulla autem re magis augeri & efflore-ſcere ciuitates, quàm ſi publicam ſalutem procurent omnes: quum verò priuatum quiſque ſuum ſpectat emolumentum, di-labi illas & corruere. Quod ſupra dictum eſt de iis qui ſe interficiunt ipſi, diſtinguit, & atrocius eſſe dicit, quum aliquis igna-uia quadã hoc in ſe admittit, quàm quum vel pudore, vel fortuito aliquo caſu im-pulſus facit. Eum qui vim alicui puellæ fa-cit atque feminæ, iubet interfici ab eius, cui facta eſt iniuria, cõſanguineis & affini-

X. bus, patre, fratre, filio, marito. Poſt enu-merata maleficia & horũ pœnas, loquitur de omni vi, iniuria & contumelia, quæ vel in vicinũ, vel in publica & ſacra, vel in ſacra priuata & ſepulcra, vel in magiſtratũ, vel in ipſos Deos committitur. Et impietatem quidem in Deos triplicem eſſe ait. Nam a-lii negant vllos eſſe Deos, alii Deos quidẽ eſſe fatentur, ſed nihil curare humana, alii concedunt vtrumque, ſed Deos, ab impi-is etiã & ſceleroſis hominibus facilè poſ-ſe placari ſacrificiis. Et quoniam huiuſmo-di opiniones maximam peſtem in ciuita-tes inferunt, eò quòd ſceleribus & impie-tati feneſtram aperiunt, diſputationẽ in-greditur, & oſtendit hæc omnia eſſe falſã

& im-

& impiè excogitata. Ac primo quidem refellit opinionem eorum, qui dicebãt corpus eſſe factum prius quàm animã, & demonſtrat, eum motum, qui & ſeipſum & deinde alia mouet, eſſe omnium motuum nobiliſſimum atq; primum: talem autem motum eſſe animam, quæ & ſe moueat ipſa, & deinde corpus quoque moueat & regat, ex quo facile colligi poſſit, eam eſſe multò priorem corpore, immò corpus, animæ tanquam domino ſubiectum eſſe. Deum verò dicit eſſe optimam & præſtantiſſimam animam, quæ ſuis motibus vniuerſa ducit, quæ in cælo, terra, mari viuunt; ideoque Deorum plena eſſe omnia. Quod autem nonnulli dicunt, Deos non curare humana, opinionẽ hanc ex eo prouenire ait, quod iniuſti homines atq; improbi feliciſſimos habeant ſæpe ſucceſſus in rebus omnibus: nec enim Deos alioqui permiſſuros, vt qui ſunt impii, rebus omnibus ſic augeantur & ſplendeſcant. Verum ipſe demonſtrat in Deos non cadere vel timorem vllum, vel obliuionem, vel negligentiam, vel talem aliquẽ affectum, vt magna quidẽ curent, parua verò negligant, ſed ex æquo curare omnia, per eam, quæ in ipſis eſt, prouidentiã. Cum.n.medicus in curando corpore, vel architectus in ædificando, vel quiuis paterfamilias in

ſua domo, diligenter prouideat, ne quid omninò, quod ſuæ ſit profeſſionis & artis negligat: non oportere credi, ipſos Deos, qui ſint ſapientiſſimi, qui omnia tum poſſint, tum velint, eſſe hominibus negligentiores, minuſque ſollicitos; ſic igitur exiſtimandum, non poſſe homines iudicium Deorum effugere, ſed pœnas aliquando ſuorum ſcelerum daturos. Atque vt maximè felices hic eſſe videantur impii, tamẽ nullam hanc eſſe felicitatem, & fore vt à morte grauiſſimè torqueantur. Eos autẽ, qui ſacrificiis poſſe placari Deos ab impiis dicunt, non ſecus facere, ac ſi Deos putent eſſe canes, quibus lupi partem aliquã rapinæ concedant, atque illi interim patiantur gregem dilacerari; aut eſſe veluti nauis gubernatorem, qui vini ſuauitate captus, & tamquã ſui oblitus, clauum deſerat & nauim fluctibus agitari permittat. Quod quum valde ſit abſurdũ, & quoniam homines vel mediocriter iuſti non patiuntur ſe muneribus corrumpi, vt ius & æquum prodant: non debere etiã quemquã exiſtimare, Deos, optimos ſanè cuſtodes, hominibus eſſe deteriores. Ad hanc verò diſputationem ait ſe deſcendiſſe, vt homines melius & reuerẽtius de Deo ſentiant. eum etiam qui de his rebus legẽ ferret, ait hoc veluti proœmio debere vti ad homi-

homines, vt impio vitæ genere relicto, ad pietatem ſeſe conuertant: deinde, lege cauendum eſſe, vt qui parum reuerenter & impiè de Deo ſit locutus, ad magiſtratū accuſetur, & pro delicti cōditione puniatur. Quum autem ex iis tribus opinionibus, ab eo confutatis, diuerſa proueniant peccatorum genera, dicit eos non ſimili pœna, ſed alios duriore, alios mitiore eſſe affligendos. Quoſdam enim, tametſi deos eſſe negant, tamen naturæ quadam bonitate, virtutem amare & improbitatem odiſſe: qui tales ſunt, eſſe tractandos paullò clementius, & carcere cohibendos, & ſermonibus bonorū in meliorē ſententiā adducēdos. Qui verò prauę & impiæ ſententiæ malos coniungunt mores, & diſputationibus etiā ſua propugnāt, mul ò grauius debere puniri. Itaq; propter eos, qui tā faciles putant eſſe Deos & exorabiles etiam impiis, legem ſtatuit, ne quis in domo priuata ſacellum habeat, néve ſibi Deos aut Deorum ſacra præter leges fingat, ſed vt ad publica quiſque ſacrificia veniat, quę palàm ſacerdotes peragunt. verum antequam ſuperiorem iſtam diſputationē ingreditur, ait eſſe valdè arduum, rationibus confutare & perſequi receptam ferè ab omnibus, doctis pariter & indoctis, prauam illam atq; peruerſam, de Diis & iuſti-

Digitized by Google

XI. tia, perſuaſionem. Libro vndecimo varia tractat, & primo quidem de non ſurripiendis alienis theſauris, eamquè veluti regulam ponit, *Quæ non depoſuiſti, ne tollas*: deinde, de non aſportando eo, quod alicubi relictum eſt ab aliquo. vult enim eiuſmodi omnia ſuo loco relinqui, tanquam cõſecrata Deæ itineris. Iubet etiam vt liberti ſuos patronos obſeruent & reuereantur, nimirum vt ſingulis menſibus ter ad patroni domum veniant, officium & obſequium illi ſuum deferant, illiuſq; voluntate vxores ducant, & ne maiores habeant opes, quam patronus ipſe, aut quas habent ampliores, vt eæ patrono cedant. Poſt hæc tranſit ad emptionem & venditionem, ac iubet, vt venditor accepto precio rei venditę quod modo triginta drachmas excedat, decem diebus in vrbe maneat, & emptor eius diuerſoriũ non ignoret, idque propter vitium rei emptæ, ſi quod forte deprehendetur; quo quidem in loco prolixè agit de Redhibitoria actione, deque Ædilitio edicto, & diligenter diſtinguit, quid cui præſtandũ ſit. Nam ſi medico vel gymnaſtæ venditus ſit ſeruus vitioſus aut ægrotus, actionem illam ait non habere locum, ſecus autem quum earum rerũ imperito aliquid venditur. Ipſam autem reticentiam, quum

vide-

videlicet venditor emolumenti ſui cauſſa, quod ipſe ſcit, id eum celat, cuius interſit id ſcire, grauiter vituperat, & animaduerſione dignam eſſe, & duplicatum preciũ emptori dicit eſſe reddendum. Cauet etiã ne qui vendunt aliquid, aut adulterinum vendant, aut ſupra iuſtum precium aliquid exigant: ſed & commendationem rei venalis nullam, nec iuſiurandum etiã vult interuenire. Qui vitiatam & non ſynceram rem vendit, eum & mercis iacturam facere iubet, & totidem cędi verberibus, quot drachmis illam vendidit. his rebus diiudicandis conſtituit Ædiles atque cenſores. Ad caupones deinde venit, quod genus hominum ait propter auaritiam & rapacitatem haberi minus honeſtum & liberale, non tam ipſius rei cauſſa quæ ſit perneceſſaria, quàm ipſorum hominum vitio. Sic enim eſſe comparatum in rebus humanis, vt pauci admodum, etiam natura non mala præditi ac bene educati, quum vel egeſtate premuntur, vel alicuius rei tenentur cupiditate, continẽter agant, & mediocri quæſtu ſint contẽti. Quia verò cauponibus omninò carere non poſſunt ciuitates, hoc conſilii dat, vt quam pauciſſimi ſint, & peregrini ſolum, atque hi, quàm minimè mali aut ſordidi. Iubet autem, vt ædiles ac rerum

venalium curatores, & agris præfecti magiſtratus, collatis rationibus, emolumenti & ſumptuum, qui in hoc genere verſantur, æquum lucrum & tolerabile cauponibus conſtituant. Opificibus hanc præſcribit legem, vt ad conſtitutum tempus promiſſum opus perficiant, item ne quid corrumpant, néve pluris quàm æquum eſt, vendant. Fortes ac rei militaris peritos homines, qui reipublicæ profuerunt, iubet honoribus adfici, ne iuſtam habeant offenſionis & querimoniæ cauſſam. Ad teſtamenta deinde venit: non permittit autem liberam teſtandi facultatem, præſertim ſi teſtamenti factio dilata ſit ad extremum vſque vitæ tempus. Ait enim homines moribundos non ſolum eſſe difficiles atq; moroſos, verumetiam ſæpenumero teſtari contra leges atque mores & eorũ, quos inprimis curare debebant, vtilitaté, & inepta quædam præcipere non rarò, quando iam cũ morte luctantur: hæc autem minimè ſeruanda eſſe, ac ſimul reprehẽdit priſcos legumlatores, quòd morientibus nimium indulſerint. Itaque legem ipſe conſtituit de ſucceſſionibus vel ex teſtamento, vel ab inteſtato: & teſtatorem ait, poſſe ex filiis eum quem velit, hæredem inſtituere, reliquis aut in adoptionem datis, aut bonorum aliqua parte le-

te legata. Quod ſi filias tantum habeat, iubet vt quem velit generum, ei cui velit, filiæ adſciſcat, eumque heredem faciat. Si nullum habeat filium, permittit, vt quē velit, arroget. Quum quis moritur inteſtatus & filias relinquit, vult vt proximus agnatus aliquam ex eis in matrimonium ducat, & hæreditatem adeat. Quòd ſi nullis relictis liberis deceſſerit inteſtatus, proximis agnatis defert ius ſuccedendi. Quātum ad tutores pertinet, eos qui teſtamēto ſunt dati, primo loco, deinde proximos agnatos, & poſtremò, datos à magiſtratu, iubet adminiſtrationem obtinere, iiſque grauiter commendat ſalutem pupillorum, vt qui diis facturi ſint rem longè gratiſſimam, ſi bene, vehementer autem ingratam, ſi malè in eo munere verſentur: nec enim minus debere illos complecti & amare, quam ſuos ipſi liberos amant. Quòd ſi filius emendari nolit & ſit intractabilis, iam patri licet conuocatis primum ſanguineis atque propinquis, eorumque ſententiis condemnatum abdicare, & è familia eiicere. Filio quoque licet patrem decoctorem modeſte ac reuerenter ad magiſtratum incuſare, qui re cognita illum cohibeant, nec ei bonorū adminiſtrationē concedant. Diuortiū permittit iis, qui ſimul viuere nō poſſunt: ve-

rum ita, vt ſi non habeant liberos, matrimonium denuo contrahant quicum velint. Ne quis cum ſerua ſua, neve domina cum ſeruo ſuo rem habeat, grauiter vetat, exilii pœna conſtituta. Parentibus iubet honorem impendi, & Deos hoc officium à nobis flagitare, vt qui parentum preces, de liberis conquerentium, dubio procul exaudiant. Eius rei documentum adducit, Oedipum, Amyntorem, & Theſeum: nam horum filios propter imprecationes ipſorum, in ſummas incidiſſe calamitates, demonſtrat. Veneficos, qui vel hominibus, vel iumentis & pecudibus quacumque ratione nocent, è medio tolli iubet. Maledicos & conuitiatores vult coerceri, legemque ſtatuit, ne quis conuicietur, verum vt res coram iudice potius diſceptetur. Atque hic per occaſionem meminit Poetarum Comicorum & Satyricorum, quos etiam coercet, niſi cum ſine ira & iocosè ridiculum quid proferunt. Serium autem & ſtomachoſum, nequaquam admittit. Mendicos omneis iubet extermiuari. Si quadrupes pauperiem fecerit, dominũ iubet præſtare damnum. Teſtem, eum videlicet qui teſtificari poſſit, ait cogendum eſſe vt teſtimonium dicat, aut præſtito iureiurando, quòd non poſſit, dimittendum. Qui ter falſum teſtimo-

ſtimonium dixerit, eum capite plectit. Poſtremo grauiter taxat rabulas forenſes, qui vel auaritia vel ambitione adducti, calumnias nectunt, & litem ex lite ſerunt. Quod ſi ambitione faciant, iubet illis ad certum tempus interdici omni actione: ſi vero auaritia, diſtinguit & peregrino quidem exilii perpetui pœnā indicit, ciuem verò capite multat, atque idem etiam ſtatuit de eo, qui bis per ambitionem peccarit. Duodecimus & poſtremus liber varia XII.
quoque continet, & primò quidem iubet, vt qui mittuntur aliquò legati, bona fide mandata perficiant: qui ſecus fecerint, vt ii tamquam Iouis atque Mercurii contemptores, pro magnitudine delicti puniantur. Furtum ſiue paruum ſit ſiue magnum, pari ſupplicio plectit, & non tam ipſum factum quàm voluntatem punit. Seruum aut peregrinum furem, iudicis arbitrio permittit: ciuem omnino vult capite multari, quòd in tali repub. inſtitutus, tanto ſcelere ſe contaminauerit. Pecuniæ furtum illiberale eſſe dicit, rapinam verò turpiſſimam. Vitam ſolitariam improbat, & ſocietatem vult eſſe hominum inter ſe. Adoleſcentes ait inde à teneris annis aſſuefaciendos, vt quàm parciſſimè cibo vtantur, vt frigus & æſtum & cubilis duritiem leniter ferāt, vt ne caput atque

pedes, aliis, quam iis quæ natura dedit, tegumentis corrumpant. Extrema enim illa membra, maximas toti corpori vires præbere ac communicare, quum à ſua natura non deducuntur. Eum, qui iubente imperatore militiam aut detrectat aut negligit, iubet à commilitonibus accuſari, atque ita puniri, vt nec ad militiam vllam pòſt admittatur, nec alios neglectæ aut deſertæ militiæ poſſit accuſare. Qui militiæ fortiter ac præclare ſe geſſit, vult honorari donis & corona laurea, quam deinde belli duces in deorum templis cum inſcriptione & titulo ſuſpendant, vt ſit perpetuum virtutis monumentum. Qui militiam & ordines deſerit, quiuè arma proiicit, grauiter punit: iudicibus autem & magiſtratui militari videndum eſſe, ne quem temerè puniant, ſed cauſam proiectionis armorum diligenter inquirant. qui enim aut caſu fortuito vel coactus arma perdidit, eum abſoluit. Exempli cauſa Patroclum adducit, quem interfectum, armis nudauit Hector. hunc ſi quis deinde repertum ſine armis criminatus fuiſſet vt ignauum & deſertorem, magna ſanè adfeciſſet iniuria. Tranſit deinde ad repetundarum iudicium, cui qui præſideant, hos ait oportere eſſe homines integerrimos. Per occaſionem

nem poſtea meminit Rhadamanthi, cũque fuiſſe dicit incorruptum iudicem, & celeriter peregiſſe iudicia, & litigantes iureiurando in omnibus cauſſis adegiſſe. Magnam enim tunc fuiſſe hominum integritatem, & periurium illos vehementer exhorruiſſe, propterea quod de diis optime ſentirent, eoſque & regnare, & humana reſpicere, & impietatem grauiter punire crederent. Nunc autem longe aliam eſſe rationem obſeruandam in iudiciis, & quia mutatæ ſint hominũ de Diis opiniones, ac corruptiores facti mores, ait leges quoque mutandas. Nam ſi iurare cuique liceat, fore vt plerique omnes euadant periuri. Iudicem ergo non debere permittere litigantibus, vt vel iurent, vel malè ſibi generique ſuo precentur, vel turpiter & ignauè ſupplicent, vel muliebri quadam vtantur commiſeratione, verum vt cauſſam ſuam planè dicant. Peregrinis autem permittit iuſiurandum, nec enim eſſe metuendum, vt alios corrumpant, qui in ciuitate non poſſint inueteraſcere. Poſtea loquitur de peregrinationibus, & ait fieri non poſſe, quin homines vltro citroque commeent: crudele etiã eſſe atq; ſuperbum, velle hunc morẽ inducere, ne vel aduenæ recipiãtur, vel ipſi aliquò proficiſcãtur, ideoq;

modis omnibus cauendum eſſe, ne quà ciuitas in vitium hoc & criminationem incurrat, vt & peregrinorum hoſtis, & difficilis & inhumana vocetur, neque contemnenda eſſe aliorum de nobis iudicia. Quapropter eos, qui ocio abundant, & aliorum hominum res atque mores videre cupiunt, non vult lege vlla prohiberi. Ciuitatem enim, quę ſolitaria ſit, & quid boni aut mali ſit apud exteras gentes, ignoret, à perfectione ait longius abeſſe. Qui hominum cognoſcendorum cauſſa peregrinantur, vult eſſe non minores annis quinquaginta, neque diutius abeſſe, quàm decem annis. Vbi domum redierint, iubet diligenter explicare ſenatui, quid vel in legibus vel educatione vel diſciplina egregium & memorabile viderint apud exteros, vt hoc ipſum deinde, ſi probatum fuerit, in rempub. recipiatur. Aduenas igitur & peregrinos, ab aliis ad nos venientes, iubet humaniter excipi. ſed ex iis quoſdam eſſe dicit ęſtiuales, qui tempus idoneum nacti commeant huc illuc, alios bonarum artium cauſſa proficiſci: quoſdam verò publice mitti legatos, iisque magnum eſſe tribuendũ honorem à magiſtratu. Quantum ad poſſeſſiones attinet, ita diſtinguit, vt qui in vrbe, foro, ſacris & palam aliqua re fuerit

vſus,

vſus, anni ſpatio, qui in agris, publicè, quinquennii, qui in vrbe, domi non aperte, triennii, qui in agris domi, & occultè, decennii tempore, ius in eam rem præſcriptionis habeat, neque poſt illud tempus domino ſit integrum repetere, ſed extra fines regionis ei liceat recuperare & apprehendere, quouis etiam tempore. Qui rem furtiuam domi ſuæ receptat, in eodem eſt crimine, quo fur ipſe. Qui proſcriptum aut exulem recipit, eum capite plectit. quem enim ciuitas aut reſpublica inimicum pronunciauit, eum non licet vlli ciui habere pro amico. Quum vel de pace vel bello vel induciis tractatur, debet interuenire communis omniũ conſenſus. Iudiciorum alia dicit eſſe priuata, alia publica. inter priuata numerat arbitros vel conciliatores, vicinos & tribules. Publica, ſunt magiſtratus, de quibus antea dixit, eoſque vult memoria tenere legum decreta. ſimul oſtẽdit eſſe quandam affinitatem & vocis & ſignificationis inter *νόμον*, *legem*, & *νοῦν*, *mentem*. Mortuis vult fieri parentationes, eorumq; ſepulturæ iubet deligi locum, non in fertili aliquo agro, ſed eiuſmodi, qui nulli præterea rei ſit vtilis. nec enim terræ matris fœcunditatem eſſe minuendam. Sumptus funebres vult eſſe moderatos, pro cuiuſ-

que cenſu: nō enim hominem ibi ſepeli-ri,ſed ſimulacrum hominis,corpus ipſum & cadauer:verum autem hominem, animam videl. corpore ſolutam,proficiſci aliquò ad Deos,operum ſuorum rationem redditurā. Atq; hoc quidē in loco finem imponit legibus. ſed vnum ait deſiderari, & illud quidē maximum. Nec enim ſatis eſſe, leges conſtitui, ſed oportere,vt firmæ ſint,& magno ſtudio ſeruentur,& inſit illis quædam vis immutabilis. Cauſſam verò mutationis legum ait eſſe, quòd legumlatores non ſemper eundem ſcopū reſpiciūt. Alios enim eò ſpectare, vt pauci quidā in rep. dominentur,alios,vt diteſcant,ſiue ſeruiant,ſiue non:alios,vt liberi ſint, alios vt non ſolum libertate fruantur, ſed imperium quoq; ſuum amplificent,& vicinas vrbes ſubigant. Monet autem, vt reſpubl. ſibi propoſitum ſemper habeat vnum aliquem finem, quo ſua omnia cōſilia dirigat. ſimul hortatur,vt ex magiſtratu quotidie conueniant aliqui natu grandiores, qui ſinguli iuuenem aliquem,triginta natum annos ſecum adducant, & ante ſolis ortum prima luce ſermonem inter ſe conferant de repub.& vt iuuenes ea quæ ſenibus probantur, ma-
XIII. gno ſtudio diſcant. In *Epinomi* percurrit varias artes atque ſcientias, hominum

vſui

vſui neceſſarias, agriculturam, piſtoriam, architecturam, fabrilem, figulinam, texturam, nauticam, venatoriam, pictoriam, militarem, medicam, iuridicam, & quæcumque ſunt aliæ: ſed eas inquit non hoc poſſe præſtare, vt aliquis euadat ſapiens. Arithmeticen verò & Mathematicen & Aſtronomiam ait eſſe tales, vt qui in ipſis bonam operam nauarit, eum efficiant ſapientem, vt & de animæ immortalitate & de Diis rectè ſentiat. quo quidē nihil ſit præſtantius. Nullam enim in humano genere poſſe maiorem inueniri virtutem, religione & pietate in Deum. His ergo, qui ſic inſtituti ſint, & naturam habeant non vitioſam, ait ſummos debere committi magiſtratus, quum ad ſenectutē peruenerint, & tales oportere eſſe illos, qui in antelucanum concilium venturi ſunt, in quo, velut in ancora, ſalutem reipublicæ poſitam eſſe dicit. Atque vt Deorum præſtantiam demonſtret, multa diſſerit de animæ proprietate. Quinque autem ponit corpora, ex quibus ait cuncta prouenire, Terrā, Ignem, Aquam, Aërem, & Æthera. Pòſt, de Planetis & ſyderum ratione verba facit, eamq; doctrinam ait à Barbaris ad Græcos eſſe deportatam, vbi & hoc addit, Græcos habitare in regione, ad virtutem longe oportu-

niſſima, quod inter hyemalem naturam & æſtiuam media ſit:& quòd ab æſtiua ſerenitate longius ipſi diſtent quàm Barbari, idcircò tardius apud ipſos, ait hanc ſcientiam excitatam eſſe: Græcos tamen, quidquid à Barbaris accepiſſent, melius explicaſſe quàm illos. Poſtremò, in iis, quę ad Deorum ſacrificia pertinent, non vult legislatorem immutare quidquam, & cauendum dicit, ne ad nouum minus certæ religionis cultum homines aſſueſiant, ſed quæ patria lege vel conſuetudine de ſacrificando confirmata ſunt; ea iubet immota conſeruari. In eo dialogo, qui *Minos* inſcribitur vel *de lege*, rogat ex Minoë quodam Socrates, quid ſit *lex*? Ille reſpondet, Eſſe eam, quæ ſit lege recepta & approbata. Definitionem hanc refellit Socrates, vt improprìam & abſurdam. Tum ille, Eſſe ciuitatis inſtitutum atque decretum. Ne hoc quidem Socrates admittit: quædam enim eſſe bona, quædam verò mala ciuitatis decreta. ſed ipſe demũ definiens ait Legem eſſe veritatis inuentionem. Refutatur hoc à Minoë, quod homines non ſemper eiſdem vtantur legibus: longè enim alias eſſe per Græciam, quam in Africa, & maiorum leges multum eſſe diuerſas ab iis quæ nunc ſint in vſu. Reſpondet Socrates, & ait ea quæ iuſta ſunt

ſta ſunt & honeſta, vbique eſſe iuſta & honeſta. Legum verò promulgationem non eſſe cuiuſuis, verum eius tantum, qui ſciat quid in ſingulis rebus iuſtum & iniuſtum ſit, qui teneat ciuitatis ordinem & gubernandi rationem. Idcircò enim eſſe & nominari Leges, quod conſtituantur ab iis, qui peritiam habent: quemadmodum & medicorum & geometriæ & agriculturæ Leges dicuntur, hoc eſt, decreta, quæ fiunt ab huiuſmodi rerum peritis. Poſthæc loquitur de Lycurgo, qui Lacedęmoniis dederit leges, mutuatus eas à Cretenſibus, quorum fuerint pręfecti Rhadamanthus & Minos, Iouis ex Europa filii. Quũque ille diceret, Minoëm male audire, vt agreſtem & durum hominem atq; etiam iniuſtum, Socrates eum obiurgat, quòd de Deo minus rectè ſentiat, eumque demonſtrat, optimum fuiſſe virum, atque id probat auctoritate Homeri, qui dicit eum per annos nouem fuiſſe ipſius Iouis ὀαριστὴν, hoc eſt, collocutorem & auſcultatorem. Qui ſecus hanc vocem interpretentur, eos errare. nec enim fuiſſe Iouis aut compotorem aut colluſorem, & grauiter illum præcepiſſe Cretenſibus, ne compotarent ad ebrietatem: non eſſe ergo credibile, vt quum turpem iudicaret temulentiam, aliud ciuibus mandarit, ali-

ud ipſe fecerit: hoc enim eſſe improborum hominum. ſed Minoem, quamdiu Cretenſibus præfuit, collocutum eſſe familiariter cum Ione, ab eóque leges didiciſſe, quibus floruerint Cretenſes, ac poſt eos Lacedæmonii. Cauſſam verò, quòd Minos, vt agreſtis & parum etiam iuſtus, male audiat Athenis, ait hanc eſſe, quòd bellum Athenienſibus intulit, iiſque deuictis tributum imperauit valde inhumanum, ſeptem ſcilicet pueros, quotannis. Ad hanc autem ſeueritatem fuiſſe illum adactum criminationibus & conuiciis Poetarum. hos enim permagnam habere vim in vtramque partem, & ad laudandum & ad vituperandum, ideoque illum cui fama & nominis exiſtimatio curæ ſit, iubet cauere, ne Poetas habeat aduerſarios. Minoem verò reliquis omnibus præfert, & vſum eſſe dicit Rhadamantho, veluti legum vindice, per Gnoſon vrbē, Talo autem, per totam inſulam. Hunc enim ciuitates omneis ter in anno adiiſſe, & vbicumque opus eſſet, emendaſſe omnia, ſculptis idcirco legibus in tabulam æream, & palàm propoſitis, vt ne quis eas ignoraret. Fuiſſe quoque virum bonum Minoem, ex eo probat, quòd in ipſius legibus nihil fuerit immutatum,

tum, quòd ab omnibus haberentur magna æquitate eſſe conſcriptæ. Poſtremò, quærit quid medicus præcipiat valetudinis tuendæ cauſſa? quumque ille diceret, nutrimentum & corporis agitationem atque motum, nunc remiſſiorem, nunc vehementiorem: rogat, quid legiſlator & populi paſtor adhibere debeat, quò ſuorum hominum mores & animos meliores faciat? quumque præſens reſponſum Minos non haberet, ait pudendum eſſe, ſcire aliquem quid valetudini & corpori ſit neceſſarium, quid autem animæ conferat, ignorare. In eo qui *Politicus* inſcribitur, vel *de Regno*, qui libros de republica & legibus antecedit, declaraturus, quàm ſit inſigne munus, præeſſe alicui Reipublicæ, & quibus rebus oporteat eum, qui bene gubernare velit, inſtructum eſſe, principio diuidit ſcientias, & aliam eſſe dicit Theoricam, aliam verò Practicam. Eius qui rempublicam adminiſtrat, functionem ait eſſe theoricam magis quàm practicam. Manus enim & reliqua corporis membra prope nihil cõferre, prudentiam verò & animi robur, quam plurimum: Architectũ etiam vix vmquam vti miniſterio manuum, ſed iis, qui mani-

bus vtuntur, præeſſe. Theoricam deinde diuidit in Iudiciariam, & Imperatoriam. & quoniam plures in republica ſunt qui mandant aliquid & præcipiunt, apparitores, præcones & id genus alii: idcirco, quẽadmodum caupo differt ab eo, qui proprium opus vendit, ſic etiam à rege inquit differre præconem, qui regis mandatum aliis ipſe pronunciat & mandat. Poſtea deſcendit ad prolixam diuiſionem eorum omnium quæ generantur. Quædam enim, inquit, ſunt animata, quædam inanimata, de quibus nihil præterea loquitur: ſed animata partitur in hominem & bruta, quorum aliud eſt ferum, aliud manſuetum, aliud aquaticum, aliud terreſtre, & in his aliud volatile, aliud gradiens, horũ autẽ aliud ſolida, aliud bifida vngula, cornutum aliud, aliud abſque cornibus, aliud promiſcuè generans, vt equi, aſini, muli, aliud in ſuo tantum genere, aliud bipes, aliud quadrupes, bipedũ aliud pennatum, aliud implume, quod ad hominem proprè refert. Hoc autem in loco diuertit ad fabulam & recitat, quomodo mundus initio fuit gubernatus à dæmonib. & quàm felicia, quamque aurea tunc fuerunt ſæcula, quum nihil eſſet incultum aut agreſte, quum tellus ipſa ſponte victum & omnia præberet, quum nulla vis, nullum bellum

bellum intercederet, quum abſq; legibus honeſtè & amicè viueretur. Talem fuiſſe mundi faciem, quo tempore Saturnus vixit: ab eius verò morte ait homines dæmonum cuſtodia & prouidentia deſtitutes, quum in omnium rerum conuerſione, mutatis etiam brutorum naturis & efferatis, expoſiti eſſent variis periculis, excogitaſſe in ſumma neceſſitate, quę ad tuendam vitam conferrent. Sed ne hac quidē in parte aliquid præſtare potuiſſe abſque deorum auxilio: nam à Prometheo fuiſſe inuentum ignē, artes autem à Vulcano, & rationē colendæ terræ ſeminumque ab aliis demonſtratam eſſe. Redit deinde ad propoſitum, & ait functionem eius, qui præeſt hominibus, valde eſſe illuſtrem, & licèt multi alii nomen hoc vſurpare ſibi velint, quaſi populi ſint Paſtores atque Nutricii, cuiuſmodi ſunt mercatores, agricolæ, gymnaſtæ, medici, eò quod victum ſubminiſtreat & valetudini conſulant, tamen ei ſoli proprium eſſe nomē illud, qui populum legibus moribusq; regit. Eū verò ſic deſcribit, vt dicat arte quadam imperare, neq; referre an volentibus imperet an inuitis, an ex ſcripto, nec ne, pauper ſit an diues. Vt enim medicus & habetur & verè dicitur, qui morbos quocumque modo depellit, & ægrotos vale-

tudini reſtituit: ita etiam qui populi ſalutem procurat, eoque ſolum reſpicit, hunc ait legitimum eſſe principem atque magiſtratum. Poſthæc recenſet formas reip. & Monarchiam, ſi cum legibus coniuncta ſit, optimam eſſe dicit: quod ſi verò legibus non vtatur, grauiſſimam eſſe populo demonſtrat. Inter legitimas reip. formas, Democratiam ait eſſe deterrimam, inter iniquas autem, longe optimam. Poſt regiam aut ciuilem ſcientiam proximè ponit artem rei militaris, deinde Iudiciariam & Oratoriam, quas ait legum eſſe cuſtodes atque miniſtras. Quod etiam ſuprà dixit in libro de legibus, idem hic tractat, oportere videlicet naturam eſſe mixtam atque temperatam, neq; ſingularem aliquam in nobis luxuriari. qui enim ingenio ſit nimium pudente atque modeſto, euadere molliuſculum: in quo autem animi robur & audacia paullò ſit maior, eum ad feritatē magis propendere quàm humanitatem. Itaque dandā eſſe operam, vt eorum, qui matrimonia contrahunt, naturæ ſint diſpares atque diuerſæ, vt quod in vno videtur eſſe nimium, alter coniugum moderetur atque leniat.

FINIS.

IO-

IOHANNIS SLEIDANI ORATIONES DVÆ.

Vna, ad CAROLVM *Quintum Cæſarem.*

Altera, ad Germaniæ PRINCIPES *omneis, ac ordines* IMPERII.

Cum Præfatione, quę paucis argumentum explicat.

Digitized by Google

IOHANNES SLEIDANVS Lectori S. D.

Cripta ſunt à me lingua Germanica Orationes duæ, quæ prodierunt ſub nomine Baptiſtæ Laſdeni, *& prodierunt ſub eo nomine, non tàm mea quadam ſponte, quàm ſic volentibus amicis, qui putabant meis rationibus ita conuenire, quamdiu non eſſem in Germania, iiſque locis hærerem, in quibus argumentum hoc minus gratum eſt, atque plauſibile. Quantum enim ad me pertinet, liberalius & magis ingenuum ſemper eſſe putaui, non diſſimulare vel tegere nomen in libro, quem edi quis velit, ne quid agi videatur callidè magis quàm verè, tametſi fieri poſſe non negarim, vt ſit locus aliquando diſſimulationi. Germanicè vero ſcripſi non alia de cauſſa, quàm vt ii, ad quos propriè pertinent, melius intelligerent: quæ cauſa fuit etiam, vt alterã ad Cæſarem, Gallica lingua perfecerim. Equidem hoc ſolum ſpectaui, vt Cæſar, quem reuerenter agnoſcere debemus & colere, veluti præcipuum & ſummum Germaniæ Magiſtratum, expediat ſe ab iis vinculis, quæ curſum ipſius remorantur,*

tur, quò minus, quod res ipſa poſtulat, temporumque ratio, perficiat. Qui ſecus interpretantur, iniuriam mihi faciunt, quod per hæc Comitia quidam fecisſe dicuntur, ſed perpauci quidem illi, quorum iudiciis nihil moueor. Verum propter alios, ipſorum planè diſſimiles, quibus fortaſſe non improbabitur hic meus labor, vtramq; orationem Latine iam ſcripſi, quarum illa, quæ eſt ad Imperii Principes, commemorat ortum, incrementum & occaſum Pontificatus. Altera, quæ Cæſari eſt dicata, poſteaquam oſtendit, hanc religionis cauſſam, quæ cõtrouertitur, à Deo profectam & excitatam eſſe, demonſtrat, Iuſiurandum illud, quo Pontifici Cæſar eſt obligatus, tyrannicum eſſe, neq; vim vllam habere; & hæc quidem eſt poſterior. Illam ergo, quia tẽpore prior eſt, antepoſui, quibuſdam in ea mutatis & adiectis, ob ea, quæ non ita pridem in hanc cauſſam inciderunt. Ceterum ea, quæ pertinent ad pactiones & res geſtas Regum & Pontificum, noſtris praſertim temporibus, petita ſunt ex ipſis Regum ſcriptis, quorum aliqua ſunt excuſa typis, alia, licèt nondũ promulgata ſint, ipſum tamen fortaſſe tẽpus aliquando proferet. Hæc ſunt, de quibus te commonefaciendũ eſſe, Lector, putaui. Vale. *Argentorati, ſeptimo Calendas Iulii, Anno M D X L I V.*

IOHANNIS SLEIDANI ORATIO AD PRINcipes ac Ordines omneis Imperii.

ETſi prȩter decorum eſſe videri poſſit, hominem priuatum inſtituere ſermonem apud vos, illuſtriſſimi Principes, qui & ipſi magnam habetis rerum prudentiam, & conſiliariis ornati eſtis, viris ſapientiſſimis: Tamen, quoniam exulceratiſſima ſunt hæc noſtra tempora, quoniam in deterius omnia pedetentim abeunt, & quia maximæ ſunt, tam publicè quàm priuatim offenſiones animorum in Germania, putaui me facturum ex officio, ſi forte poſſem, & vobis prodeſſe & communi patriæ, vt nihil in eo prætermitterem. Ducit enim eô me natura, quæ totum quidem genus humanum, & omnes vbique gentes nobis commmendat, inprimis autem eos, à quibus ortum habemus & educationē. Vt igitur in hanc partem, ea, quæ ſum dicturus, accipiatis, vehemēter obteſtor. Medea Poëtarum celebrata

ſcri-

ſcriptis, miſeriam & infortunia ſua deplorans, ait inter cætera, videre ſe quidem id, quod rectum eſt, non obtemperare tamen, & ſequi deterius conſilium. Hac etiam ætate noſtra, multi, non dubium eſt, vident, qua ratione iuuari poſſit, atque ex his malis eripi Germania, ſed negligunt; & incogitantia quadam perpetua differunt, quaſi tempus ipſum aliquam ſit allaturum medicinam, cum interim tamen videant aliam ex alia naſci calamitatem. Et primum quidẽ cogitandum eſt, quemadmodum ad vos delata ſit Imperii dignitas, & conſiderandum vobis, quantum ſit hoc Dei beneficium. Nec enim leue eſt nomen Imperii, & nihil exiſtit in rebus humanis aut illuſtrius, aut ſublimius. Nã quocũmq; Deus tranſtulit illud, ibi quoque magnum ſemper eſſe voluit præſtantiſſimorũ ingeniorum prouentum, & alias complures eximias dotes adiunxit, vt ſine quarum acceſſione tanta rerum moles rectè gubernari non poſſit. Elaborandũ eſt igitur vobis, clariſſimi Principes, vt hanc ipſam Imperii formam, in anguſtias nunc redactam, & modicis finibus incluſam, ſi non augeatis & amplificetis, ita retineatis tamẽ & conſeruetis, ne transferatur à vobis ad externos, quemadmodum à Græcis ad Roma-

nos tranſiit, quorum tam eſt humile primordium, vt niſi miraculo tribuatur totum & diuinæ potentiæ, humana mens comprehendere non poſſit, quomodo in tantam molem excreuerint. Poſteaquam enim facinoroſis hominibus aſylum ibi patefactum fuit, ac veluti portus, in quem ſe reciperent, coaluit ex ea multitudine ciuitas, qui deinde vicinos populos maximis affecerunt iniuriis, eripiendo non ſolum bona, ſed virgines etiam filias è complexu & ſinu parentum. Quæ quidem fuit prima belli cauſſa. Et quoniā à Deo præfinitum erat, vt in immenſum creſcerent, quotidianis prœliis ita paulatim aucti ſunt, & locupletati, vt Italiâ minime contenti, bellum etiā inferrent exteris nationibus, & egreſſi limites, Africam quoque & Aſiam tentarent. Quâ ipſorum fortunâ concitatæ aliæ gentes, voluerunt impetus eorum, ſi non frangere, ſaltem coercere, ne longius euagarentur. Hoc inprimis conati ſunt Carthaginenſes, ac tanto quidem ardore, vt non modo non depellerent à ſe vim hoſtilem, ſed de ſumma quoq; rerum decertarent cum ipſis. Quæ tamen res infeliciter eis accidit, & vltimam demum calamitatem attulit, eo quod ſic eſſet haud dubiè ſtatutum à Deo, vt Romanum imperium eſ-

ſet

ſet omnium longè potentiſſimum, ac ſuos haberet annorum terminos. Armis igitur & vi ſuam potentiam non modo ſtabiliuerunt initio, ſed & conſeruarunt deinceps, & labefactatam reſtaurarunt, donec tempus à Deo conſtitutum, & ſacris notatum literis, totum exiiſſet, ac alius, velut infititius quidam princeps, ac dominus eſſet exortus Romæ, in ipſa Imperii ſede, & tanquam ad latus Romani Cæſaris. Qui quidem nouus princeps, nullam initio dabat ſignificationem, quaſi cogitaret Cæſaris authoritatem imminuere, ſed Eccleſiæ tantum negocia curabat, & quamdiu hoc ſolum agebat, tamdiu florebant Cæſaris imperiique vires. Poſtea verò cœpit cogitare, quemadmodum illam religionis & ſanctitatis opinionem, fructuoſam ſibi faceret, ideoq; Cæſarem non dubitauit interpellare, quò principatum obtineret in omnes alias Eccleſias, hanc prętendens cauſam inter alias: Romam & fuiſſe, & habitam ſemper eſſe rerum dominam, & nunc adeo facile primum ſibi vendicare locum inter omneis orbis Chriſtiani ciuitates: ęquum igitur eſſe, vt eius vrbis Epiſc. gradu & dignitate pręſtaret aliis. Difficillimũ hoc fuit eis impetrare: Nam vt Cæſares maximè voluiſſent, aliarum tamen gen-

tium Epiſcopi, ſumma contentione repugnabant; cauſas etiam, cur id facerent, adferebant graues & legitimas, ita quidem, vt eſſet diuturna lis, & intricata valde, recuſantibus aliis Epiſcopis, & ipſum non aliter agnoſcentibus, quàm vt collegam, & æquali cum ipſis poteſtate præditum. Nihil tamen interim remittebat hic de ſuo ardore, ſed inſtabat perpetuò, donec à Phoca Cæſare, quod volebat impetraſſet. Hoc tanto munere & priuilegio tam inſigni, decebat eius animum expletum & ſatiatum eſſe, adeoque videri poſſit vtcumque tolerabile, ſiquidem hanc authoritatem ad plurimorum ſalutem conuertiſſet; ſi leniter, moderatè, & æquabiliter officium ſuum feciſſet, ſi iuſtitia & temperantia cum aliarum Eccleſiarum præfectis decertaſſet. Quia verò tam longo tempore, rem tantam, adeò ſollicitè, & ardenter expetiuit, dubitari non debet, quin idem artifex, qui Chriſto ſeruatori noſtro in montem ſublato, regna pollicebatur & imperia mundi, huius etiam ambitionis author extiterit. Tàm enim eſt immenſus, immoderatus, & ſupra ſortem humanam, hic principatus, vt etiamſi, vel inconſiderantia quadam, vel benè merendi ſtudio & liberalitate, Cæſares ei detuliſſent hunc hono-

honorem, omnia tamen potius ei cogitanda fuerint, & illud in primis, quod Chriſtus eiuſmodi contentionem in ſuis diſcipulis acriter admodum reprehendit. Porrò, quum in hoc faſtigium beneficio Cæſarum euaſiſſet, auſus fuit maiora ſibi deinceps polliceri, neque iam dubitabat, quin ampliſſima quæque poſſet perficere in illa veneratione & cultu Religionis, verum lentè & diſſimulanter progrediens, tentabat principum animos. Cæterum, à morte Conſtantini Cæſaris, qui primus ad Chriſti doctrinam animum adiecit, centũ ferè poſt annis, valdè fuit debilitatum imperium Romanorũ, adempta fuerunt eis Gallia, Britannia, Germania: Italiam occupabant Hunni, Africam Vandali, tantaque fuit diſſipatio rerum omnium, vt amiſſis, quæ ſpectabant Occidentem, prouinciis & regnis, ad Orientem ſe conuerterent Cæſares, ibique ſedem locarent. Poſt hanc tàm inſignem calamitatẽ & imperii debilitationem, natum eſt inter Cæſarem & Epiſcopum Romanũ ingens diſſidium, cuius hęc fuit inter alias vnà, & ea quidem potiſſima cauſſa, quod Cæſar iuberet ſtatuas, & imagines è templis auferri: Cui quidem Cæſaris mandato Romanus Epiſcopus adeo reſtitit acerbè, vt tandem non dubitaret

ei ſacris interdicere. Tantũ extulerat iam animos. Et quoniam vigebant per Italiam bella, ne Romanus quidem Epiſcopus erat extra periculum, ſed infeſtabat eum inter alios, Inſubrię quoque Regulus, cuius impetum & arma non poterat à ſe depellere, vt qui non tam latè dominaretur, quàm hodiè. Deinde, ſic erat meritus de Cæſare, nullum vt ab eo poſſet auxilium ſibi polliceri. Secundum hoc eſt & alterum Imperii vulnus, hoc ilicò fuit exceptum ab alio maiori. Nam eodem prope tempore, quo Romanus Epiſcopus principatũ illum ſuum impetrauit, quod ducentis ferè annis poſt amiſſum Occidentis imperium accidit, Mahometus ad plagam Orientalem exuſcitatus eſt, ac præter eum alii complures, qui coniuratione factâ, vehementer affligebant Imperii robur. Et ne quid omnino, quod ad calamitatem pertinet, prætermitteretur, cum Cæſares authoritatem ſuam retinerent incolumem, & ſatis præ ſe ferrent, quidquid eſſet dignitatis, potentiæ & ſplendoris in Epiſcopo Romano, totũ hoc ipſis deberi, ille animaduertens non ſe poſſe, quô vellet, peruenire, cœpit inire rationes, quomodo non ſolum hanc ſeruitutem excuteret, verum etiam in ſummo gradu conſtitutus, aliis dominaretur,

indi-

indignum eſſe putans, cum eſſet Epiſcoporum princeps, agnoſcere ſuperiorem magiſtratum, aliam inueniri poſſe viam, excitaturum ſe quemuis alium, qui ſuâ voce declaratus Romanus Cæſar, cauſam haberet viciſſim bene de ipſo merendi. Quoniam verò Francorum reges, ac Pipinorum familia, ſeruauerant ipſum, quò minus à Longobardis opprimeretur, Carolum Magnum, qui totâ Italiâ profligauerat hoſtem, delegit, eumque Cæſarem denunciauit. Ad eum modum, nouus hic vrbis Romæ dominus, tenuis & miſer initio, magiſtratum legitimum à Deo conſtitutum, deque ipſo præclare meritum eliſit, & poteſtatem ſibi ſumpſit inauditam, deſignandi alium Cæſarem, in eaque re, ius illud, quod vel ad ſenatum populi Romani, vel ad exercitus Romani duces pertinebat, vſurpauit, & Imperii vires hoc ipſo conſcidit, & conſecutus eſt quæ voluit. Primum, vt animum expleret, ac priſcum Cęſarem vlciſceretur; deinde vt Caroli Cæſaris, eiuſque ſucceſſorum prępſidio munitus, locum ſuum tueretur: poſtremo, vt viam ſibi ſterneret, ſuiſque poſteris, quò locum aliquem & authoritatē obtinerent in creando Cæſare. Nam eliſus ille Cæſar antiquus, habebat iuſtiſſimam offenſionis & ingratitudinis expro-

brandæ cauſſam; hic autem recens creatus Cæſar, non poterat non agnoſcere ſummum Epiſc. Rom. ſtudium & propẽſionẽ erga ſe. Sic igitur Imperium, quod vnicum erat antea, factum eſt duplex, quæ res non potuit non eſſe maximorum diſſidiorum cauſſa. Nam & grauiſſimæ poſtea natę ſunt offenſiones inter Orientis & Occidentis Imperatores, nec ſolum inter eos, verumetiã inter Eccleſias vtriuſque plagæ. Tale ſpectaculum præbuit Romanus Epiſcopus, vt Cæſarem orbis principem, cui ne Chriſtus quidem homo, voluit ademptum eſſe quidquam de ſuo iure, deturbaret è ſollo. Cæterum, penes Caroli poſteritatem manſit Imperium aliquamdiu, quod ægre ferebant Itali proceres, cogitantes, in armis & robore militari poſitum eſſe, vt Cæſar aliquis euaderet. Coniunctis igitur viribus, obduxerunt Berengariũ quendam, eumque Cæſarẽ ſalutarunt, qui grauia bella geſſit cum Ludouico tertio, nec infeliciter. Ille verò, qui poſtremus fuit huius nominis Cæſar, ob ſuperbiam & tyrannidem incurrit in plurimorum odia, de quo certior factus Otho Saxoniæ dux, & inuitatus ad moliendas res nouas, cum exercitu in Italiam venit, profligatóque Berengario, Romam inde contendens, inauguratio-

tionem Imperii ſuſcepit à Pontifice. Quia verò de Imperii dignitate certamen erat perpetuum, inter Italos præſertim & Gallos, & Germanos, cœptum eſt cogitari de conſtituendis per Germaniam principibus aliquot, qui poteſtatem haberent creandi Cæſaris, vt hac ratione via pręcluderetur exteris gentibus, idque factum eſt, quo tempore Saxoniæ Dux, Otho tertius Imperium adminiſtrabat, & Gregorius quintus Germanus, Romæ præſidebat Pontifex, qui ſuarum partium, & propriæ commoditatis minime negligens aut oblitus, perfecit, vt ex illis, qui Cæſarem deinceps crearent, eſſent tres ordinis Eccleſiaſtici. Quod plærique putant ideo fuiſſe conſtitutum, vt in re tam graui & ardua, reliqui principes haberent ſocios & collegas, viros eruditione ac vitę integritate præſtantes. Verum vtcumque ſit, certum eſt, hoc eô factum fuiſſe conſilio, vt poteſtatem, quam arrogauerat ille ſibi, in Imperii negociis, hac etiã via confirmaret. Quod ipſum non velim intelligi, quaſi cogitẽ aliquid detrahere authoritati Electorum Eccleſiaſticorum, & vt ne quis in eam partem interpretetur, etiam atq; etiam rogo. Verumtamen, contendent hîc fortaſſe quidam, & Pontificem Romanum benè de nobis

meritum eſſe prędicabunt, qui tam illuſtrem honorem, qualis eſt Imperii dignitas, in noſtram gentem inuexerit, quantum in ipſo fuit. Fateor equidem, & ſanè ſit reprehēdendus homo Germanus, qui non gratuletur communi patriæ ſplendorem hunc, & amplificationem nominis. Verum aliò ſpectat hic ſermo, & hoc ſolum ago, vt appareat, ab eo tempore, quo Romanus Epiſcopus Cæſarum ſe negociis immiſcuit, Imperii res in dies magis atque magis labefactatas, & poſtquam ad Germanos priuilegium illud delatum eſt, ita fuiſſe depreſſas & arctatas, vt nihil ferè præter inanem titulum retineant. Ortæ ſunt ingentes inter eum & Cæſarem contentiones, ob immenſam iſtam arrogantiam & cupiditatem: Non potuerunt eam ferre inter alios, Henricus Quartus, non Fridericus Primus, nō Secundus, aduerſus quem ille fuit acerbiſſimè concitatus; quoniam & proſcripſit eum, & indignum iudicabat, qui Cæſar eſſet, & principibus mandabat, vt alium crearent, & omnes pariter homines commouebat, ne parêrent ei, vel vllum præſtarent officium. Hæc omnia continentur in ipſorummet libris, quo etiam loco Friderici primi laudatiſſimi Cæſaris, meminit odioſiſſime. Cum Henricus

Cæſar,

Cæſar, dux Lutzenburgenſis, recuſaret ſubire iuſiurandum illud ſeruile, metuens Pontifex, ne res traheretur in exemplum, excogitauit formulam iuriſiurandi longe ampliſſimam, & literarum monumẽtis prodidit, in qua nihil omnino prætermiſſum eſt, ita quidem, vt nullus vnquam libertus arctiori vinculo fuerit obligatus patrono ſuo, quàm hodiè Cæſar deuinctus eſt Epiſcopo Rom. ſuo quondam clienti. Complectitur autẽ hæc formula, *vt Cæſar Eccleſia Romana & Pontificum opes, & dignitatem, & priuilegia, & decreta modis omnibus conſeruet, augeat & defendat.* Hoc veluti freno cohercet & impellit eos quò vult. Et ſane, vt ex emendicato principatu fructum perciperet ac emolumentum, neceſſe fuit ei nouum excogitare doctrinæ genus; ideoque variis conſtitutionibus ita ſe muniuit, vt nemo, niſi qui notam infamiæ & perfidiæ ſubire velit, quidquam auſit contra moliri. Hæc enim probra & conuicia, magnis ſępè viris obiecit, qui nihil tamen in ipſius doctrina reprehendebant, infelici nimirum ſæculo, ſed immoderatæ ſolum ambitioni, & libidini modum aliquem ſtatuere cupiebant. Verum honeſtiſſimos principum conatus artibus ille ſuis eludebat: nec enim foris apud alios reges deerant ei

præſidia. Cumq; Cæſares exacerbatos à ſe non auderet in Italia expectare, ſæpè aliò profugit ad confœderatos. Et iſta quidem perpetuatione diſſidiorum & moleſtiarum, peruicit tandem, ita quidem, vt Cæſares redderet obſequentiores, eiſque pro ſuo arbitratu imperaret, in eóque ſtatu floruit ab aliquot iam ſæculis, ad hoc vſque tempus, quo Deus illuſtrem quandam & lætam rerum viciſſitudinē adduxit. Poſteaquam enim in ſummum faſtigium ille conſcendit faſtus atq; ſuperbiæ, ſeque pateretur, vt Deum aliquem coli, quod nemo negare poteſt; Deus verbi ſui cognitionem obſcuratam ab illo, produxit, vt clariſſimum Solis lumen, idque primū intra Imperii Germanici terminos, quod ipſum eſt conſideratione nō indignum. Qui iam veritatis cupidi ſunt & amantes, vt eſſe debēt, quotquot Chriſtianum nomen profitētur, in iſta concertatione & hæſitatione, dum in dubio ſunt & ignorant, quid potiſſimum ſequantur, inquirere debent & inueſtigare, num ſit alicubi ſacris literis proditum, eiuſmodi futuram aliquando perturbationem, tàm in Religione quàm in Imperio, quòd maieſtatis fuit plenum quondam & longè florētiſſimum. Nam ſi quid tale prænunciatum eſſet à Prophetis aut ab Apoſtolis,

lis, cõfirmare ſe poſſet humanus animus, & certa conſolatione ſuſtinere, qui alioqui, nihil tale requirens aut cognoſcens, fluctuat, adeoque deſperat propemodũ, & opiniones multas, aliis alias accumulat, nec certi quidquam ſtatuere poteſt. Quamquam verò diiudicari prophetiæ non ita facile poſſint; habent tamen ſemper notas aliquot & circumſtantias, quæ reddunt eas clariores. Non fruſtra prodidit illas Deus, & inter cætera, hoc adferunt boni, quòd præſignificant nobis futuras calamitates, vt caueamus, vt ad pœnitentiam excitemur, vt vitam emendemus, & vt magnis animis expectemus, quæ ventura ſunt in impium orbem, incommoda. Iam ſi plerique omnes non tam eſſent vel excęcati, vel pertinaces, vel negligentes etiam, & in his rerum motibus iudiciũ peterẽt è ſcripturis, haberent, quo ſe munirent, & conſolarentur. Præſens enim rerum ſtatus, & ea mundi facies, quam coràm videmus, omninò ibi deſcribitur. Et principio quidem, de quatuor maximis Imperiis, ordine ſucceſſuris, aperte loquitur Daniel ac copioſè, nõ vno in loco; ſed inprimis de Romano, quod poſtremũ eſſe dicit, & ex illis quatuor omnium potentiſſimum. Ferreum enim illud vocat, & ſicut ferrum emollit

& contundit omnia, ſic quoque futurum dicit, vt iſtud Imperium frangat & imminuat reliqua omnia. Sed pedes illius & digitos pedum, dicit partim eſſe ferreos, partim ex terra fictiles: hoc ipſo denotās, futurum, vt ad extremum ſcindatur & debilitetur. Poſt, alio quodā loco dicit exoriturum regem quendam vehementer aſtutum & callidum, qui potens euadet alienis non ſuis aut viribus, aut robore, qui turbabit & vaſtabit omnia, qui piis bellum inferet, eoſque perdet, qui ſupra regum regem ſeſe efferet, qui verum illud & antiquum & perpetuum ſacrificiū abolebit, ſub quo laborabit grauiter, & opprimetur veritas, qui pro ſua libidine & arbitratu dominabitur, cui feliciter omnia cedent, qui Deum ſuorum maiorū aſpernabitur, qui non afficietur honeſto & licito erga mulieres affectu, qui nouū ſibi Deum finget, eumque colet auro & gemmis, qui diuitias orbis largietur & diſtribuet in eos, qui adiutores ipſi erunt in excolendo illo, quem ſibi finxit, Deo, qui modis omnibus florebit, donec efferbuerit ira Dei, tunc futurum, vt corruat, & ſine armorum ſtrepitu labe factetur totus. Hæc, inquam, omnia ſunt à Daniele præſignificata. Iam verò quātum ad Romani Imperii ruinā & occaſum pertinet,

net, conſtat vaticinium hoc impletum & perfectum eſſe. Quidquid enim Romani vel per Europam vel Aſiam, vel Africam tenuerunt, occupatur totum ab aliis regibus & populis, qui Cæſarem noſtrum Romanum minime agnoſcunt. Et quamquam nomen adhuc retinemus eius Imperii, ditiones tamen prope omnes amiſimus. Vnâ verò cum interitu & diſſipatione Romani Imperii, maximam quoq; futuram eſſe religionis, ac verę doctrinæ vaſtationem, ex hoc Danielis loco ſatis clarum eſt. Et quamquam ſunt in Daniele, quæ propriè pertinent ad Turcarum dominationem & monarchiam; tamen ea, quæ commemoraui ſupra, Paulus ipſe, fortaſſe præter omnium exſpectationem, diſertè interpretatur de regno quodam Eccleſiaſtico ſeu Pontificio, quando futurum dicit, *ut ſedeat in templo Dei*, quo quidem loco repetit ipſiſſima verba Danielis, & loquitur de filio quodam perdito, & nefario, quem *hominem peccati* vocat ipſe, *qui ſeſe extollet ſupra omne quod dicitur Deus*. Hunc ait futurum inſignem Tyrannum & diſſipatorem Eccleſiarum, qui diu floreat, & regnet, ac ſummam impietatem exerceat, ſub ſpecie religionis, quæ teget ipſum, ac veluti fuco quodam ornabit, ne poſſit agnoſci; deinde, poſtea-

quam diu graſſatus ad hunc modum fuerit; & ad ſummam improbitatem peruenerit, ita quidem, vt nihil adiici poſſit, futurum, vt reueletur, & agnoſcatur ab omnibus, vt corruat & pereat, non alio vel inſtrumẽti, vel telorũ genere, quàm ſpiritu oris Dei & prædicatione verbi diuini. Cedo, quis hic erit tyrannus? quibus in locis inueſtigabimus? an aduenisſe credemus, an verò ſub ipſiſſimum mundi finem expectabimus eum? Vt aliquando veniat, & ad eum modũ regnet, ſicut ſcriptura prædicit, oportet. Non graſſabitur autem vi armorum, ſicut alii reges. Non fuit igitur quiſquam ex Romanis Imperatoribus, non Nero, non Caligula, non Heliogabalus, non Commodus, non id genus aliæ peſtes. Non fuit vel Alaricus, vel Totila, vel Genſericus, vel Odoacer, vel quiſquam alius eorum, qui Europam & Africam bellis concuſſerunt. Non fuit vllus vel Sarracenorum, vel Turcarum princeps, qui per Aſiam dominati ſunt. Quidquid enim hi gerebant, palàm fuit, nemo non agnoſcebat eos eſſe graſſatores violentos, & Tyrannos immaniſſimos. Hic autem noſter, quem quærimus, quem inueſtigamus, erit ſupra modum crudelis, nec tamen agnoſcetur. Quanam igitur ratione teget ac diſſi-

diſſimulabit ſuam tyrannidem? certè, ficta religionis & ſanctimoniæ ſpecie. Occupabit igitur authoritatem in Eccleſiis? omnino. Conferamus nunc iſtam Danielis & Pauli deſcriptionem, hiſque noſtris temporibus eam accommodemus. Nullum enim fuit vnquam tempus, quo clarius hæc vaticinia potuerint intelligi, quàm hoc noſtrum, & qui ſuperſtites erunt poſt nos, melius haud dubie ſunt intellecturi quædam, quæ nobis adhuc obſcuriora videntur. Sed interim videamus illa, quæ diſſimulare diutius, vel ignorare non poſſumus. Cogitemus qui fuerit ſtatus rerum in noſtra Germania, quæ forma religionis ante annos viginti quinque: Nonne res eô deuenerant, vt homo ille nequam & ſceleroſus exhiberet ſe coram omnibus, in templo Dei ſedens, velut numen aliquod terreſtre, colendum & propè adorandũ? Fierine poteſt, vt furioſior & immanior vlla ſuſcitetur idololatria? Nonne humana omnia pendebant à ſolo iuſſu, & arbitratu numinis Romani? Nonne quicquid aut mãdabat, aut prohibebat, id obſeruabant omnes, tamquam ipſius Dei voce pronunciatum? Nonne quocumque vellet, omnes pariter homines ducebat? Qui rex, qui princeps authorita-

tem eius impugnabat, aut non potius omni ratione iuuabat? Quis alius, præter eum, exuit honeſtum erga mulieres adfectum, ſeque nefariis libidinibus contaminauit? Quis maiori contumelia matrimonium adfecit, vt qui magnę hominum portioni prohibuit, & ademit illud, tanquam impurum quiddam ac minimè caſtum? Cui felicius vnquam & magis ex voto ceſſerunt omnia, quam huic? Quis alius prçter eum, iniquiſſimis rationibus inuaſit Eccleſiarum omnium facultates, eaſque diſtribuit ſuis coniuratis, qui fœdam illam & immenſam impietatem, atque tyrannidem eius propugnant & adiuuant? Nonne dominum ſe profitetur horum bonorum omnium, & vt verbo id non faciat, nonne reipſa poteſtatem hanc ſibi ſumit, vt ea largiatur quibus velit? Nonne propter hanc cauſſam obſeruatur, colitur, & tantum non adoratur ab omnibus? Nonne ſub eo grauiſſimè laborauit, ingemuit, & oppreſſa fuit veritas, ita quidem, vt ad recordationem eius temporis inhorreſcant etiam homines iudicio præditi? Nonne permiſcuit & conturbauit omnia, non ſolum in Eccleſiis & doctrina, verum etiam in ipſa Repub. ciuili? Romanorum Imperatorum vitam nemo deſcribere poteſt, aut hiſtoriam comme-

mo-

rorare, quin Romani quoq; Pontificis plurima fiat, & neceſſaria mentio. Quid hoc eſt rei? Cur ille potius, quàm aliarum prouinciarum aut ciuitatum Epiſcopi, ſic vbique conſpicitur inter medios reges atque Cęſares, tumultuans, ambiens, perhenſans, turbarum, ſeditionum, rebellionum author, iniens fœdera cum diuerſis, nunc profligatus ab vno, mox reſtitutus ab alio? Quænam eſt iſta rerum facies, quid in eo ſimile homini Eccleſiaſtico? quid non potius facit, quàm hoc ipſum, quod proprium eſt ipſius munus? An obliuiſci poterimus eorum, quæ noſtra memoria & hac ætate contigerunt in noſtro conſpectu, noſtris in ædibus & focis? Captiuos in acerbiſſima & miſerrima ſeruitute detinuit animos noſtros, impulit nos, & pertraxit in quamcumque voluit partem: Quicquid ei ſuaſit vel auaritia, vel faſtus, vel dominandi cupiditas, vel etiam ludificandi & deridendi ſtudium, non dubitauit id ipſum proponere nobis & mandare, velut ex ipſo Apoſtolorum ſenatu profectum. Neq; vero contentus tam acerbo & cruento ludo, facultates ac opes noſtras etiam diripuit, & exhauſit, cum tamen interim nihil eorum ipſe crederet, quæ nobis credenda, non minus quàm Chriſti vocem ac Euangelii doctri-

nam, præcipiebat, quæ nobis tanto preſcio vendebat, toties & tanta oſtentatione; in eaq; nundinatione vtebatur aptiſſimis organis, hominibus indoctis, impuris, flagitioſis, lenonibus, cocis, mulionibus, cinædis, hiſtrionibus, & id genus aliis proceribus, quibus nos propinabat non deridendos modo, ſed & excoriandos & dilaniandos; quibus, tamquam terreni numinis legatis, obuiam nos progreſſi magnâ lætitiâ & ſolemni pompâ, nullum non honoris ac beneuolentiæ genus certatim omnes impendebamus. Quid, an non iſtud eſt regnare? Nullus fuit vmquam tyrannus, qui nequitiam, & improbitatem ſuam ita occultarit, vt non agnoſceretur à potiſſima hominum parte; ſed iſte rerum dominus, graſſatur immaniſſimè, non per vnam aliquam rempublicam, aut prouinciam, ſed per omnem ferè Europam, & tamen non modo non agnoſcitur, verum etiam ita ſe comparat, & tam artificioſe crudelitatem ſuam tegit, vt colatur & obſeruetur ab omnibus, ac ſi, tamquam numen aliquod ſalutare, conſtitutus eſſet à Deo in hac miſera & calamitoſa hominum vita. Nonne reges omnes ac monarchæ fuerunt huius dominationis admirabundi ſpectatores & adiutores? Qui tametſi maiorem

iorem innocentiam & puritatem in eius vita fortaſſe deſiderabant aliquando, nõ tamen potuerunt eum agnoſcere; quoniam religionis opinione detinebantur; deinde, ſic erat, vt oporteret eum graſſari ad hunc modum, in ſumma omnium hominum ignoratione, & impunitate maxima, ſicut ſcriptura præſignificauit. Cum verò peruenisset ad ſummum gradũ impietatis, vt ſuperaddi nihil poſſet, adortus eſt ipſum Deus, intra Germaniæ & Imperii fines, vt ſupra quoq; diximus, & aduerſarium excitauit ei; non Regem aliquem præpotentem, ſed hominem priuatum & obſcurum, profeſſione tota & vitæ genere, ipſi quoque deuinctum. Et quamquã eô potentiæ creuerat; vt facile reges omnes cõtemneret, tamen; ad primam huius doctrinæ, quã ferre non poteſt, mentionem, attonitus, ilicò cœpit de remedio cogitare; quod totũ erat poſitũ in fulminationibus, & execrationibus, & interdictis, hoc etiam vehementioribus, quò grauius & acerbius oderat nouum doctorem; cuius libri & conciones, quò ſpectarent, & quantam eſſent ipſius regno, & aulæ cladem allaturi, ſtatim præſenſit, non tam ipſe, quàm ipſius præceptor & moderator, is, cuius ope & conſilio ſublatus humo, in tan-

tam ſe diffuderat amplitudinem. Idem hic præceptor, conſiliorumque rector, alia quoq; præſidia ſubminiſtrabat; è quibus illud eſt admodũ illuſtre, quòd mandat hominibus, vt non modo non legant ſuorum aduerſariorum libros, verum etiam ne Biblia quidem ipſa. Quis hic, cedo, tantus eſt furor? Scripturam Regius Propheta vocat lucernam, ac veluti facẽ, in tenebris prælucentem. Hanc ipſam facem præeuntẽ nobis, quâ nullo vmquam tempore poſſumus carere; multis ante ſæculis & extinxerat iſte, & nunc poſteaquam ſingulari & inenarrabili beneficio Dei patris iterum eſt accenſa nobis, denuo conatur omnibus modis deprimere, ne luceat, adeoque vult & mandat, vt ipſum ſequantur homines, nec ab eius aberrent veſtigiis, etiamſi ducat in præcipitium. Sic enim habent eius decreta, claris & diſertis verbis. Quamdiu regnum eius floruit, nihil erat ſollicitus, nec vmquam ei veniebat in mentem, vt ſacræ ſcripturæ lectionem inhiberet, cuius interpretationem, & diiudicationẽ omnes ab ipſo peterent, quicumque legebant, legebant autem valde pauci, puram & impollutam, & ii quidem omnes, variis ei nominibus obligati. Nunc verò, quum tempus adeſt, vt corruat, vt inſigne præbeat

beat orbi de ſe ſpectaculum, conatur eripere & extorquere hominibus inſtrumẽtum illud, quo ſuam impietatem ac ſcelera videt eſſe patefacta. Proximum, & alterum pręſidium eſt armatum, ſæuit igni, ferro, laqueo, fluctibus & vndis, vt agnoſcas artificem, illum antiquum humani generis hoſtem, qui cædibus & ſanguine delectatur. Vt autem ſit terribilior, exploratores habet per omnia regna, vocāt *Inquiſitores*, quibus hoc eſt commiſſum munus, vt eos omnes, qui dominam meretricem non reuerenter agnoſcunt, perſequantur. An non illud eſt, quod Daniel ait, futurum, vt piis bellum inferat, vt acerbiſſime oderit Euangelii doctores, qui populum erudiunt? Et quoniam, vt maiorem crudelitatem exerceat, opus habet regum & principum beneuolentiâ, tametſi iam ante ſibi deuinctos habet illos; nunc tamen obſeruat & captat eos, quacumque poteſt ratione; & hoc quidẽ eſt omnium maximè validum præſidium. Ac ſanè ſpecioſum eſt iſtud, & ad mouendum adfert non exiguam vim, habere videlicet Monarchas adiutores, ſocios & confœderatos. Quid verò, ſi & iſtam conſociationem, & amicitiam prænunciauit ſcriptura? Magna eſt profectò Dei benignitas, qui tam variis calamitatibus,

quæ incidunt in vitam piorũ hominum, tam illuſtres oppoſuit conſolationes, nec vllum eſſe patitur tãtum incommodum, cuius non exhibuerit medicinam in ſuis promiſſionibus & verbo. Quid enim poſſit commouere vehementius hominum animos, quam videre, Pontificem Romanum in maximis opibus & luxu florentẽ, & decernentem omnia pro ſuo arbitratu, munitum eſſe præſidio ſummorum Regum? Nonne, ſi rationis iudicium ſequantur, putent fruſtra ſumi laborem omnem? Certe non aliter ſtatuant, quàm temere Pontificatum oppugnari, qui tam denſo aggere & vallo ſit circumſeptus. Cur enim iſtud non cogitent, Pontifex ipſe maximam & vnicam propemodũ ſpem in eo poſitam habet: ſed cum ad ſcripturæ lectionem accedunt, vident illud ipſum, quo torquentur, & tantum nõ exanimantur, eſſe depictum ibi, velut in tabula, ſed ita depictum, vt cum in exordio nihil videant, præter ferratas acies, centauros, leones, gryphes, chimæras, ignem totis naribus ac faucibus efflantes dracones, ad extremum animaduertant hæc omnia, cœlitus delapsâ flammâ, ſubitò conſumi, ſic vt ne reliquiæ quidem vllæ ſuperſint. Vident enim non defutura quidem Romano Pontifici Regum

auxilia,

auxilia, ſed hoc prætereà vidét, futurum, vt quo ſublimius ille conſcendit, eò grauius & periculoſius decidat, & quo maioribus nititur regum præſidiis, eò vehementius conturbetur in animo, quando progrediente perpetuò irâ Dei, & magis ebulliente, principes, vel non poterunt, vel etiam temporibus ipſis mutati, nolent ei præcipitato & extremè laboranti opem ferre, quando deſtitutus & denudatus omni humano prę ſidio, videbit iram Dei contra ſe prorſus inflammatam, quando Theſiphone, ſicut eſt apud Poëtas, furiarum miniſtra, ipſius capiti ſemper imminens perpetuo flagello conſcientiā exagitabit, nec quietā eſſe permittet. Horrendum eſt profectò, concitare iram Dei; deſperatorum eſt autem, quum ad pœnitentiam nos inuitat Deus, non agnoſcere vocem eius & manum, ac impietatē augere blaſphemiis. Tanta enim eſt Dei patris erga nos miſericordia & charitas, vt quantumuis facinoroſos & impios, multis & claris indiciis atq; ſignis ad pœnitentiā vocet, ac vitæ emendationem. Acerbiorē & nocentiorē hoſtē Eccleſia Chriſti vix habuit vllū, quàm Pontificem, ſpacium tamen largitur ei Deus & ocium, vt ſcelus agnoſcat, vt veniam ſupplex petat, & de officio ſuo cogitet.

Anni ſunt viginti quinque,&eò plus,quo primum tempote cœptum eſt dubitari de poteſtate, quam ille ſibi ſumpſerat in omnes mortales. Quàm variis,quámque miſerabilibus interea precibus & exhortationibus ſollicitatus eſt? Detecti ſunt errores nimium fœdi; patefacti intolerabiles abuſus, ob oculos poſita non ferenda vitia. quàm ſit miſera & deploranda populi Chriſtiani ſeruitus & conditio in his errorum tenebris, quid omnes pii requirant & optent, quæ poſſit iniri melior in his omnibus ratio, ſic oſtenſum eſt, atque ita clare demonſtratum, vt qui poſthac illa velit ignorare, nullum ſit habiturus excuſandi locum. Ille vero magiſter & dominus animorum noſtrorum, quomodo ſe geſſit in his tantis lachrymis & ſuſpiriis omnium piorum? Quam vel ipſe, vel eius coniurati dederunt hactenus pœnitentiæ ſignificationē, aut quam etiam ſpem hodierno die præbent? Videt ex quàm humili&contempto principio,in quantam excreuerint amplitudinē aduerſarii. Videt eos nihil remittere de ſua cōſtantia,ſed magnis animis cauſam iſtā ſemel ſuſceptā, tueri & ꝓpugnare SS. literarum teſtimoniis & authoritate: Cur non mouetur hoc ſpectaculo tam triſti? Si putat iniuriam ſibi fieri, quin recorda-

tur

tur eius temporis, quo ſedẽs in ſolio ſublimi, cœlum precio vendebat hominibus? Cur non cogitat in illo ipſo faſtus & impietatis extremo faſtigio, vulnus hoc ſibi fuiſſe inflictũ? Quare non reſpicit & intuetur ſuam atque ſuorum vitam, & actiones omnes? Cur in mentem ei non venit, quàm tetris & pudendis artibus ad honores iſtos ferè perueniant? Num ignorat, Cardinales propè omnes vel ambitione, vel largitione; vel fraude, vel id genus aliis artibus ad hunc dignitatis gradum aſcendere? ne quid interim dicam de ipſis, qui vel veneno peremptis aliis, vel à ſororibus & neptibus commendati, non verentur poſtea nominare ſe, beneficio Dei, conſtitutos hic eſſe Chriſti vicarios. Hæc, inquam, omnia, vel partem ſaltem aliquam, ſi cogitaret, nonne credibile eſt, permoueri poſſe, vt ſpiritus remittat, & iuſtum Dei iudicium agnoſcat? Ille verò cogitet? imò furioſos & mente captos eſſe putat eos, qui contra, quam ipſe facit, ſentiunt, adeoque non fatetur culpam, vt nulla de re vehementius & ſæpius, quàm de vindicta & vltione deliberet. Vtque minori negocio, quò vult, perueniat, regum ſocietatem & fœdera ſibi coniungit. Hoc ipſum vero præſignificauit ſcriptura, quo loco depingit meretricem magnam, gemmis & auro mirificè

cultam & ornatam; cum qua fornicantur reges terræ, quæ poculum auratum propinat orbi, cuius vino ſunt inebriati omnes vbique populi. Cedò, num eſt elegans hæc atque illuſtris pictura? Qui ſectantur amores, in ſeruitutem aliquam ſe coniiciunt, & experiuntur illud, quod eſt in comœdiis, *Excluſit, reuocat, eoque maior eſt ſeruitus, quò venuſtior & ſpecioſior eſt ea, quam ſollicitamus.* Iam, ſi memoriã repetamus anteacti temporis hiſtoriã, videbimus breui quidem voculâ, ſed peritè tamen & ſignificanter omnia eſſe notata. Nam ab eo tempore, quo dominatum Epiſcopi Romani obtinuerunt in Eccleſiis, idem planè, quod in amoribus fieri ſolet, accidit inter eos & Cæſares. Poſt emendicatum enim principatũ, illi paulatim facti animoſiores, ornabant ac veluti conueſtiebant ſe magnificis titulis, donec augeſcente quotidiè faſtu & intemperantiã. Cæſarum quoq; authoritatẽ nõ dubitarent cõuellere. Quę quidẽ res materiam litibus atque diſſidiis præbuit, quę nunc aucta, nunc remiſſa, nunc conſopita, nunc redintegrata ſæpenumero fuerunt, donec tandem ſpecioſa meretrix, ad ineſcandum amatores inſtructa & ornata, mẽtes ipſorum, quod de Circe proditum eſt, transformaſſet. Nam & ipſius fronti

nomen

nomen inſcriptũ eſt, myſterium. Quamquam enim in rerum natura nihil eſt fœdius ipſa vel magis tetrum, ſic tamen eſt in ſpeciem culta foris, vt in eius complexus & oſcula ruant magno ſtudio principes, & orbis monarchæ. Secretũ eſt & non inueſtigabile Dei conſilium, qui ſic laxauit ei frenos, & hanc tantam licentiam tam longo tempore permiſit, & nunc demum patefecit nobis eam totam, & fucum detraxit. An non ingens illud eſt myſterium? Quis enim vnquã putaſſet, eum, qui ſe Vicarium Chriſti profitetur & nominat, eſſe tam nefarium & deploratè ſceleroſum? Sed ecce, & vim amoris, & artes illius. Quũ ætate & gratia floreret, omnibusq; videretur eſſe cultiſſima, ſic irretiuit ſuos amatores, vt ne hodie quidem, cum eſt prope detecta, ſuiſq; nudata coloribus, quum ad eius conſpectum plerique nauſeant, & exhorreſcunt, deſtituatur ab illis, quibuſcum ante conſueuit. Et quã eſt calliditate, quoniã & formæ & venuſtatis nonnihil ſibi periiſſe videt, idcircò muneribus & omnis generis officiis retinere ſtudet eos, & ſibi deuincire his ipſis rebus, quas blanditiis, aliisq; meretriciis artibus ante fuit ab eis cõſecuta. Nunc.n. ſubmiſſior eſſe videtur aliquãto factus erga reges ille quondã rerũ dominus, & ter-

ritator animorum, graues inſtituit criminationes & calumnias, vt aduerſarios lædat: mirificè ornat ſe titulis Eccleſiæ, Romanæ ſedis, Conciliorum & patrum; repetit ſuperiorum temporum memoriam, & oſtendit, quanto ſtudio Romani Cæſares Apoſtolicam ſedē, ac Pontificiam dignitatem ſemper defenderint, conſeruarint & amplificarint, eoque nomine ſubſidium ab ipſis petit, iniectâ quoq; mentione, per occaſionē iuriſiurandi præſtiti: Et quò facilius, quod petit, obtineat, omnem beneuolentiam eis defert, & facturum ſe quiduis in eorum gratiam pollicetur. Habent eius decreta, ne quis omnino princeps, quicumque ſit, poteſtatem ſibi ſumat, conferendi ſacerdotium, vel munus vllum Eccleſiaſticum, & eos, qui contrà faciunt, qui vel accipiunt, vel donant, execrantur, habent & illud, vt Eccleſiaſtici omnium rerum & ciuilium onerum habeant vacationem ac immunitatem; vtque in ſumma tranquillitate, vtantur fruantur ſuis annuis prouentibus. Ob iſta, & huius generis alia multa decreta, magnæ ſæpè contentiones, ac lites, nonnunquam etiam bella extiterunt inter ipſum & Cæſares, quemadmodum hiſtoriæ teſtantur omnes. Hodie vero ſe tēporibus accōmodat, multa largitur Regibus,

gibus, permittit, vt Epiſcopatus, & id genus alia conferant in quos velint, concedit, vt decimas & his maiora ſtipendia imperent hominibus Eccleſiaſtici ordinis; tribuit eis, quum opus habent pecuniâ, illam, quam vocant ipſi, *Cruciatam*, pulcherrimam & certiſſimam auri conficiendi rationem. Eiuſmodi, velut illecebris, ineſcat eos, & ita ſibi deuincit, vt quoties illi fœdus aliquod ineunt, aut pacificationem inſtituunt, in eo ſimul & ipſum ac ſedem Romanam comprehendant, & iureiurando confirment, ſe dignitatem eius, & amplitudinem modis omnibus propugnaturos. Quid? adeo ſe totum inſinuat in ipſorum amicitiam, vt filios, nepotes ſuos, atque neptes regum filiis & conſanguineis det in matrimonium. Si quem nouit in ipſorum aulis, gratiâ & authoritate præcellentem, hunc ſibi lucrifacit; huius aut filios aut cognatos amplificat honoribus, obtrudit Epiſcopatus vel Cardinalatum. Quamdiu enim nititur eorum gratia & beneuolentia, qui regibus intimi ſunt, nō eſt, quòd ſibi metuat, faciléque colligit, hos nihil admiſſuros, quod dignitatem, vt vocant Eccleſiaſticam, violare poſſit. Quinetiam adeò gratus eſt monarchis, vt in ipſius gratiam bella ſæpe ſuſcipiant aduerſus aliquem

vel principem vel ciuitatem, quod his noſtris temporibus vidimus, ideoque ſuos habet perpetuos & ordinarios legatos in regum aulis; qui cognoſcant, explorent, audiant, videant, pertentent & deguſtent omnia. Sed & ipſi reges viciſſim habent ſuos in illius aula. Nam operam quiſque dat, vt illum habeant quàm maximè beneuolum, ſummóque ſtudio cauent, necubi offendant. Interim ipſe, qui pulchrè perſonam ſuſtinet, mirum, quàm norit hæc omnia trãsferre in ſuos vſus. Et quãquam ipſorum perpetuus hic mos eſt, alere diſſidia principum, & reges ad arma concitare, nunc tamen videtur, eos velle, ſi poſſit, reconciliare: ſed nõ alia de cauſſa, quàm vt ipſos, pariter, & viribus coniunctos, educat in ſuos aduerſarios. Nã ſi certò ſciret expectatione ſe ſuâ caſurũ eſſe, neq; reges tale bellum aliquando ſuſcepturos, profectò, daret operam, non minus quàm ipſius maiores, ac omni ratione prouideret, vt eſſent quàm maximè diuturna; imò ſi fieri poſſet, ſempiterna bella. Superioribus annis difficillimum erat, moleſtiæque plenũ, vt galerum Cardinalitium quis impetraret ab eo. Non ſolum immenſa pecuniæ vi, ſed & regum opus erat commendationibus & interceſſione. Verum in hoc tempore;

quàm

quàm videmus multos in regum aulis? Porro ſenatus conſultum Baſilienſis Cōcilii cauet, ne ſint plures omnino, quàm viginti quatuor, duabus potiſſimum de cauſis. Primum, ne nimium oneretur Eccleſia; quod quomodo ſit intelligendum, ipſi norunt: deinde, ne ſi plures numero ſint & paſſim temere creentur noui, ſplendor ille huic ordini proprius & peculiaris, ipſa multitudine vileſcat; quamquam hoc tamen adiectum eſt, poſſe creari plures vrgente neceſſitate temporum. atque hæc fortaſſe cauſa eſt, cur hodie tam ſint numeroſi, nec ætatis habeatur ratio; quod ipſum videlicet pugnat cum eo, cuius meminimus antea, ſenatuſconſulto. Niſi enim titubantem videret ac è ſtatione exturbatam Eccleſiam ſuam Paulus tertius, non aſciſceret, opinor, in hunc patrum ordinem adoleſcentulos nepotes ſuos, Farneſios. quamquam fortaſſe tribuendum eſt aliquid agnationi & affectui. Cur autem regum aulas ita videmus inſignitas purpuratis patribus? Nonne deuincti ſunt variis nominibus Rom. Pontifici? Sunt certè; & quidem ſacroſanctè. Nonne iureiurãdo quoq; ſunt obſtricti regibus, quorum in aulis verſantur, & à quibus in concilium adhibentur? Non dubium eſt. Quomodo autem fi-

delem operam vtrique præſtent? Artem ipſi tenēt, licèt aliis difficillimum ſit. Hoc interim indubitatum eſt, eos eſſe Pontifici longè vtiliſſimos, præſertim hoc rerum ſtatu, quo regum præſidiis carere non poteſt; quibus adeò factus eſt familiaris ac penè domeſticus, vt quoties ab eius morte nouus eſt eligendus, in magna ſint illi ſollicitudine, vt ne minus habeant beneuolum eum, qui creabitur, quàm eum, qui iam deceſſit è vita. Præſentem autem & commodiſſimam operā in eo poſſunt exhibere purpurei ſenatores. Illicò poſtquam allatum eſt de morte Pontificis, hei quantus equis, quantus adeſt viris ſudor! videas omnia compleri nunciis & curſoribus, quos emittunt reges, pro ſe quiſq; ſeparatim, prehenſant Cardinales, ambiunt, ſollicitant, promittunt, largiuntur & quiduis deferunt, vt ipſorum habeatur ratio: Sic inſtructi, & ſubornati ſenatores, ingrediuntur illud ſuum, quod vocant, conclaue. Interea miſeri amatores, reges & monarchæ, pendent inter ſpemque metumque dubii. Denunciatur poſtea, qui ſit creatus, ibi tū videas efferri quoſdam lætitia, quoſdam ipſo vultu triſtitiam non diſſimulare. Sed oritur deinde non iniucundum ſpectaculum inter ipſos riuales, dum quiſque dat operam, vt apud domi-

dominam meretricem hæreat primo loco, dum gratiam alter alteri ſtudet præripere, cuius rei pulcherrimum noſtra hac ætate vidimus exemplum, adeoq; modis omnibus conantur ei gratificari & obſequi, vt non dubitent, cruentum ei ſacrificium aliquando præbere, quod totum conſtat ex Lutheranis. Quid, nonne propriè & ſignificanter vnicâ voce ſcriptura omnem hanc nundinationem expreſſit, quando *fornicationem* vocat? An aliquid peritius, & magis ad rem excogitari poſſit? Præter id, quòd iureiurando iam olim habet eos ſibi deuinctos, nunc etiam fœderibus, matrimoniis & pollicitationibus ampliſſimis ita ſibi coniungit eos, vt arctius non queat. Hæc eſt illa pictura, ſacris notata literis, quam dum intuētur pii, valde conturbantur hauddubie, ſicut antè diximus. Quum autem oculis omnia perluſtrauerint, deprehendunt tandem mirabilem viciſſitudinem, & exitum pluſquam Tragicum. Vident enim in eadem tabula depictum & hoc eſſe, quemadmodum Babylon illa magna, Romana beſtia, vbi ad ſummum impietatis peruenerit, ſubitò corruet, impellente Deo; vident, vt reges, ipſius amatores, hac tanta, tamque repentina clade perculſi & attoniti, vehementer trepidabunt, nec

opem ferre poterunt, vident, vt mercatores, qui, dum meretrix illa florebat, ingentem faciebant quæſtum, valde lugebunt, & in acerbiſſimum mœrorem incident, propter ademptas, & penitus ſublatas rationes conficiendæ pecuniæ. Quænam eſt autem iſta rerum cõuerſio? Quis omnium hoc putaſſet aliquando futurum? Huc nimirum pertinet ea vaticinii pars, vt pii certò ſtatuant, etiamſi Pontificem armatum eſſe vident, ac regum auxiliis impietatem atque blaſphemias tueri, tamen hæc omnia nihil ei profutura tandem. Corruet enim, nec quiſquam eripiet eum ab iſta clade, quam ſcriptura prænunciauit, quæ nec fallere poteſt, nec labi. Perſarum rex Darius infinitam hominum multitudinem educebat in Alexandrum Magnũ, multo minori pugnantem manu, ſed ter cæſus atque fugatus, tandem interemptus ipſe fuit, nec potuit eum eripere quiſquam ex manibus animoſi & acris bellatoris Alexandri perſequentis, quod ipſum Daniel diſerte præſignificauerat. Nihil igitur dubitabimus etiã de ruina noſtri tyranni. Nec eſt, quod in vllum alium, prẹterquam in ipſum, exiſtimemus hẹc omnia congruere. Sanè, quum nullus vmquam ſit immanius ipſo graſſatus, hoc tamen boni præſtitit nobis, quòd

quòd ita ſe comparat omni & doctrina, & vita, & moribus, vt iſta vaticiuia, prius obſcura & velut ænigmatica, perſpicuè intelligamus & certò. Quid enim, an non præſtitit Deus, quod promiſit? Nonne floruit ille, pluſquam vllus vmquam Satrapas? Nonne prorſus inuicta videbatur eius eſſe magnitudo? Nemo certè negarit. Atqui ille ipſe terrarum dominus, nonne ſenſit vim hoſtilẽ? Nonne eius eſt imminuta paucis annis & debilitata potentia? Planè. Quomodo autem, an haſtis & enſibus, & vi armorum, & machinis bellicis? Minimè, ſed ſola verbi diuini prædicatione. Nonne hoc miraculi plenum eſt? Quid interim reges & monarchæ? Fremuerunt initio vehementer, nec hodie planè remittunt iras, fecerunt in eius gratiam, quod quiuis adoleſcens, pro puella, quam amet, ſi periclitãrem videret, libenter ſit facturus. Quid interim illi, quorum ſcriptura meminit, mercatores, aut quinam iſti ſunt? Certè tota Pontificiorum turba, qui characterem & notam gerunt Beſtiæ, qui præ cæteris hominibus, inſignia quædam habent priuilegia. Stant omnes attoniti, mirantur, quæ ſint iſta fulmina, quæ tempeſtas & procellæ, deplorant miſerias & paupertatem ſuam, quòd cùm antea copioſiſſimam

haberent meſſem, & vberrimum facerent ex rebus omnibus, variumque quæſtum, nunc planè ſint deſtituti, nec rationem vllam videant amiſſa recuperandi. Sed ne hoc ipſum quidem præſidium & propugnaculum, quo ferè ſolo nititur Romanus dominus, firmũ ſatis fuit hactenus, aut ſolidum. Defenderunt illum initio reges pariter omnes, & ita quidem acriter, vt omnia viderentur pro eo ſuſcepturi, nunc autem ex his ipſis quidam defecerunt, & acerrimè perſequuntur, quę antea tutati ſunt. Quid obſtat, quominus fieri poſſit, vt & reliqui, ſi non deficiant omnino, ſaltem non ita magnam ei tribuant fidem & authoritatem, quàm hucuſque fecerunt, præſertim, cum & ipſi multarum ſint rerum conſcii, quas minimè vel diſſimularent in eo, vel paterentur, niſi fructum ex eis pariter & emolumentum perciperent? Et quamquam iſta coram videt, tamen omnium rerum ſecurus, ac dulci ebrius fortuna, nullum agnoſcit errorem, nullum flagitium, nullam noxam; hoc ſolum cogitat, quemadmodum & tueatur hanc ſublimitatem, quam adhuc reliquam habet, & deperditam dignitatem recuperet. Non vult de cauſſa controuerſa legitimè cognoſci, quia futurum ſperat, vt interea, dum propter religio-

ligionis & opinionum diuerſitatem exacerbantur animi, bellum aliquod ciuile ſuſcitetur in Germania, quo tota conflagret atque pereat. Hoc enim proximum eſſe putat, & ſaluberrimum remedium, ſi ſuis ipſa Germania vulneribus intereat. Et quia ſciſſam factionibus eam eſſe videt, cogitat leui aliquo momento poſſe impelli totam vt præcipitetur. Vrget igitur, & ſolum operam dat, vt magis etiam exaſperentur ſtudia, non alio ſanè conſilio, quàm vt cõſerantur manus. Nam quia rem ſibi eſſe videt cũ aduerſariis longè vigilantiſſimis, & acerrimis, dubiũ non eſt, quin omnia ſit tentaturus potius, quàm vt ignominioſe pereat. Si bellum ſemel incrudeſcat, certò ſtatuit, alterã partem opprimi poſſe, & quamdiu ſtipatus eſt regũ auxiliis, nihil dubitat de victoria. Magnã igitur & immenſam auri vim accumulat, exercet quęſturam auariſſime per omnes prouincias, & apud nos etiam exercuit aliquando, non ſine ſummo noſtro, & dedecore, & detrimento, eamque pecuniam, quam ſub prætextu Religionis, fraude, & malis artibus à nobis extorſit, cogitat in noſtrum excidium & perniciẽ conuertere. Is, qui compendiũ hoc illi monſtrauit, idem conſiliorum eius rector antea quoque ſemper fuit. Hiſtoriis pro-

ditum eſt, vtque nulla ſit hiſtoria, ratiọ tamẽ ipſa teſtatur,& experientia demonſtrat, multa ſæpè regna, florentiſſimaſque ciuitates, interiiſſe totas & euerſas fuiſſe bellis inteſtinis. Vel ſola Græcia ſpectaculum eius rei præbuit orbi, cum Athenæ, Lacedæmon, Corinthus, Corcyra, multæque aliæ bello confli&c;tarentur. Quo tempore Iulius & Pompeius exercebant odia, ſic erant debilitatæ, fractæque Romani Imperii vires, vt ſi quis tunc alius fuiſſet adortus eos, inſignem reportaſſet victoriam. Poſtquam ab Oriente migrauit in Occidentem, vt ſupra diximus, & quod antea fuit vnicum, Imperium Romanum factum eſt duplex, labefactatum indies fuit magis atq; magis. Illa quõdam rerũ domina, aliorumq; regnorum omnium debellatrix Italia, cur adeo nihil hodie repræſentat veterem maieſtatem, cur ſpeciem & colorem omnem amiſit? Cur ab exteris nationib. Germanis, Gallis, & Hiſpanis adeo miſerabiliter dilaniatur, & exugitur? Nonne factiones & diuerſa ſtudia materiam huic calamitati præbuerunt? Hæc omnia non ignorat Europæus iſte dominus, & intetus eſt totus, vt idem apud nos perficiat. Neque verò ſua expectatione prorſus excidit, & quoniã pulchre nos iampridẽ incœpiſſe videt,

videt, nunc ſolum hoc laborat, & optat, vt in iſto curriculo pergamus, quò ſatiare poſſit animum cruoris noſtri ſitientem. Quamdiu pacem coluit Germania, & ad Remp. Imperii iuuandam, commune ſtudium & operam impendit, poterat exteras nationes omneis facilè contemnere. Poſteaquam vero Religionis diuerſitas, hominū voluntates immutauit, ipſa quoque Reſpub. languere cœpit & debilitari. Priuatum ſuum quiſq; commodum ſpectat, & quomodo conſiſtere poſſit ſuumque ſtatum tueri, ne quando à vicinis opprimatur, cogitat. Hanc omnium pulcherrimam nactus occaſionem ille, tumultuatur, & ſæuit omnis generis perſecutionibus, omnemq; ſpem præcludit emendationis, vt aduerſarios eò vehemētius offendat, alteram, hoc eſt, ſuam factionem in officio retinet muneribus & ampliſſimis pollicitationibus, eô videlicet tendens, vt nos cōmittat. Quod ſi fieret, diremptuрus ipſe litem ſcilicet, ad nos accederet, comitatus exteris populis, qui iampridem nihil ita cupiunt, atque ſpecimen aliquod exhibere ſui roboris & virtutis, in Germania, quemadmodum nos feciſſe vident intra ipſorum fines, à multis nunc annis. Tritum eſt quotidiano ſermone prouerbium, quo dicitur, *cum in-*

ſupremum cacumen aliquid euaſit atque deductum eſt, ibi tum illud conſiſtere, & paulatim ad inclinationem denuo ſpectare. Fuerunt olim Germani multum agreſtes atque inculti, carebant omni literatura, bellis tantum & venationibus, & iis rebus intenti, quæ corporis robur firmare poſſunt & animum ad ſuſcipienda pericula reddere constantem & imperterritum. Multis deinde poſt tēporibus, tranſiit ad ipſos Imperii dignitas, eaque tunc occaſione facti ſunt cultiores. Cumque Deus meditaretur haud dubie lætam rerum viciſſitudinem inducere, nobisque demonſtrare ſuæ beneficentiæ, velut clariſſimi ſolis, radios, inuentum fuit apud nos inſigne quoddam, & nunquam ſatis laudatum artificium, typis excudendi libros. Abundauit Græcia quondam præſtantiſſimis ingeniis, Italia quoque, ſed hucuſque tamen non penetrarunt. Noſtri verò homines, primū excogitarunt, non abſque præſenti & certiſſimo Dei beneficio. Quæ res, cum incredibilem adferret commoditatem literarum & artium ſtudioſis, excitati fuerunt omnes ad cognoſcendum, & pedetentim cœperunt homines aliquid plus videre in literis, quàm prius vidiſſent. Nec enim ignotum eſt, ſenibus præſertim, quàm imperite

perite & inſulſe & obſcure & fœde, artes omnes, ipſorum temporibus, tractarentur. Poſteaquam igitur hoc tantum adminiculum apud nos extitit, eruditius paulatim cœperunt doceri artes omnes, reuocatus eſt in vſum vetus & purus ſermo Latinus. Ad Græcam etiam, aliaſque linguas nō pauci animum adiiciebant; ſummus erat animorum ardor, nemo non cupiebat aliquid cognoſcere perfectius, & erat iucundiſſimū ſpectaculum, videre tantum feruorem & diligentiam in diſcipulis pariter & doctoribus. Qua quidem ratione factum eſt, vt Germania prius inculta, breui tempore ſic ornaretur viris doctis, vt nulli planè populo concederet. Poſt renatas diſciplinas & exortum lumē iſtud melioris doctrinæ, tanquam prænuncium aliquem inſignis futuræ mutationis, ilicò ſubſecutus eſt illuſtriſſimi ſolis fulgor, ipſa nimirum Euangelii prædicatio, in eoque munere tanta ſunt vſi dexteritate noſtri homines, aliis omnibus rebus neceſſariis inſtructi, tantamque diligentiam adhibuerunt, vt Theologiam, in illa communi clade, & depreſſione bonarum artium, fœdatam & obſcuratam, reduxerint ad genuinum & priſtinum nitorem, ita quidem, vt certò ſtatuendum ſit atque fatendum, reſpexiſſe Deum in

nos clementer admodum & paterne. Sic igitur exiſtimo, non fuiſſe Germaniam vllo vnquam tempore in tam illuſtri & ſublimi loco poſitam, vt nunc eſt. Quòd cum ita ſit, etiamſi viueremus in altiſſima pace, nec vlla ſeſe proderet ſimultatis, aut diſſidii ſcintilla, metuendũ tamẽ eſſet, nobis, & prouidendum, ne, quod ferè fit in rebus humanis, & quod aliis gentibus accidiſſe compertũ eſt, idem nobis quoque accideret, vt ne in ſummo gradu conſtituti, deturbemur in præcipitium. Nunc autem, quando in hoc rerum faſtigio ſunt exortæ contentiones & offenſiones acerbiſſimæ, quid metuendum, aut quid exſpectandum eſt nobis aliud, quàm futurum, vt Deus, qui tam cumulate effudit nobis omnia ſua, propter ingratitudinem nos affligat? Sed ô miſeriam & calamitatem ingentem! Diſſidemus odiis, pluſquam capitalibus, & ſuſcipimus inimicitias acerbiſſimas, alter in alterum, omnes vnius prouinciæ & regionis homines, communem habentes patriam, idq; in illius gratiam, qui & antea ſemper variis modis Germaniã ludificauit, & nunc etiam amare non poteſt, immò perditam velit; nihilquę magis optat, quàm videre illam ciuili ſanguine redundantẽ & conſputcatam. Oppreſſit & extinxit veram Euan-

Euangelii doctrinam, & nunc poſtquam illa reſumſit vires, iterumque illuxit, concutitur orbis tumultibus, & odiorum incendiis. Prædixit quidem has diſſenſiones omneis ipſa ſcriptura: Semper enim erunt veritatis & Euangelii hoſtes. Verum eò magis cauendum eſt nobis, ne conſociemur cum ipſis, & hoc potius elaborandum, vt hæc prȩſtantiſſima Dei dona reuerenter agnoſcamus, & complectamur. Scimus omnes, in quanto ſplẽdore & obſeruantia omnium hominum aliquot ſeculis vixerit Romanus Pontifex. Iam verò conſpicimus, non modò potentiam eius imminutam, ſed exiſtimationem quoque vehementer labefactatam eſſe nulla vi armorum. Quin eo ſpectaculo permouemur? quare non cogitamus, prænunciaſſe Deum per Prophetas hanc ipſius ruinam & interitum? Fatẽtur quidẽ ex aduerſariis nonnulli; & nunc tandem fatentur, quando negari non poteſt, multa eſſe à Romanis Pontificibus inuecta, quæ reformationem poſtulent, quædam etiam eſſe prorſus abroganda. Confeſſionem hanc ſuperioribus annis nemo potuit eis extorquere, nunc tandẽ agnoſcunt; quod ſiue callide faciant, & inſidioſe, ſiue candide & ſerio, cuperem nihilominus ex eis cognoſcere, cum tem-

vel principem vel ciuitatem,quod his noſtris temporibus vidimus, ideoque ſuos habet perpetuos & ordinarios legatos in regum aulis; qui cognoſcant, explorent, audiant,videant,pertentent & deguſtent omnia. Sed & ipſi reges viciſſim habent ſuos in illius aula. Nam operam quiſque dat, vt illum habeant quàm maximè beneuolum,ſummóque ſtudio cauent,necubi offendant. Interim ipſe, qui pulchrè perſonam ſuſtinet, mirum, quàm norit hæc omnia trãsferre in ſuos vſus. Et quãquam ipſorum perpetuus hic mos eſt, alere diſſidia principum, & reges ad arma concitare, nunc tamen videtur, eos velle, ſi poſſit, reconciliare:ſed nõ alia de cauſſa, quàm vt ipſos, pariter, & viribus coniunctos, educat in ſuos aduerſarios. Nã ſi certò ſciret expectatione ſe ſuâ caſurũ eſſe, neq; reges tale bellum aliquando ſuſcepturos, profectò, daret operam, non minus quàm ipſius maiores,ac omni ratione prouideret,vt eſſent quàm maximè diuturna;imò ſi fieri poſſet,ſempiterna bella. Superioribus annis difficillimum erat, moleſtiæque plenũ, vt galerum Cardinalitium quis impetraret ab eo.Non ſolum immenſa pecuniæ vi,ſed& regum opus erat, commendationibus & interceſſione. Verum in hoc tempore, quàm

quàm videmus multos in regum aulis? Porro ſenatus conſultum Baſilienſis Cōcilii cauet, ne ſint plures omnino, quàm viginti quatuor, duabus potiſſimum de cauſis. Primum, ne nimium oneretur Eccleſia; quod quomodo ſit intelligendum, ipſi norunt: deinde, ne ſi plures numero ſint & paſſim temere creentur noui, ſplendor ille huic ordini proprius & peculiaris, ipſa multitudine vileſcat; quamquam hoc tamen adiectum eſt, poſſe creari plures vrgente neceſſitate temporum. atque hæc fortaſſe cauſa eſt, cur hodie tam ſint numeroſi, nec ætatis habeatur ratio; quod ipſum videlicet pugnat cum eo, cuius meminimus antea, ſenatuſconſulto. Niſi enim titubantem videret ac è ſtatione exturbatam Eccleſiam ſuam Paulus tertius, non aſciſceret, opinor, in hunc patrum ordinem adoleſcentulos nepotes ſuos, Farneſios. quamquam fortaſſe tribuendum eſt aliquid agnationi & affectui. Cur autem regum aulas ita videmus inſignitas purpuratis patribus? Nonne deuincti ſunt variis nominibus Rom. Pontifici? Sunt certè; & quidem ſacroſanctè. Nonne iureiurādo quoq; ſunt obſtricti regibus, quorum in aulis verſantur, & à quibus in concilium adhibentur? Non dubium eſt. Quomodo autem fi-

delem operam vtrique præſtent? Artem ipſi tenẽt, licèt aliis difficillimum ſit. Hoc interim indubitatum eſt, eos eſſe Pontifici longè vtiliſſimos, præſertim hoc rerum ſtatu, quo regum præſidiis carere non poteſt; quibus adeò factus eſt familiaris ac penè domeſticus, vt quoties ab eius morte nouus eſt eligendus, in magna ſint illi ſollicitudine, vt ne minus habeant beneuolum eum, qui creabitur, quàm eum, qui iam deceſſit è vita. Præſentem autem & commodiſſimam operã in eo poſſunt exhibere purpurei ſenatores. Ideò poſtquam allatum eſt de morte Pontificis, hei quantus equis, quantus adeſt viris ſudor! videas omnia compleri nunciis & curſoribus, quos emittunt reges, pro ſe quiſq; ſeparatim; prehenſant Cardinales, ambiunt, ſollicitant, promittunt, largiuntur & quiduis deferunt, vt ipſorum habeatur ratio: Sic inſtructi, & ſubornati ſenatores, ingrediuntur illud ſuum, quod vocant, conclaue. Interea miſeri amatores, reges & monarchæ, pendent inter ſpemque metumque dubii. Denunciatur poſtea, qui ſit creatus, ibi tũ videas efferri quoſdam lætitia, quoſdam ipſo vultu triſtitiam non diſſimulare. Sed oritur deinde non iniucundum ſpectaculum inter ipſos riuales, dum quiſque dat operam, vt apud

domi-

dominam meretricem hæreat primo loco, dum gratiam alter alteri ſtudet præripere, cuius rei pulcherrimum noſtra hac ætate vidimus exemplum, adeoq; modis omnibus conantur ei gratificari & obſequi, vt non dubitent, cruentum ei ſacrificium aliquando præbere, quod totum conſtat ex Lutheranis. Quid, nonne propriè & ſignificanter vnicâ voce ſcriptura omnem hanc nundinationem expreſſit, quando *fornicationem* vocat? An aliquid peritius, & magis ad rem excogitari poſſit? Præter id, quòd iureiurando iam olim habet eos ſibi deuinctos, nunc etiam fœderibus, matrimoniis & pollicitationibus ampliſſimis ita ſibi coniungit eos, vt arctius non queat. Hæc eſt illa pictura, ſacris notata literis, quam dum intuētur pii, valde conturbantur hauddubie, ſicut ante diximus. Quum autem oculis omnia perluſtrauerint, deprehendunt tandem mirabilem viciſſitudinem, & exitum pluſquam Tragicum. Vident enim in eadem tabula depictum & hoc eſſe, quemadmodum Babylon illa magna, Romana beſtia, vbi ad ſummum impietatis peruenerit, ſubitò corruet, impellente Deo; vident, vt reges, ipſius amatores, hac tanta, tamque repentina clade perculſi & attoniti, vehementer trepidabunt, nec

opem ferre poterunt, vident, vt mercatores, qui, dum meretrix illa florebat, ingentem faciebant quæſtum, valde lugebunt, & in acerbiſſimum mœrorem incident, propter ademptas, & penitus ſublatas rationes conficiendæ pecuniæ. Quænam eſt autem iſta rerum cōuerſio? Quis omnium hoc putaſſet aliquando futurum? Huc nimirum pertinet ea vaticinii pars, vt pii certò ſtatuant, etiamſi Pontificem armatum eſſe vident, ac regum auxiliis impietatem atque blaſphemias tueri, tamen hæc omnia nihil ei profutura tandem. Corruet enim, nec quiſquam eripiet eum ab iſta clade, quam ſcriptura prænunciauit, quæ nec fallere poteſt, nec labi. Perſarum rex Darius infinitam hominum multitudinem educebat in Alexandrum Magnū, multo minori pugnantem manu, ſed ter cæſus atque fugatus, tandem interemptus ipſe fuit, nec potuit eum eripere quiſquam ex manibus animoſi & acris bellatoris Alexandri perſequentis, quod ipſum Daniel diſerte præſignificauerat. Nihil igitur dubitabimus etiā de ruina noſtri tyranni. Nec eſt, quod in vllum alium, pręterquam in ipſum, exiſtimemus hęc omnia congruere. Sanè, quum nullus vmquam ſit immanius ipſo graſſatus, hoc tamen boni præſtitit nobis, quòd

quòd ita ſe comparat omni & doctrina, & vita, & moribus, vt iſta vaticiuia, prius obſcura & velut ænigmatica, perſpicuè intelligamus & certò. Quid enim, an non præſtitit Deus, quod promiſit? Nonne floruit ille, pluſquam vllus vmquam Satrapas? Nonne prorſus inuicta videbatur eius eſſe magnitudo? Nemo certè negarit. Atqui ille ipſe terrarum dominus, nonne ſenſit vim hoſtilẽ? Nonne eius eſt imminuta paucis annis & debilitata potentia? Planè. Quomodo autem, an haſtis & enſibus, & vi armorum, & machinis bellicis? Minimè, ſed ſola verbi diuini prædicatione. Nonne hoc miraculi plenum eſt? Quid interim reges & monarchæ? Fremuerunt initio vehementer, nec hodie planè remittunt iras, fecerunt in eius gratiam, quod quiuis adoleſcens, pro puella, quam amet, ſi periclitãtem videret, libenter ſit facturus. Quid interim illi, quorum ſcriptura meminit, mercatores, aut quinam iſti ſunt? Certè tota Pontificiorum turba, qui characterem & notam gerunt Beſtiæ, qui præ cæteris hominibus, inſignia quædam habent priuilegia. Stant omnes attoniti, mirantur, quæ ſint iſta fulmina, quæ tempeſtas & procellæ, deplorant miſerias & paupertatem ſuam, quòd cum antea copioſiſſimam

haberent meſſem, & vberrimum facerent ex rebus omnibus, variumque quæſtum, nunc planè ſint deſtituti, nec rationem vllam videant amiſſa recuperandi. Sed ne hoc ipſum quidem præſidium & propugnaculum, quo ferè ſolo nititur Romanus dominus, firmũ ſatis fuit hactenus, aut ſolidum. Defenderunt illum initio reges pariter omnes, & ita quidem acriter, vt omnia viderentur pro eo ſuſcepturi, nunc autem ex his ipſis quidam defecerunt, & acerrimè perſequuntur, quẽ antea tutati ſunt. Quid obſtat, quominus fieri poſſit, vt & reliqui, ſi non deficiant omnino, ſaltem non ita magnam ei tribuant fidem & authoritatem, quàm hucuſque fecerunt, præſertim, cum & ipſi multarum ſint rerum conſcii, quas minimè vel diſſimularent in eo, vel paterentur, niſi fructum ex eis pariter & emolumentum perciperent? Et quamquam iſta coram videt, tamen omnium rerum ſecurus, ac dulci ebrius fortuna, nullum agnoſcit errorem, nullum flagitium, nullam noxam; hoc ſolum cogitat, quemadmodum & tueatur hanc ſublimitatem, quam adhuc reliquam habet, & deperditam dignitatem recuperet. Non vult de cauſſa controuerſa legitimè cognoſci, quia futurum ſperat, vt interea, dum propter religio-

ligionis & opinionum diuerſitatem exacerbantur animi, bellum aliquod ciuile ſuſcitetur in Germania, quo tota conflagret atque pereat. Hoc enim proximum eſſe putat, & ſaluberrimum remedium, ſi ſuis ipſa Germania vulneribus intereat. Et quia ſciſſam factionibus eam eſſe videt, cogitat leui aliquo momento poſſe impelli totam vt præcipitetur. Vrget igitur, & ſolum operam dat, vt magis etiam exaſperentur ſtudia, non alio ſanè conſilio, quàm vt cōſerantur manus. Nam quia rem ſibi eſſe videt cū aduerſariis longè vigilantiſſimis, & acerrimis, dubiū non eſt, quin omnia ſit tentaturus potius, quàm vt ignominioſe pereat. Si bellum ſemel incrudeſcat, certò ſtatuit, alterā partem opprimi poſſe, & quamdiu ſtipatus eſt regū auxiliis, nihil dubitat de victoria. Magnā igitur & immenſam auri vim accumulat, exercet quęſturam auariſſime per omnes prouincias, & apud nos etiam exercuit aliquando, non ſine ſummo noſtro, & dedecore, & detrimento, eamque pecuniam, quam ſub prætextu Religionis, fraude, & malis artibus à nobis extorſit, cogitat in noſtrum excidium & perniciē conuertere. Is, qui compendiū hoc illi monſtrauit, idem conſiliorum eius rector antea quoque ſemper fuit. Hiſtoriis pro-

ditum eſt, vtque nulla ſit hiſtoria, ratiõ tamẽ ipſa teſtatur, & experientia demonſtrat, multa ſæpè regna, florentiſſimaſque ciuitates, interiiſſe totas & euerſas fuiſſe bellis inteſtinis. Vel ſola Græcia ſpectaculum eius rei præbuit orbi, cum Athenæ, Lacedæmon, Corinthus, Corcyra, multæque aliæ bello conflictarentur. Quo tempore Iulius & Pompeius exercebant odia, ſic erant debilitatæ, fractæque Romani Imperii vires, vt ſi quis tunc alius fuiſſet adortus eos, inſignem reportaſſet victoriam. Poſtquam ab Oriente migrauit in Occidentem, vt ſupra diximus, & quod antea fuit vnicum, Imperium Romanum factum eſt duplex, labefactatum indies fuit magis atq; magis. Illa quõdam rerũ domina, aliorumq; regnorum omnium debellatrix Italia, cur adeo nihil hodie repræſentat veterem maieſtatem, cur ſpeciem & colorem omnem amiſit? Cur ab exteris nationib. Germanis, Gallis, & Hiſpanis adeo miſerabiliter dilaniatur, & exugitur? Nonne factiones & diuerſa ſtudia materiam huic calamitati præbuerunt? Hæc omnia non ignorat Europæus iſte dominus, & intẽtus eſt totus, vt idem apud nos perficiat. Neque verò ſua expectatione prorſus excidit, & quoniã pulchre nos iampridẽ incœpiſſe videt,

videt, nunc ſolum hoc laborat, & optat, vt in iſto curriculo pergamus, quò ſatiare poſſit animum cruoris noſtri ſitientem. Quamdiu pacem coluit Germania, & ad Remp. Imperii iuuandam, commune ſtudium & operam impendit, poterat exteras nationes omneis facilè contemnere. Poſteaquam vero Religionis diuerſitas, hominũ voluntates immutauit, ipſa quoque Reſpub. languere cœpit & debilitari. Priuatum ſuum quiſq; commodum ſpectat, & quomodo conſiſtere poſſit ſuumque ſtatum tueri, ne quando à vicinis opprimatur, cogitat. Hanc omnium pulcherrimam nactus occaſionem ille, tumultuatur, & ſæuit omnis generis perſecutionibus, omnemq; ſpem præcludit emendationis, vt aduerſarios eò vehemẽtius offendat, alteram, hoc eſt, ſuam factionem in officio retinet muneribus & ampliſſimis pollicitationibus, eô videlicet tendens, vt nos cõmittat. Quod ſi fieret, diremptutus ipſe litem ſcilicet, ad nos accederet, comitatus exteris populis, qui iampridem nihil ita cupiunt, atque ſpecimen aliquod exhibere ſui roboris & virtutis, in Germania, quemadmodum nos feciſſe vident intra ipſorum fines, à multis nunc annis. Tritum eſt quotidiano ſermone prouerbium, quo dicitur, *cum in-*

ſupremum cacumen aliquid euaſit atque deductum eſt, ibi tum illud conſiſtere, & paulatim ad inclinationem denuo ſpectare. Fuerunt olim Germani multum agreſtes atque inculti, carebant omni literatura, bellis tantum & venationibus, & iis rebus intenti, quæ corporis robur firmare poſſunt & animum ad ſuſcipienda pericula reddere conſtantem & imperterritum. Multis deinde poſt tẽporibus, tranſiit ad ipſos Imperii dignitas, eaque tunc occaſione facti ſunt cultiores. Cumque Deus meditaretur haud dubie lætam rerum viciſſitudinem inducere, nobisque demonſtrare ſuæ beneficentiæ, velut clariſſimi ſolis, radios, inuentum fuit apud nos inſigne quoddam, & nunquam ſatis laudatum artificium, typis excudendi libros. Abundauit Græcia quondam præſtantiſſimis ingeniis, Italia quoque, ſed hucuſque tamen non penetrarunt. Noſtri verò homines, primũ excogitarunt, non abſque præſenti & certiſſimo Dei beneficio. Quæ res, cum incredibilem adferret commoditatem literarum & artium ſtudioſis, excitati fuerunt omnes ad cognoſcendum, & pedetentim cœperunt homines aliquid plus videre in literis, quàm prius vidiſſent. Nec enim ignotum eſt, ſenibus præſertim, quàm imperite

perite & inſulſe & obſcure & fœde, artes omnes, ipſorum temporibus, tractarentur. Poſteaquam igitur hoc tantum adminiculum apud nos extitit, eruditius paulatim cœperunt doceri artes omnes, reuocatus eſt in vſum vetus & purus ſermo Latinus. Ad Græcam etiam, aliaſque linguas nō pauci animum adiiciebant; ſummus erat animorum ardor, nemo non cupiebat aliquid cognoſcere perfectius, & erat iucundiſſimū ſpectaculum, videre tantum feruorem & diligentiam in diſcipulis pariter & doctoribus. Qua quidem ratione factum eſt, vt Germania prius inculta, breui tempore ſic ornaretur viris doctis, vt nulli planè populo concederet. Poſt renatas diſciplinas & exortum lumē iſtud melioris doctrinæ, tanquam prænuncium aliquem inſignis futuræ mutationis, ilicò ſubſecutus eſt illuſtriſſimi ſolis fulgor, ipſa nimirum Euangelii prædicatio, in eoque munere tanta ſunt vſi dexteritate noſtri homines, aliis omnibus rebus neceſſariis inſtructi, tantamque diligentiam adhibuerunt, vt Theologiam, in illa communi clade, & depreſſione bonarum artium, fœdatam & obſcuratam, reduxerint ad genuinum & priſtinum nitorem, ita quidem, vt certò ſtatuendum ſit atque fatendum, reſpexiſſe Deum in

Euangelii doctrinam, & nunc poſtquam illa reſumſit vires, iterumque illuxit, concutitur orbis tumultibus, & odiorum incendiis. Prædixit quidem has diſſenſiones omneis ipſa ſcriptura: Semper enim erunt veritatis & Euangelii hoſtes. Verum eò magis cauendum eſt nobis, ne conſociemur cum ipſis, & hoc potius elaborandum, vt hæc preſtantiſſima Dei dona reuerenter agnoſcamus, & complectamur. Scimus omnes, in quanto ſplẽdore & obſeruantia omnium hominum aliquot ſeculis vixerit Romanus Pontifex. Iam verò conſpicimus, non modò potentiam eius imminutam, ſed exiſtimationem quoque vehementer labefactatam eſſe nulla vi armorum. Quin eo ſpectaculo permouemur? quare non cogitamus, prænunciaſſe Deum per Prophetas hanc ipſius ruinam & interitum? Fatẽtur quidẽ ex aduerſariis nonnulli; & nunc tandem fatentur, quando negari non poteſt, multa eſſe à Romanis Pontificibus inuecta, quæ reformationem poſtulent, quædam etiam eſſe prorſus abroganda. Confeſſionem hanc ſuperioribus annis nemo potuit eis extorquere, nunc tandẽ agnoſcunt; quod ſiue callide faciant, & inſidioſe, ſiue candide & ſerio, cuperem nihilominus ex eis cognoſcere, cum tem-

poribus facti peritiores, plus videant, quàm hactenus viderunt, cur non cogitent, fieri poſſe, vt alia multa, quæ nondum ipſi vident, clare videantur ab aliis, præſertim, quum toties, hoc nunc repetitur, à Pontifice, qui diuinos propemodum honores arrogauit ſibi, nõ poſſe aliud, quàm impietates & blaſphemias proficiſci. Cur igitur ab eo non digrediuntur, imò verò, cur, vt ei gratum faciant, rem adeo triſtem, luctuoſam & funeſtam moliuntur in vicinos & ſocios, & collegas, eiuſdem ortus & patriæ, ſanguinis etiam propinquitate commendatos? Si peccant ignoratione, non eſt in hac luce veritatis excuſabile: Si pertinaciâ & odio, deplorandus eſt nimirum Germaniæ ſtatus. Ante annos viginti, & eo plus, Deum immortalem, quanto maiorẽ ſpem præbuiſtis orbi futuræ emendationis, illuſtriſſimi viri, quando in certa quędam capita collegiſtis omnia, quæ tum videbantur vobis in Pontificatu eſſe prorſus intolerabilia, & deinde ſcripto comprehenſa, in publico Imperii comitio, corãm exhibuiſtis ea Pontificio legato? Quin eam retinuiſtis conſtantiam octo poſt annis apud Auguſtam Vindelicorum? in quæ quidem Comitia cum eſſent intenti prope omnes homines, adeò nihil tamen fuit

vemen-

emendatum in iis, vt etiam illi, qui præter vim & authoritaté humanam ad diſputationes nihil adferunt, initio ſtatim profiterentur, ſe non decreuiſſe quicquam velle immutare vel ſtatuete aliter, quàm hactenus in regno Pontificio fuiſſet obſeruatum. Hanc vocem tam abſurdam, & duram adeóque triſtem & plenam deſperationis, protulerunt ibi Theologi & Iuriſperiti veſtri. Si præter mandatum veſtrum, & ſuâ quadam ſponte, dolendum eſt ſanè, tantum illis in re tam ardua, priuatim licere. Sin autem veſtro iuſſu, videtis ipſi quantópere factum iſtud veſtrum degenerarit ab illa generoſitate animi & prudentia, quam oſtendiſtis, quo tempore, & abuſus illos intolerabiles, numero centum, petiiſtis aboleri, & ſimul Pontificis legato reſpondebatis, *nihil vos in Lutherum poſſe grauius decernere, ideo quòd vitia ille multa, quæ non poſſint diſſimulari, crederetur detexiſſe.* Repetite, quæſo, memoriam eius temporis, & videte quàm fuerit illuſtris hęc veſtra confeſſio. Manebit illa ſemper literarũ impreſſa monumentis, nec vlla vetuſtas eam delebit. Videte, propiuſq; conſiderate, quænam ſint illa, quæ tum cupiebatis à Pontifice vel corrigi, vel in vniuerſum aboleri Si diligenter inſpiciatur, comperietis illa ma-

naſſe ex eorum officina, quos pulcherrimè depingens, & prænuncians, ille veri monſtrator, ſpiritus, ait exercitatiſſimos eſſe in omni genere rapinæ, habere oculos libidinis & auaritiæ teſtes, ac in errorem adductos homines, deuorare. Cur enim emendari voluiſtis ea, vel prorſus abrogari, niſi quod callidè, inſidioſe & auare à Romanenſibus excogitata, veſtras & populorum veſtrorum facultates exhaurirent, ac nimis magnâ ſeruitute vos cõſtringerent? Nonne fuit hæc cauſa veſtræ querelæ? fuit ſanè. Cum autem ea primus omnium indicarit Lutherus, quemadmodum ipſi nõ diffitemini, quid nunc, illius odio, Pontifex, qui vos tam grauiter & adflixit & ludificauit, propugnatur? Quòd ſi ferendum fuiſſe putatis Lutherum, modo conſtitiſſet intra eiuſmodi vitiorum reprehenſionem; nunc verò, quia longius ſit euagatus, aliam eſſe rationem exiſtimatis, nihil certè veſtram hoc excuſat cunctationem, aut tarditatem, qui ea, quorum ille vos admonuit, quęque vos rectè iudicaſtis ab ipſo fuiſſe patefacta, non emendaſtis in hunc vſque diem. Sed largiamur hoc vobis, longinquam illam progreſſionẽ Lutheri vobis diſplicere non iniuriâ; veniamus ad rem ipſam, h.e. ad ea, quæ publicè & ſerio petiiſtis

tiiſtis à Pōtifice vel mitigari, vel omnino tolli. Certè, quod ſupra diximus, verum eſt, illa omnia tam eſſe tetra, faſtus, ambitionis, auaritiæ, petulantiæ, & rapacitatis plena, vt à nemine potuerint, vel cogitari ſolum, abſque ſcelere; conſtitui vero & mandari non potuerint ab vllo, niſi ab illo ipſo; quem Daniel, ac poſt eum Paulus prænunciarunt, aliquando ſummam in templo tyrannidem occupaturum. Niſi enim omnem veram religionē, & puram doctrinam extinxiſſet antea, nō fuiſſet auſus tam execranda, tamque manifeſte, non impia modo, ſed & ridicula, proponere ac mandare. Faſcinatis autem animis & impiâ doctrinâ imbutis, non erat difficile, quiduis & perſuadere & imperare. Nimirum hi ſunt fructus illius doctrinæ, quam contra præceptum Dei, quęſtus gratia, ſuæque dignitatis & honoris conſtituendi cauſa, inuexit. Quæ quidem doctrina, niſi fuiſſet impugnata ſcripturæ teſtimoniis & authoritate, quouſq; tandē putatis eū fuiſſe progreſſurū? Inſatiabile quiddam eſt auaritia, neq; ſibi frenos iniici patitur ambitio, præſertim, quando non deeſt ſucceſſus. Qui fuiſſet igitur immenſæ cupiditatis & ambitionis modus, idē quoq; futurus erat terminus, imperandi, & noua quotidie decernēdi:

Nunc vero,ſi tantas iniurias,& contumelias, quibus vos adfecit, concoquere poteſtis,&leniter interpretari,nimium hercle patienter id facitis, & videndum eſt vobis, ne potius ignauiæ ſit tribuendum iſtud, quàm vel moderationi, vel temperantiæ. Reſpiciendum eſt enim, non ſolum ad hæc illius,quæ diximus,mandata; ſed cogitandum eſt, quid anteceſſerit ea, & quemadmodum prius ille deuaſtarit omnia, quam huc impudentiæ & veſaniæ deſcenderit. Cogitandum etiam, quid præterea facturus fuerit, niſi diuinitus detectæ fuiſſent eius artes. In primis autem conſiderandum eſt, hanc ipſius auaritiam & rapacitatem, ob oculos poſitam eſſe inProphetarum&Apoſtolorum ſcriptis, ideóque nunc, poſtquam eſt patefactus,execrãdam eius eſſe, ac modis omnibus fugiendã ſocietatem. Hoc etiam certò ſtatuendum, nullam rem piam, honeſtam,ſalutarem & laudatam, deinceps ab eo expectandam.Inebriauit enim orbem terrarum, illo ſuo venefico, & pluſquam Circæo poculo; dementauit omnem Europam,& meras inſtituit idololatrias;ipſe interim,non tàm Idolorum cultor,quàm Epicureus , omnem religionem contēmnens, & honorē ſibi vendicans,qui ſoli Deo debetur. His adeò de cauſis, adoritur

tur ipſum Deus, percellit, verberat, flagellat, turbat, non vt Dauidem aliquem, aut Hiob; vel ſimiles afflictionum & patientiæ nomine claros heroas, verum vt Pharaonem & id genus alias tetrarum peſtes. Non enim ſuſpirat; non ingemiſcit ad Deum, vt remittat iram; vt mentem largiatur emendationis cupidam, ſed ſublimis & acer & faſtuoſus; opibus nefarie acquiſitis, & regum ſubſidiis egregie circumſeptus, vt putat, in magna ſecuritate viuit. Nam publicas orbis calamitates, quibus hodie diuexamur, ab eo veluti fonte prouehire putat, quòd ipſius & maieſtatem & ſanctitatem; & beatitatem, non ſatis reuerenter agnoſcant homines. Nullum ipſe ſuum ſcelus; nullam impietatem agnoſcit, cauſam malorum confidentiſſime transfert in eam doctrinam, quam; quia vel non recipiunt homines, vel quia receptam faſtidiunt; neque piis moribus ornant, idcircò Deus hæc nobis immittit verbera. Quid, num extat vllum ſimilis obſtinationis exemplum? Vos appello, vos, inquam, Principes, qui non ignoratis, eum, quoties vel publicè, vel priuatim ad vos aliquid aut ſcribit, aut nunciat, in hanc omninò ſententiam id facere: Ex vobis, qui doctrinam iſtam ſalutarem nondum in veſtras ditiones ad-

miſiſtis, quidam pendetis à doctoribus veſtris, hominibus, vt leniſſime dicam, nimium præfractis, qui vaſtatorem illum Tyrannum efferunt ſupra nubes, & rationem & æquitatem omnem, quod eò deteſtabilius eſt, quo magis & pertinacius hoc faciunt contra conſcientiam, illi præſertim, qui & ſunt & haberi volunt cæteris peritiores. Cuperem igitur ex his ipſis cognoſcere, num hæc tanta, tamque non humana poteſtas, quam fingunt, ſit ei propria & peculiaris, an non? Si debetur ei ſoli, cur ipſius maiores, Epiſcopi Romani, qui temporibus Apoſtolorum proximi ſunt, non arrogarunt illam ſibi? vel ſi arrogarunt, cedo, num adeò fuit illuſtris & ingens, non verbo tantum & oſtentatione, ſed reuera? Sin autē conſtat, & ipſi negare non poſſunt, humile fuiſſe primordium, & paulatim vix magna difficultate auctum, ſi probari poteſt euidētiſſimè, Caroli Magni tēporibus, authoritatem illorum multo fuiſſe minorem, quàm poſtea ſub Henrico quarto, & ſub hoc inferiorem, quam ſub Alberto Cæſare, & tunc non fuiſſe tantum ſplendorem eius, quàm fuit poſtea ſub Sigiſmundo, fatendum eſt profectò, nullo ſatis firmo vel ſtabili fundamento, cauſam ipſorū niti. Bonifacius octauus, ille, ſimplicitatis,

tis, & innocentiæ nomine celeberrimus, inter alia præclare magnificéque geſta, reliquit poſteris tale decretum, *oportere omneis, qui velint ſeruari, & regni cœleſtis participes fieri, obtemperare per omnia Romano Pontifici.* Quid, num decretum hoc laudant & propugnare volunt iſti? Si laudant & tuentur, quæſo, cur ante ipſum, Romani Epiſcopi complures, caput iſtud fidei, tam neceſſarium, tantique momenti non præceperunt hominibus, quorum ſuſceperant curam? Cum ipſi figant, refigantque leges, cum alter alterius decreta conuellant, & quiſque peculiariter omnẽ poteſtatem ſibi ſumat, mutandi, ſtatuendi, quæ velit, pro ratione temporũ, neq; teneri velint ſuorum anteceſſorum legibus, quâ ratione potuit decretum iſtud à Bonifacio promulgari, cum incertum eſſet, an proximè ſucceſſurus ei Pontifex, idem eſſet ratum habiturus, an propoſiturus aliud? Et vt ratum eſſe debeat, quæri tamen poteſt, an Bonifacio ſit habenda fides; quoniam ſeruator & redemptor noſter, ait eum, qui non per oſtium intrat in ouile, furem eſſe ac latronem. Bonifacius autem, quanam viâ peruenit in ouile? ſanè per loca deuia, per anfractus & lacunas: Nec enim in ouile fuit ingreſſus, verum in ſpeluncam & Aſy-

lum nefariorum hominũ, in illud ipſum antrum, in quo tandẽ oppreſſus ab Hercule Cacus, incredibilem vicinis circum populis attulit lætitiam. Attamen, quis fuit illius ad hoc, ſeu ouile, ſeu antrum, aditus & ingreſſus? Num vitæ ſanctimoniâ & eruditione, & virtute aliquâ excellenti, aut electione ſyncera conſcendit ad eum honoris gradum? an inuitus eò pertractus eſt, vt quidam aliarum prouinciarum Epiſcopi, viri ſancti? Minimè; ſed fraude & circumuentione, viam ſibi patefecit. Certum hoc eſt, neque negari poteſt. Et quàm erat fœdum initium, tam quoque fuit turpis adminiſtratio, ſuperbus, contumelioſus, intolerabilis, regum & imperatorum perpetuus hoſtis; cuius & ignominioſus fuit interitus. Hic tam non pœnitendus patriæ pater, decretum illud ſolemne, cuius antea meminimus, præcepit omnibus obſeruandum. Ex iis, qui præceſſerunt ipſum, & ſi non multò fuerunt innocentiores, nemo tam rotundè, tamque confidenter faſtuoſam hanc ſententiam tulit, vt hic; quam ſi laudare volunt iſti & defendere, per me ſanè licebit: Sin autem tergiuerſantur, & reſiliunt, & non obſcurè ſignificant, opus eſſe quadam in eo moderatâ & commodâ interpretatione, cedò, cur à plurimis nunc an-

nis

nis Theologi & Iuriſconſulti pontificii, decretum hoc, tantâ grauitate, tamque operoſe celebrarunt, tã in Eccleſiis quàm in ſcholis & Academiis? Cur illud ipſum tam variis, tamque multiplicibus inſuper commentariis ornarunt, ac veluti conueſtierunt? Si nunc aliter ſentiunt, neque tantam ei tribuunt authoritatem, quàm aliquãdo fecerunt, obſecro, quando primum, vel qua ratione facti ſunt peritiores? Quum ergo fatebuntur aliquid ſe plus in eo videre, quàm hactenus, palàm fiet, nullam eſſe cauſſam, cur adeò pertinaciter reſiſtant in aliis multis. Iam, ſi digrediuntur à Bonifacii ſententia, ſequitur eum turpiter fuiſſe lapſum in omnium grauiſſima cauſa, quæ ſalutem noſtram continet, & infinitam hominũ multitudinem, qui ſecuti ſunt ipſum, in horrendas errorum induxiſſe tenebras. **Quid ad iſta reſpondeant? Num illud vulgatum & tritum allegabunt, etiamſi vel Bonifacius, vel quis alius fuerit non ſatis laudatus Pontifex, idcirco tamen totum ordinem non eſſe pudefaciendum aut aſpernandum? Atqui demonſtratur eis, tanquam indice, nec ipſi poterunt inficiari, primum, Romanos Epiſcopos factos eſſe temporibus, auariores, ſuperbiores, intolerabiliores; deinde, ſcripturam ſa-**

cram tribuere vni cuidam, hoc eſt, certæ tyrannidi in Eccleſiam inuaſuræ, talem faſtum, ſuperbiam, auaritiam, crudelitatem, & quid non ſceleris? cuius quidem tyrannidis authores efferant ſe ſupra ſortem humanam, ſuamque potentiam ſcelere partam, & impiam doctrinam vi tueantur. Quæſo, num aliquam huiuſce tyrannidis effigiem, aut ſimulachrum hac ætate noſtra, vident aut agnoſcunt? Num eiuſmodi tyrannus, quem ſic ad viuum ſcriptura delineauit, hanc ſibi potentiam arrogare poſſit, vt hodierno die, quando patefactus eſt, ac grauiſſimos habet accuſatores, cogat homines abſtinere ab omni actione, nec aliquid moliri, quod ad doctrinæ & diſciplinæ pertineat emendationem? An iſti, ſapientiæ & eruditionis nomine celebres, qui totos nũc viginti quatuor annos, & eò amplius exercentur, vt quidem videri volunt, diſputationibus? neque dubium eſt, quin multa cognoſcant, & rectius intelligant, interim tamẽ nihilominus diſſimulant, & veritatem impugnant, & exacerbant omnia, & communem patriam in grauiſſimum diſcrimen coniiciunt, hominibus iudicio præditis perſuadere poterunt, ſe facere quod viros bonos in Republica decet? An non eſt incredibilis quædam temeritas illa,

quòd

quòd in hac pulcherrima luce veritatis, audent in concionibus & in libris, quos edunt, affirmare, *neque Cæſari, neque Regibus pariter omnibus licere quidquam in cauſa religionis decernere; & ſi quod illi conſentientes decretum faciant, irritum illud eſſe, niſi Pontificis Romani iuſſus & authoritas accedat?* Cogere nos volunt, vt in eum reiiciamus omnia, qui propter impiam doctrinam, & idololatriam, propter immania ſcelera; & vitam impuriſſimam, non modo non poteſt Iudicis perſonam induere, ſed ne in iudicio quidem audet conſiſtere. Nonne rationis omne iudicium excedit, in tota videlicet Germania, Gallia, Hiſpania, multiſque aliis regnis, non eſſe tantum aut virtutis aut doctrinæ & authoritatis, quantum eſt in exiguo ſenatu triginta, vel ad ſummum, quadraginta purpuratorũ patrum? Proh impudentiam inauditam! & ô te miſerã Germaniam, quæ tales tamque peſtiferos fœtus, gremio tuo foues ac educas, qui tuorũ hoſtium vtilitatẽ potius, quàm tuam ſpectant ſalutem & incolumitatem! Eiuſmodi ſententiarum & verborum portenta ſcribuntur & pronunciantur in veſtris, clariſſimi viri, ditionibus. Quid de vobis iudicabit atque ſentiet poſteritas ipſa, tantam audaciam ſi non coherce-

bitis? Negari non poteſt, verſantur in manibus omnium libri, qui iſta continent; neque deſunt ex vobis, qui ſuis in diſceptationibus, vt ægrè faciant aduerſariis, illa mirifice commemorant, repetunt, & exornant, quaſi talia ſint, quæ ſummam noſtræ ſalutis complectantur. An putatis maioribus veſtris, qui fortiter ſæpè reſtiterunt ſuperbiæ Pontificum, & Imperatores, vt idem facerent, hortati ſunt, ſicut memoriæ proditum eſt, vmquam in mentem veniſſe, vt cogitarent, futurũ aliquando tempus, adeò tenebricoſum & infelix, vt eiuſmodi voces emitterẽtur, aut à poſteris reciperentur? Si qua in Rep. Iudices præſiderent, homines famelici, auari & indocti, qui precio redempti, quiduis facerent, qui propter male & iniquè adminiſtratũ ius, pœnam eſſent meriti legibus præfinitã, & omninò tales, de quibus grauiſſimè conquererentur omnes: cedò, num ad illam publicam omnium querimoniam, iis ipſis, qui eſſent accuſati, permittenda ſit formularum & iuris emendatio? Fingamus, hìc apud nos in Germania Senatum eſſe Cardinalitium, illum dico, quem tantopere ſuſpicimus, obſeruamus, reueremur & admiramur Senatum: Videas omnes Patricios, præſertim illos, quibus per ætatem

ſtatem & valetudinem ſit integrum, ita viuere, quaſi cupiant & velint omne genus voluptatũ hîc exhaurire, quaſi poſt mortem nihil ſit quod delectet amplius; videas nullam eos obire vel ſuſcipere muneris Eccleſiaſtici partem, non docere quemquam, non diſcere quidquam ab aliquo, ſed omnes ipſorum cogitationes & ſtudia ſpectare ſolum ad opum & honorum amplificationem; videas, qui ſunt cũ ipſis, familiares & domeſticos omnes, repræſentare vitam & mores dominorũ, oriatur deinde communis omnium querela, de libidine & auaritia, & rapacitate ipſorum intolerabili, quæſo, num ſit futurum valde ridiculum, ſi cauſæ cognitio deferatur ad hos ipſos proceres, qui publicè accuſati, pœnam ſuſtinere debebãt, & in ordinem cogi? Nonne, ſi pręter illa crimina, ſuperbiam quoque coniungerent, eóque progrederentur temeritatis, vt iudicandi etiam poteſtatem ſibi ſumerent, & alios excluderent, in hanc aut ſimilem, vt ſequitur, ſententiam eis reſponderi poſſit? Quid iſtud eſt rei nouæ, Patres conſcripti & purpurati? An iudicum perſonam vobis etiam ſumitis, qui tam eſtis grauiter accuſati? Num emendationem vitiorum & abuſuum inſtituitis? Atqui præter morem iſtud eſt. Hac-

tenus enim id ſolum dediſtis operam, vt quacumque ratione quàm locupletiſſimi facti, plurimis accumulatis ſacerdotiis, viueretis quàm ſuauiſſimè & molliſſimè. Si qualem oportet, talem inſtitueretis & doctrinæ & diſciplinę & vitæ, morumque emendationem; iam ſanè plerique veſtrum exiguam & tenuem admodum ſitis habituri familiam, qui nunc in ampliſſimo luxu & magna rerũ copia ſecur ſſime viuitis. Quid eſt cauſæ, vel quo iuſto titulo tantas poſſidetis opes? Quænam ſunt iſtæ veſtræ tam eximiæ virtutes, quę tantam merentur remunerationem? Nam & veſtis longior, & illud, quod veſti ſuperimponitis, lineum indumẽtum, & raſum ex præſcripto caput, & geſticulationes, ceremoniarum, quas ad ludibrium excogitaſtis ipſi, plenæ, tanti ſunt momenti? Nam vt omnes vndique cauſas conquiratis, nihil habetis aliud profecto, quod poſſitis obtrudere. Sed & hæc ipſa, quæ tamen leuiſſima ſunt & planè nugatoria, quibus inhærent, ac velut inædificatæ ſunt, nihilominus veſtræ poſſeſſiones omnes, contemnitis, vicariiſq; veſtris, infimæ ſortis hominibus, ea commendatis, & obeunda relinquitis. Vos interim ita viuitis, vt niſi veſtitu aliam perſonam ſuſtineretis, nullum inter vos &

leno-

lenones futurum ſit diſcrimen. Quid, num moderanda vobis hæc videntur & corrigenda? Verumtamen facile colligimus, non futurum à vobis initium huius correctionis, ac prudenter facitis in rem veſtram. Sed quid ſi vobiſcum ita tranſigeretur, vt ea, quæ nunc poſſidetis, non adimerentur vobis, & vt vos deinde viciſſim abſtineretis à perſecutionibus, non impediretis Euangelii curſum, & ex his ipſis facultatibus ac bonis, quæ ſunt ampliſſima, decideretis certam aliquam & mediocrem portionem in ſcholarum & collegiorum, & pauperum & Eccleſiæ miniſtrorum neceſſarios vſus? Faciunt hi veſtrum officium, quia vos negligitis & contemnitis: Vos illorum dilaniatis alimoniam & viſcera, tam iniquè commutaſtis inuicem: Scholis autem & miniſtris doctoribuſque verbi, ciuitates, & Reſpublicæ carere non poſſunt, & æquum eſt, vt habeantur non illiberaliter. Proſpexerunt quidem illis maiores noſtri, Reges etiam & Cæſares, valde copioſe; vos autem illa ſoli deuoratis, & hi fame cõtabeſcunt. Cur hanc tam non iniquam, ſed humanitatis & officii plenam cõditionem non admittitis? Plerique omnes ita interpretantur, metuere vos, quòd ſi permittatur Euangelii do-

ctrina, futurum, vt veſtra prorſus imminuatur authoritas & vileſcat, vt, etiamſi non auferantur vobis annui prouentus, illud tamen ſic accipiant homines, quaſi precario & ſingulari beneficentia principum ac magiſtratuum fiat, & iure poſſe vobis illa ſingulis temporibus auferri, qui nunc dominium in illa vobis & proprietatem vendicatis. Hæc ſi veſtra mens eſt conſiliumque, facile intelligi poteſt, nullam vos vmquam admiſſuros eſſe rectam moderationem; ſed inprimis & diligenter laboraturos, apud Cæſarem alioſque reges, vt impediatis eam, quemadmodum hactenus feciſſe vos & illam impediuiſſe, plerique confirmant. Iam verò, res noſtræ ſic habent, vt neceſſario multa ſint aliter conſtituenda & mutanda, omnes etiam iudicio præditi, ſic exiſtimant, aut hoc eſſe faciendum, aut inſignem aliquam expectandam rerum perturbationem, in vobis nihil habemus repoſitum ſpei; quia doctrina & eruditione caretis: Deinde, ſi qua eſt in vobis non reprehendenda, nec illaudata voluntas, ea tamen eſt auaritiâ & ambitione corrupta. Poſtremo, ſic vitam inſtituitis, vt propemodum cogamur de vobis omnino deſperare. Quid igitur faciendum eſt? Non deſunt nobis viri docti

quàm

quàm plurimi, pacis & concordiæ cupidi, ſunt & principes & principum conſiliarii non pauci, qui vident, quomodo ſit huic morbo medicina facienda. Poſſit ne à vobis hoc impetrari, vt veſtro permiſſu nobis liceat, certam religionis & doctrinæ formam conſtituere, vt profligaretur quidquid eſt in ea vitioſum, & Germania lętum recuperaret ac pium ocium, quo certè religio & ſcholæ carere non poſſunt. Diremp ti ſumus à vobis, & Alpibus & mari, nihil apud vos affectamus; idem vt vos quoque viciſſim apud nos faciatis, æquum eſt. Precamur vobis omnia proſpera & ſalua, hoc eſt, ſanam mentem: à vobis interim petimus, ne noſtrum hoc tam neceſſarium & pium inſtitutum impediatis. Adeo non eſt contemnenda Germania, vt inter omnes etiã populos, inſignem & honeſtum obtineat locum. Non poteſtis hoc vobis arrogare; quaſi maior ſit in vobis vel rerum prudentia, vel eruditio, vel vitæ ſanctimonia & integritas. Quòd ſi vos, numero pauciſſimi, potuiſtis ante hac videre, quemadmodũ moderandæ eſſent omnes per Europam prouinciæ, quid obſtat, quò minus etiam nos, numero ſuperiores, doctrinâ verò & rectitudine iudicii vobis non inferiores, videamus ea, quæ tam ad ſalutem noſtrã,

quàm ad Germaniæ tranquillitatem pertinent? præſertim cum vos, priuatis tantum veſtri Senatus & ordinis commoditatibus intenti ſitis; nos autem, publicam gentis noſtræ, imò ſi per vos liceat, totius orbis, & veſtram adeò ſpectemus incolumitatem. Certè ab eo tempore, quo regnum iſtud veſtrum floruit, nullum eſtis vnquam experti, tam acrem & vehementem hoſtilem impetum; nullis etiam temporibus vſi fuiſtis vnquam adeò variis & multiplicibus adminiculis. Initio quum in vno ſolum homine tota huius belli moles conſiſteret, cum hic ipſe veſter hoſtis, & à vobis damnatus, & à Cæſare, veſtrum ſequente præiudiciũ, proſcriptus, & omni propè humano deſtitutus eſſet auxilio, facillimũ erat, vt quidem videbatur, huic malo mederi. Cur autem in re peculiariter ad vos pertinente, tam fuiſtis negligentes? Aut ſanè contempſiſtis, aut nõ potuiſtis aliud pręſtare. Si contempſiſtis, pudere vos debet; ſi non potuiſtis, mirum hoc videbitur omnibus, præſertim poſteritati, quòd rem adeò facilẽ factu, non perfeceritis, ipſi locupletiſſimi, regum inſuper muniti & amplificati præſidiis, qui tunc erant vobis addictiſſimi, quorum etiam eſtis vſi non ſemel in hoc negocio, ſtrenuâ & fideli operâ. Quoties enim

enim tempus incidit, vt illi veſtro fauore & beneuolentia carere non poſſint, ibi vos ab ipſis hoc inuicem extorquetis, vt opem & patrocinium vobis promittant. Quî factũ eſt igitur, quò minus illi, quod & ipſi ſuâ ſponte cupiebant, & vobis non ſemel polliciti ſunt, perfecerint? Aut nõ placuerunt eis veſtrę rationes, aut aliis rebus impediti, non potuerunt, tam veſtræ, quàm ſuę ipſorum expectationi ſatisfacere. Dilatum eſt igitur remedium in hunc vſque diem, ſed vtrius partis commodo vel incommodo dilatum eſt? Equidem opinor, vos nihil hîc magnopere velle gloriari, tamquam de re prudenter feliciterque adminiſtrata. Quam igitur ſpem habetis reliquam? Armis & vi fruſtra pugnabitis. Nam & prærerierunt occaſiones, & auctæ ſunt nimium vires eorum quos petitis, & alienantur à vobis indies magis atque magis hominum animi. Num autem putatis futurum, vt redeant in gremium veſtrum aduerſarii? fruſtrà certè putatis: nam terrent eos veſtigia. An verò ſic exiſtimatis, non laturum eſſe Deum hanc illorum à vobis defectionem? Profecto, incertus eſt admodum hic euentus, nec eſt veriſimile, vos tam fore viuaces, vt tempus illud ſpectetis: Quemadmodum enim veſtram illam, nec puram, nec in-

nocentem vitam, diu pertulit ſummus rerum moderator Deus; ita quoque fieri poteſt, vt veſtris aduerſariis, longius aliquod temporis concedat ſpacium, quàm vos exiſtimetis. Quin potius agnoſcitis æquiſſimum Dei iudiciũ, qui vos ad hunc modũ raptat & exagitat? Principio, quum exiguus eſſet numerus eorũ, quos capitaliter odiſtis, nihil prętermittebatis acerbitatum in illos. Deinde, cum auctiores facti, patrocinium & tutelam inueniſſent apud Principes aliquot & ciuitates, veſtra quoque fuit aucta ſuperbia, quando principibus interminati, cogitabatis eos omni & ditione & dignitate prorſus exuere, ſecuti veſtra, maiorumque veſtrorum decreta, quibus, tamquam foſſa & vallo, licentiam veſtram circumſepſiſtis. Et quamquam hæc omnia eſtis conati, tamẽ non potuit eſſe tanta veſtra diligentia, quin illi vobis & ſcientibus & inſpicientibus, creſcerent, & nunc in eum ſint amplificati modum, vt etiam ii, qui nondum ſe coniunxerunt cum ipſis, malè de vobis & minus præclare ſentiant. Abhorrent à vobis plerique omnes, & mali ominis aues vos eſſe putant. Cum ad comitia legatos mittitis, illi ſic accipiuntur, vt facile intelligant, multum veteris illius & authoritatis, & gratiæ vobis periiſſe.

Quid

Quid vobis eſt animi, cum iſta recitantur? Num vetus illud, & vobis familiariſſimum, vos conſolatur, illud dico, quod Honorius Papa Friderico ſecundo Cæſari dicitur nunciaſſe quōdam: *Agitari quidem poſſe nauiculam Petri fluctibus & vndis, non etiam opprimi*? Verum quidem eſt iſtud, ſed is, qui nauiculam hanc gubernat, adeo vos vehementer inuaſit, & corripuit, vt merito ſit trepidandum vobis & expaueſcendum. Si veſtri aduerſarii ſic poſſent à vobis coherceri, ſolum vt ex veſtro præſcripto loquendum eis eſſet, pulchrè vobiſcum ageretur. Nunc autem ita res habet, vt illi profiteantur, ſe demonſtraturos, omnium vos hæreticorum eſſe nocentiſſimos. Ad hanc palęſtram vos prouocant; ſunt in procinctu, nec vllum aut laborem aut periculum in eo defugiunt. Vos autem quid interea? diſſimulatis, reſilitis, eluditis, & quid non? Tandem in anguſtias coacti, ſententiam hanc apud Cęſarem priuatim pronunciaſtis: Ineundam & firmandam eſſe amicitiam cum aliis omnibus regibus, indicendūm primo quoque tempore Concilium; corroganda contra Turcam auxilia vndecunque, augendum eſſe fœdus, contra veſtros initum aduerſarios, vt hac ratione terreantur, & in officio retineantur, vt qui ſint

orbi Chriſtiano pernicioſiores, quàm ipſi Turcæ. Meminiſtis, opinor, quo in loco conſilium hoc, vt longè ſaluberrimum & vobis commodiſſimum, propoſuiſtis. Quid autem Concilii publici mentionem tam ardenter facitis? Prius, quàm iuſta pugnetur acie, velitationibus & equeſtribus prœliis, tamquam præludiis quibuſdam, res agi ſolent militiæ. Morē hunc prudenter etiam in iſta cauſa ſunt imitati noſtri homines. Conflictati ſunt non ſemel diſputationibus aliquot leuioribus, in quibus quid actum ſit, & quomodo, ſatis à veſtris accepiſtis legatis. Veſtri propugnatores, quos habetis in Germania, maximo noſtro & diſpendio & dedecore, conductos, ita rem gerunt inepte, inſulſe & imperite, vt etiam, qui ſpectatores aſtant ipſorū ſodales & collegæ, pudefiant. Quod cū ita ſit, quomodo vel inſtruetis aciem in iuſto & conferto prœlio, vel hoſtē expectabitis? Certè niſi proferatis alia, quam hactenus feciſtis, admodum eritis ridiculi. Non iam permittitur, vt iudicandi poteſtatem vobis arrogetis, verum torquentur in vos grauiſſima tela criminationum. Quocirca vobis cogitandum eſt diligenter, quanto veſtro detrimento & ignominia futurum ſit illud, ſi vos in publico theatro totius orbis con-

contingeret ad eum modum ſuperari & conſileſcere. Nam vt omnia veſtra priuilegia, & quidquid omnino vobis vſui eſſe poteſt, coaceruetis in vnum, & in Conciliũ adferatis, vt omnes vndecunq; Theologos & Pontificios iuriſconſultos acutiſſimos, veſtrarum partium defenſores, adducatis eò; tamen fieri non poterit, quin & tempus, quod omnia detegit, & communis hominum ſenſus & pudor ipſe, multa vobis extorqueant, quæ fatendá vobis erunt & concedenda; multa inquã, quę pertinaciter oppugnaſtis antehac, & propter quę plurimos conieciſtis in acerbiſſimas calamitates & miſerias. Publicè fient iſta, ſpectantibus & audientibus omnibus omnium prouinciarum populis. Deum immortalem, quantus ibi fremitus, quanta conſurget in vos hominum indignatio? Sed non ita ſerio fortaſſe Cõcilium vrgetis, vt apparet ex illa veſtra conſultatione propoſita. Quî poteſt enim vno eodemque tempore & cogi Concilium, & bellum in Turcam ſuſcipi? Pariter iſta fieri non poſſunt; per interualla poterunt. hoc ipſi non ignoratis, alioqui nullam eratis facturi mentionem. Grauiter fuit interpellatus Leo Pontifex de Concilio, ſed tum nouam fuit auſpicatus ille tragœdiã; cuius quàm ſit luctuo-

ſus & funeſtus exitus, etiam hodie ſatis experimur. Adrianus videbatur eſſe paulò ſimplicior, quam qui veſtris moribus conueniret, cuiuſmodi etiam fuerit eius interitus, non neſcitis. Qui ſucceſſit huic Clemens Papa, ſic egit & vixit toto ſui Pontificatus tempore, vt qui innocentiam eius velit hominibus approbare, nihil aliud agat, quàm vt fidem in rebus aliis omnibus ipſe ſibi deroget. Penè exciderat Iulius ille ſacroſanctus: cum impetrari non poſſet ab eo Concilium, ideoque monarchæ indicerent illud, quid ipſe? fulminabat, proſcribebat, execrabatur eos, & omnium prædæ exponebat; neque deſunt hodie, quibus hoc illius mandatũ & fulmen magno conſtat. Si tunc ille ferre non potuit legitimos conuentus, quo tempore doctrinam eius & religionem nemo impugnabat; ſed hoc ſolum agebatur, vt ipſius immenſa rapacitas, & animus vindictæ cupidiſſimus coherceretur: Quomodo ſit veriſimile, vos hodierno die ſubituros iudicium, quando non ſolum eſtis accuſati de vita pluſquam Epicurea, déque Tyrannide, verumetiam de hæreſi & Idololatria, quâ & totum orbem noſtrum polluiſtis, & Deo grauiſſimam feciſtis contumeliam? Quomodo, inquam, ſuſtinebitis iudicium

um iſtud, præſertim, cum ſubſidium illud veſtrum vnicum & firmiſſimum, amiſeritis, hoc eſt, cum è tribunali vos deturbauerint aduerſarii, neque iudicandæ litis poteſtatem vobis permittant? Cur à multis nunc annis armaſtis reges in prœlia? Cur, quo tempore concilium erat coactum, tumultuum aliquando fuiſtis authores, ac turbas concitaſtis repentinas? Nonne, vt Concilium vel nullum coiret, vel coactum, diſſiparetur? Num poteſtis inficiari? Quod ſi tunc temporis, adeò vobis metuiſtis ab aliarum gentium Epiſcopis, qui non vna de cauſa, vos, tamquam Romani tyranni ſocios atque familiares, criminabantur: Quâ tandem fronte hodie ſuſtinebitis impetum, non vnius tantum Collegii, ſed omnium penè populorum, qui labes veſtras ibi patefacient, & iniurias plurimorum annorum, à vobis acceptas, commemorabunt, eóque vehementius & miſerabilius recitabunt, quò maiori vos tyrannide cohercuiſtis eos, & adegiſtis, vt omnia ſecum muſſitarent? Ad hunc modum vos excipient publici cõuentus: recte igitur facitis, quòd defugitis illos. Atqui ſuperioribus proximis annis, interpellauimus vos, dicetis, opinor, de Concilio, miſſis ad vos, eo nomine legatis noſtris. Verum

eſt iſtud & agnoſcimus, Patres conſcripti. Sed quo id conſilio feciſtis? Non alio certè, quàm vt euelleretis illam hominum de vobis opinionem, exiſtimantium, impedimenta per vos iniici perpetuò. Cumque non ignoraretis, quid paſſim de vobis ſentirent omnes, auſi tandem fuiſtis, concilii mentionem facere. Clemens etiam Papa, ſemel auſus fuit, toto ſui pontificatus tempore, ſed ita propoſuit, vt ſatis indicaret, ſe non emendationem ſpectare, ſed altiſſimum ocium & tranquillitatem. Sic enim habet eius oratio, quam per legatos denunciauit in Germaniam. Ocium autem illud & tranquillitatem, quomodo cogitabat ſtabilire ſibi ſuæque ſedi? Præſediſſet ipſe cognitor & iudex, Regum ſtipatus armis, & aduerſarios, nõ agnoſcentes ipſum, eiuſq; ſedem, condemnaſſet. Hoc ille compēdium ſpectabat, & vos quoq; ſpectatis illud omnes, etiam hic Paulus Tertius, qui cum ad Pontificatum perueniſſet, vt ſpecimen aliquod illuſtre daret ſuę probitatis, illud, quod vocant *Breuiarium*, repurgabat, ineptis quibuſdam fabulis ex eo ſublatis. Nonne ſpecioſum hoc eſt, ac magnum argumentum animi, veram & ſolidam reformationem meditantis? Non dubium; ſed ecce quæſtuoſa fuit etiam illi hæc ipſa repurgatio.
Nec

Nec enim licebat in eo Breuiario verſari, niſi certam pecuniam quis dependiſſet. Quid hoc? Nonne verum eſt, quod ſcriptura teſtatur, vos habere mentẽ exercitatiſſimam in omni genere rapinæ? Poſt hanc oſtentationẽ animi non peſſimi, cœpit prehenſare & ambire, quaſi valde cuperet publicum orbis Comitiũ, ſed illud in Italia cogi volebat, vt Clemens etiam, nõ in Germania, nihil veritus, irrita facere tam multa Imperii decreta, quibus hoc ſancitum eſt, omnium ordinũ aſſenſu, vt intra Germaniæ fines cogeretur. Clemẽs erat arrogantior, vt qui & illa Imperii decreta contemneret, ac tanquam rector & dominus orbis, conditiones etiam & leges præſcriberet futuri Concilii, quæ tales erãt: vt ſi locum habuiſſent, facilè, quô volebat, & ſpectabat, perueniſſet. Paulus verò, qui nõ ignoraret, quẽadmodũ exceptę fuiſſent hę Clemẽtis cõditiones ac repudiatę, nullas quidẽ ipſe leges ferebat, vt humanior eſſe videretur & lenior, alterũ verò nõ magis remittebat, quàm Clemẽs, & Italiam volebat eſſe Concilii ſedem. Fuit igitur exceptus hac parte, non aliter quàm ille. Et quo tempore ſic inſtabat, multa iam erant & non obſcura ſigna futuri per Italiã belli, quod cũ anno ſequenti ortum eſſet, homo ſedulus & vigilans,

opportunitatem hanc ſpeculatus, quo tempore bellum ardebat, palàm indixit Concilium; quod, cum non coiret, grauibus interiectis impedimentis, ille factus animoſior, pergebat, & orbis deplorabat miſeriam, quòd ſalutis ſuæ tempus negligeret. Ac ne quod omnino boni paſtoris officium prætermitteret, vtque omnes homines viderent, quàm ſeriò rem ageret, quod Mantuæ conſtituerat habere Concilium, Vincentiam tranſtulit, Venetorum ditionis oppidum, aliquanto vicinius Germaniæ, ſub illud ferè tempus, quo Cæſar & Gallorum rex, Nicęam Liguriæ venturi erant, belli componẽdi, ſi fieri poſſet, cauſa. Interea quoſdam ex vobis, Patres conſcripti, Vincentiam emandabat, Cõcilii inchoandi gratia. Quô cum nemo ferè accederet, vos illius Legati, vt veſtrum officium faceretis, reformationem eorum, quæ maximè neceſſaria vobis videbantur & præcipua, inſtituiſtis, è quibus & illud eſt, vt meretriculæ, tam veſtræ, quàm veſtrorum ſatellitum, moderatius agant, nec ita palàm conſpiciantur in tanto veſtium & ornamentorum luxu, vectæ per vrbem equis exquiſitiſſimè cultis & phaleratis, comitante illas curſorum & famulorum turba; ſed & illud, vt excludantur è ſcholis *Eraſmi*

Collo-

Colloquia, neque iuuentuti permittatur eorum lectio. Quid verò, nonne præclarum iſtud eſt, auſpicatumque procemium? Et hæc quidem tam non parui momenti, vos, & ſenes, & docti homines à ſummo Pontifice delecti, conſtituiſtis, & conſtituiſtis poſtea, quàm ille vos iureiurando conſtrinxerat, ne quid omnino diſſimularetis eorum omnium, quæ vobis à multa & graui conſultatione, viderentur eſſe neceſſario emendanda. Poſt hanc veſtram adeo ſalutarem, & doctrinæ & diſciplinę Eccleſiaſticæ, & morum correctionem, factæ ſunt inter Cæſarem & Galliæ regem, apud Nicæam, decem annorum induciæ, quo tempore quum crederetur, illud à vobis inchoatum Concilium poſſe perfici, propter reconciliationem Principum, ecce, magnum & inſperatum ſilentium. Pontifex enim, tamquam pacis & induciarum author, Romam triumphans inuectus, continuit ſe, perque totum quadriennium, in altiſſima quiete & ocio, de Concilio, ne verbum quidem vnum, publice, ſed recens ante biennium, eunte magnis viribus in Turcam Germania, creſcente iam, & non multo poſt erumpente nouo bello inter Cæſarem, Galliæque regem, denuo Concilium apud Tridẽtinos indixit; cuius, quem ipſe-

met futurum præuiderat & optabat, is fuit exitus. Quouſque tandem ludificabitis orbem terrarum, & in primis ipſam Germaniam? Etſi præ cæteris gētibus ingenii laudem vobis arrogatis & acumen; intelliguntur tamen à Barbaris Germanis veſtræ technæ, ac ita quidem prorſus intelliguntur, vt, quoties Concilii mentionem ſpargiris, ludibrium eſſe putent omnes vel mediocri iudicio præditi: ſic enim iam aſſueuerūt veſtris artibus. Quia non multum vos à præcipitio diſtare videtis, ideo circumſpicitis & inueſtigatis, quæcunque poteſtis diuerticula. Cur autem criminamini veſtros aduerſarios, quaſi multò ſint nocentiores orbi Chriſtiano, quàm ipſi Turcæ? Num ideo, quoniam optatis ante Turcicam expeditionem illos opprimi totos & deleri funditus? Nimirum eô pertinet conſilium illud veſtrum, cuius antea meminimus, vt fœdus aduerſum ipſos initum, augeatur. Verum ipſi adeo non reformidant lucē, vt nihil magis cupiant, quàm palàm fieri, voſne, an ipſi plus noceāt Reip. Iam olim ad hoc certamen vos inuitant, & cupiunt periculum facere. ſed vos, dum ad publicum orbis Comitium rem omnem reiicitis, male vobis conſulitis. Nam interea, magnæ fiunt acceſſiones ad illos, &

vos,

vos,vt eſt credibile,nondum eſtis ad Concilium inſtructi. Si noſtris in finibus eſſet, vt ſupra diximus, Cardinalitius ille ſenatus, & in impuriſſima vita ſibi tantam ſumeret poteſtatem, rectiſſime poſſent, vt mihi quidem videtur, ad eum modum, ſicut expoſuimus, interpellari. Duæ ſunt omninò cauſæ, cur aduerſum Tyrannos conſitentur homines, odium & contemptus. Nam amare nemo poteſt illos propter vafritiem & crudelitatem. Si prætereà ſint voluptuarii, contemnuntur etiam, quod Sardanapalo, quod alteri Dionyſio, multiſque aliis contigit. In hoc autem ſenatu concurrunt ambæ cauſæ. Rapacitatem ipſorum, pluſquam Verrinam, experti ſumus. Mollitiem autem & voluptates, & ea, quæ ſine pudore nominari non poſſunt, an aliquis ignorat? Et quamquam hæc ita ſe habent, tamen quia ſunt aliquanto remotiores, nec in oculis & conſpectu noſtro verſantur, obſtupeſcimus ad illorum mentionem, ac diuinum aliquid eſſe putamus. Interim habent illi ſuos, in Germania præſertim, defenſores, ex iiſque redemptos aliquot; qui quoniam in hoc tanto ſplendore Solis, nihil videre volunt, & Pontificum poteſtatem immoderatiſſime laudant, conſcientiam haud dubie ſuam ipſi vulnerant.

Nec enim eſt aut ignorationi deinceps, aut excuſationi locus. O vtinam ſentiat Germania, quantam acceperit plagam ab iſto hominum ordine, quòd eo miſerabilius eſt ac magis impium, quo ſceleratius eſt, patri aut fratri vim & manus inferre, vt externum & alienum, hoſtem patriæ, defendas. Ad hunc ergo modum quia ſe res habent, Principes & ordines clariſſimi, quoniam inſititius hic tyrannus, ille eſt, qui ſedet in templo Dei, qui ſe paſſus eſt, immò voluit & iuſſit, vt numen aliquod, coli & obſeruari, qui nouum doctrinæ genus, Prophetarum & Apoſtolorum doctrinæ contrarium, excogitauit, in eóque fœdiſſ. exercuit nundinationem; qui poteſtatem ſibi ſumit, non ſolum homines iudicandi, verũ ipſas quoque ſcripturas interpretandi, detorquendi, & accommodandi quocũmque velit modo, qui matrimoniũ inſtitutum à Deo vetuit, quod nullus vnquam fecit Tyrannus, quantumuis inhumanus & atrox; qui, poſt vetitum matrimonium, feneſtram aperuit & viam patefecit ad omne genus libidinũ, quibus & ipſe, tanquam auctor huius tam nefariæ legis, cõcitatus furiis vltricibus, omniũ ſpurciſſime ferè contaminatus eſt; qui nunc, poſteaquam detectus eſt, vt Apoſtolus prænunciauit, totis viribus

bus oppugnat veritatẽ, qui, tamquam alter Nabuchodonoſor, omnes, quotquot ſtatuam eius nõ adorant, & ipſum, vt terrenum numen, ſummam obtinentem in animas & corpora noſtra poteſtatem, non reuerentur & colunt, crudeliſſime perſequitur; qui præ cæteris populis Germaniam non ſemel circumuenit, riſit & opibus exhauſit; qui rametſi videt à plurimis iam ſe deſtitutũ eſſe, licèt intelligat multos ad defectionem ſpectare, quamquam non ignorat, paulatim abalienari plerosque, ſecurus tamen perſiſtit, & quaſi nullum eſſet in ipſius vita flagitium, nõ præbet vllum pœnitentiæ ſignum; his, inquã, de cauſis deſerendus eſt, ac fugiendum ab eo, tamquam ab omnium mortalium nequiſſimo. Sic meritus eſt ipſe, ſic ipſius maiores, de nobis, vt liceat ab eo quacunque tandem ratione recuperare, quæ per vim & dolum nobis ademit. Sedet intentus, & ſpeculatur omnem occaſionem concutiendæ Germaniæ: Quia Tyrannus eſt, neminem amat, odit omnes, & odit à multis iam ſeculis, & quò quiſque potentior eſt, hoc vehementius eum odit, & vt aliquem præter naturam & morem ſuum diligat, Germaniam tamen & noſtram gentem amare non poteſt, nec enim cauſam habet; ac quoties de nobis

cogitat, in mentem ei veniat oportet illud ex Comœdia: *En fundi noſtri calamitas.* Quàmdiu ſupereſſe putat inter nos aliquot, non alienos à ſe, tamdiu ſimulabit beneuolentiam, verum hæc tanta eſſe non poteſt; quin cupiat totam ſtirpem exciſam eſſe, dum cogitat, eos ipſos, non tam Romanę ſedis cauſam defendere, quàm proprium ſpectare commodum & emolumentum. Itaque grauia molitur in animo, neque diſſimulat, vos, qui turpe eius dominatum à vobis profligaſtis, dignos eſſe; qui poſſeſſionibus omnibus nudati, nullum in Republica locum honeſtum, nullam inter homines retineatis authoritatem, non obſcurè præ ſe fert, ſi tota diſſideret ab ipſo Germania, Cæſar etiam, auferendam eſſe nobis libertatem omnem, ius & priuilegium creandi Cæſaris, & hæc omnia transferri debere in aliam gentem; quamcunque ipſe velit, vt qui ſit dominus & author Imperii. Continentur hæc ipſius impreſſa monumentis & decretis; ita quidem, vt negari non poſſint, & ex ipſis multi poteſtatem hanc ſibi ſumpſerunt. Arrogauit hoc ſibi præ cæteris, Bonifacius ille octauus, dum accinctus enſe, & coronam triplicem, inauditæ ſuperbiæ teſtem; capite geſtans, in aſpectu & oculis omnium hominum, faſtuoſe

ſtuoſq; pronunciauit, *ſe Cæſarem ſimul & Pontificem eſſe*. Tuus etiã, Iohannes Friderice, patruus, Saxoniæ dux Fridericus, & poſt eum, parens tuus, intellexit non obſcure; cogitare ipſos, illud, quod ſuis inſeruerunt aliquando decretis & conſtitutionibus, perficere. Pleni ſunt Iuriſconſultorum Pontificiorum libri; plenæ ſunt eiuſmodi ſermonum & interminationum conciones ipſorum. Habent hoc, illi, non ita pridem emiſſi dialogi, noſtra vulgari conſcripti lingua, quos ex vobis quidam magnifice prædicant editis etiam libellis. Hæc omnia nouit ille, & quid ſuorum maiorum decreta præcipiant, non ignorat; & quoniam vtilitatem inſignem habent, cum ad Pontificatum admittitur, iureiurando promittit, ea ſe diligenter obſeruaturum. Si diſſimulat hodie, ſi non tam frequenter allegat illa fortaſſe, quàm tres illi, qui proximè ipſum antecefferũt, facit hoc, temporibus inſeruiens: callidus enim eſt veterator; ſed dubium non eſt, quin vehementiſſimè cupiat, illud ſe poſſe cõficere, quod & maiores ipſius conſtituerunt, & quod ipſe præcipuum eſſe videt, retinendæ ſuæ dignitatis propugnaculũ. Vt autem quod vult conſequatur, difficillimum eſſe videt, ac fortaſſe deſperat; aliam itaq; viam

ingreditur, exacerbat animos, alit diſſidia, nec in eo quidquam prætermittit; ita futurum ſperat, vt quod vi aſſequi non poteſt, arte perficiat & inſidiis, dum eô ſpectat, vt Germania ciuilibus concuſſa bellis, robur & ſplendorem omnem amittat. Summâ igitur diligentiâ prouidendum eſt vobis, illuſtriſſimi Principes ac Ordines, ne quam ei patefaciatis ampliorem viam, ad vos penetrandi: Videtis in eo perfectiſſimum Tyrannidis exemplar. Duabus omnino rationibus, ferè contrariis, gradum atque locum ſuum Tyranni conſeruant. Ineſt autem in vtraque & dolus & ſimulatio & malitia. Nam & potentiores vicinos atque ciues debilitant, & prudentibus inſidiantur, & operam dant, ne recte homines inſtituantur, & factiones alunt, & plebem cum nobilitate committunt, & amicitias dirimunt, & variis negotiis exercent populum, ne tempus & ocium habeat ineundi aduerſum ipſos conſilia: Deinde, vt quam proximè videantur ad legitimum & regium dominatum accedere, præ ſe ferunt, quidquid faciunt, ſe Reipublicæ cauſa facere; ſed in primis, amorem religionis atq; ſtudium ſimulant, vt populus & libentius pareat, & Deum metuat vltorem, ſi quam ipſis vim inferat; excellentes etiam viros honori-

nóribus augent aliquando, vt iuſtitiæ retineant opinionem, iiſdemq; virtutibus, quas in aliis & laudare videntur & admirari, credantur ipſi quoq; eſſe ornati. Nonne palàm has artes omneis conſpicitis in illo? Cauendum eſt itaque vobis maximopere: Propter facultates ac opes Eccleſiarum, nata eſt inter vos & aucta, ſicut plærique omnes putant, odiorum acerbitas. Non eſt digna ſatis, neque laudata cauſa, cur in mutuam perniciem coniuretis. Vos, quibus eſt inuiſa Romanenſium nequitia, ſic vos comparate, in eoſque vſus Eccleſiæ, pauperumque bona conuertite, ne qua deinceps oriatur ſuſpitio, magis emolumentũ ſpectare vos & compendium veſtrum, quàm religionis propugnationem. Qui male vobis cupiunt, admodum iſtud exaggerant, eóque vos nomine grauiter non ſemel accuſarunt: Et quamquam non dubium eſt, quin pleriſque veſtri ordinis iniuria fiat, tamen eſt fortaſſe non nemo culpandus. Quoties ad hanc criminationem reſpondetis; affirmatis, omnium eorum bonorum vos reddituros fidelem & exactam rationem, eóque ipſo certè fatemini, quiduis potius faciendum eſſe vobis, quàm vt homines exiſtiment, vos illa vobis ipſis, non etiam piis & neceſſariis vſibus, impendiſſe. Vos,

qui pro retinendis, quas veluti per manus accepiſtis, Eccleſiarum opibus contenditis, etiam atq; etiam cogitate; quemadmodum, & quos in vſus, illæ ſint olim contributæ: reſpicite, quàm ex vobis nemo ſuum faciat officiũ; proponite, quàm ſint multi facti miſeri veſtra culpa, quando victum & alimoniam ipſis debitam, vos præripuiſtis, & ſoli diſſipaſtis. Nam ſi ſunt Eccleſiæ bona, ſicut ipſi fatemini, videte, num ea ſint percipienda vobis, qui nullum Eccleſiæ munus verum & neceſſarium, vmquam obiuiſtis. Optima quæque facillimè corrumpuntur & degenerant: Fuerunt aliquando maiores veſtri, ſed multis ante ſeculis, fideles Eccleſiarum miniſtri, & quamdiu tales erant, nihil eos diuitiæ mouebant, ad quas poſteaquam adieciſſent animum, ſtatim negligere cœperunt officium, magis atque magis, donec eò tandem ventum eſt, vt Eccleſiaſticum ordinem nemo quiſquam affectaret, niſi diuitiarum & ocii conſequendi cauſa, quod ipſum non negabitis opinor. Et hodie, quando beneficio Dei doctrina illuxit, veſtris aduerſaria commoditatibus, & idcirco vobis inuiſa, conuertitis illa ipſa bona, quæ nomine & titulo Eccleſiæ poſſidetis, ad euerſionem huius doctrinæ, quæ nihil quidem vobis eripit,

eripit,ſed vos officii ſolum veſtri commonefacit, & ad meliorem frugem inuitat. A vobis factũ eſt initium turbarum. Qui Reipublicæ bene conſtituendæ formulas tradiderunt, cauendum eſſe dicunt, ne functio magiſtratus, ſit illis,qui adminiſtrant, quæſtuoſa;& viuendum ipſis eſſe putant,vel ex re familiari, vel ex ærario publico, ne, ſi priuati ciues videant illos ex Reipublicæ bonis diteſcere,ſe verò nõ ſolum ab honoribus, verumetiam à ſpe commodi remoueri ſemper & excludi, commoueantur. Et hoc quidem illi conſulunt iis magiſtratibus, qui ſuas cogitationes omneis atque ſtudia ciuitatibus impẽdunt. Iam ad vos ipſi reſpicite: Creuiſtis in immenſum & opibus & numero. Quod proprium eſt veſtri muneris, negligitis atque contẽmnitis. Ad iſtud vitæ genus, quod quæſtus tantum gratia ſuſcipitis, nulli patet aditus, niſi qui ſit moribus & inſtituto veſtri ſimilis. Et cum maximas habeatis onerum ciuilium vacationes ac immunitates, nullam tamen adfertis Reipublicæ commoditatẽ. Hæc inæqualitas non poteſt non parere offenſiones. Obiiciuntur vobis magna crimina, vos nihil ad ea reſpondetis; non tollitis manifeſtos abuſus; nõ corrigitis errores grauiſſimos; in Põtificem omnia reiicitis; neminẽ eſſe

ſpoliandum clamatis,& ſupra viginti nũ annos hanc ipſam cantilenã canitis; nullam interim bonæ mentis ſignificationẽ exhibetis; fidem & patrocinium Cæſaris imploratis, ac emendationem earum rerum, quæ ſine turpitudine ac flagitio tolerari non poſſunt, dicitis pertinere ad Imperii dedecus, quaſi Cæſar has veſtras labes propugnare debeat. In Pontificis & Romanenſium diſciplina, moribus, & tota vita, nullum videtis laudatum exemplum: neque neſcitis, quibus artibus illi Germaniæ ſpem & expectationem eludant. Quouſq; putatis hæc eſſe differenda? Statuendum eſt aliquid omninò, Germania vos genuit, non vt in ipſius perniciem cum externis coniuretis, verum vt ſalutem eius procuretis & tranquillitatem. Tempus haud dubie multa vos docuit, ſcitis ipſi, quæ fuerit ſub pontificatu vita. Sunt ampliſſimæ, quas tenetis, opes, & ad omnem luxum vobis ſufficiunt. Moderationẽ res ipſa poſtulat: ſi & ſcholis, & Eccleſiarum miniſtris, & aliis neceſſariis vſibus decidatur ex iis ipſis facultatibus, arbitrio bonorum virorum, non habetis veram querimoniæ cauſam, ſatis ſuperque vobis erit, & fortaſſe pluſquam expediat. Cur hanc rationem non initis pariter & amice tranſigitis? Hoc tan-

tandem omninò faciendum eſt, ſi patriam vultis incolumem. Quoniam vos doctrinam infeſtatis vtilem, ſalutarem & orbi neceſſariam, illi putant vobis auferenda eſſe, quæ nocent, arma. Hinc omnis inter vos digladiatio: quæ, quem ſit habitura finem, reſpicite tandem, & patriæ vos calamitas permoueat. Genus eſtis ac ſoboles priſcorum Germanorum, quos exteræ quoque gentes laudarunt ſemper ab animi robore & integritate: Plurima ſunt moliti contra nos, odio doctrinæ, Pontifices, à quorum facinoribus vtinam eſſetis omnes remoti. Decet hoc maſculam Germanorum virtutem, eóque magis abſterreri vos oportebat, quò clarius ipſi videtis, nihil hactenus profuiſſe cunctas ipſorum technas. Iudæorum olim ſacerdotes, ac principes inter ſe diſſidentes, alter alterius odio, crudeliſſimum tyrannum, Antiochum Epiphanem inuitabant, & adiutores ei fuerunt, vt Idolum in templo collocaretur, & ingens fieret per vrbem hominum ſtrages: Tantum poteſt vindictæ cupiditas, & odium! Hoc ſimulachrum intueri nos oportet. Noſter enim Antiochus Romanus quàm diu de veſtra fide, beneuolentiáque non dubitabit, ſperat eò rem deduci poſſe. Patefecit omnia tempus,

& nunc extant in publica luce, ac conſpiciuntur ab omnibus, tetra quædam atque funeſta quorundam, qui veſtri propugnatores videri volunt, conſilia, quæ non poſſunt ab vllo, niſi qui patrię videre cupiat incendium, laudari; quæ niſi beneficio Dei detecta fuiſſent, & nunc etiam oculis hominum expoſita, quæſo, quam eramus habituri Reipublicæ formam? Satis, adeoque nimium hactenus datum eſt odiis, & amarulentiæ. Si quid accedat præterea, non poteſt illud non eſſe calamitatis & exitii plenum. Et hæc quidem ad vos propriè pertinent, qui nomen ac titulum Eccleſiæ vobis vſurpatis; qui, quoniam inter Imperii principes atque odines honeſtum obtinetis locum, Cæſarum & Regum munificentia, cogitare debetis, magis, quid Germania poſtulet, quæ vos genuit, educauit, & ad hunc fortunæ ſplendorem euexit, quàm quid ille requirat, mollis & turpis dominator, qui & multorum per Germaniam tumultuum, ac bellorum author ſępè fuit, & idcirco vos iureiurando ſibi deuinxit, vt à patriæ ſtudiis & amore vos auocaret, ſuamque magis atque magis amplificaret potentiam. Omnibus autem vobis pariter nobiliſſimi Principes, huius aut alterius factionis, reſpiciendum

eſt ad poſteritatem veſtram, vt ad eos & libertatem, & puram Euangelii doctrinam, &hanc pulcherrimam bonarum artium, literarumque tractationem, noſtris inuectam temporibus, auctam & illuſtratam, ordine tranſmittatis. Quod ſane fieri non poteſt, niſi conſtituatis ocium, & operam detis, vt recōciliatis animis, nulla fiat inter vos diſſipatio. Nam alioqui ſecuturæ ſunt, dubio procul, horrendæ tenebræ, barbaries atque ſeruitus, è quibus erepti ſumus manifeſto beneficio Dei, non ita pridem. In ſublimiori gradu Germania nunquam fuit, habemus Cæſarem potētiſſimum, & vigilantiſſimum, excultæ ſunt omnes diſciplinæ, quodque præcipuum eſt, lucet apud nos incontaminata verbi Diuini doctrina. Quare, ſi quod fuit vnquam tempus, quo prudenti & graui conſiliō Germania opus habuit, hoc ipſum eſt profectò. Videtis, vt Deus nos vrgeat; naſcitur calamitas alia poſt aliam; inuoluimur variis & multiplicibus incommodis, neque nos explicare poſſumus. Bella gerunt potentiſſimi monarchæ, & ita quidem gerunt, vt finem proſpicere non poſſimus: & tamen his ipſis bellis impediuntur omnia publica negocia, quorum neglectus hauddubiè pariet extremam miſeriam.

voluntate quid.m & animi inquietudine & contentione nihilò ſumus inferiores priſcis illis heroibus; ab illorum autem virtute & animi præſtantia & dexteritate, multum hercle degenerauimus, vt de felicitate nihil dicam, quam nemo præſtare poteſt. Bellum certe ſuſcipi debet pacis obtinendæ & confirmandæ cauſa. Noſtra verò bella ſunt immortalia, ſeritur aliud ex alio; neque dubium eſt, quin & hæc ſit illuſtris quædam iræ diuinæ ſignificatio & nota, qui requiem ac veluti portum ex his tantis malis, nullum oſtẽdit. Frequentiſſimos agimus conuentus, adeò quidẽ, vt apud exteros in prouerbium & iocum venerint, *Germanorum Comitia*. Conciliis & deliberationibus in minima etiam hominum ſocietate & aggregatione opus eſſe, nemo neſcit; verum, ſicut male adfectum corpus, reiteratis ac ſæpè repetitis carere non poteſt medicamentis; ita quoque Reipublicæ non bene conſtitutæ ſignum eſt, in qua de iiſdem rebus toties fruſtra conſultatur & decernitur. Fœdus per omnem Germaniam, & quàm late Imperium patet, vnicum eſſe debebat, totius Reip. ſpectans incolumitatẽ. Nunc verò plurima ſunt ſeparatim & inter ſingulos: quod eſt maximum dubio procul, & alienationis animorum, & diffidentiæ,

& fu-

& futuræ diſſipationis argumentum. Et quò veriora iſta ſunt, quoque magis patent plurimorum ſenſibus, eò miſeriorem eſſe conditionem noſtram iudicare debemus, qui tam longè diſtamus ab eo, quem & optimum, & laudatiſſimum, & in primis expetendum eſſe videmus, rerum ſtatu. Non poteſt vlla Reſpublica diu conſiſtere, niſi magiſtratus communem ſalutem priuatis commodis anteponat. Cæſarem vobis dedit Deus, & ita dedit, vt vos vnâ cum eo prouidere velit & procurare omnia, quę pertinent ad tuendum iſtud Imperii corpus: Et ſicut in apum examine regem eſſe videmus, quē ſequuntur omnes alię magno ſtudio, & obſeruant, & ad mellificium intentę ſunt, & in alueariu m, tamquam in ciuitatem aliquam, omnem ſuccum ingenti labore, quæſitum in herbidis locis, & aduectum ex longinquo, conferunt: ita quoque vos decet, etiamſi modicum haberetis, nec ita potentem Cæſarem, iuuare illum ope, conſilio, & diligentia, in rebus omnibus, ad Imperii dignitatem pertinentibus. In omni Europa, & hoc noſtro, quem nouimus, terrarum orbe, nulla eſt eiuſmodi, qualis per Germaniam, Reip. forma. Quot enim ſunt principes ac ciuitates, totidem videntur eſſe reges atque ca-

pita. Nihil igitur eſt procliuius, quam, vt talis Reſp. nutet, langueſcat, intereat, & collabatur tota; quandoquidem hoc illi proprium eſt, vt in ea ſuum quiſque priuatim ſpectet emolumentum, & cogitet, quemadmodum ipſe, vel tueri ſua poſſit, vel amplificare etiam. Quod vbi fit, quis alius expectari poſſit exitus, quàm qualẽ Græciæ fuiſſe videmus? Quàm diu coniunctis viribus & communicatis conſiliis, libertatem illi ſuam defendebant, erant inuicti. Diſtractis autem animis, & in ſua priuatim commoda reſpiciẽtibus, facti ſunt præda Tyrannis; & ita peſſundati, nullus vt hodie ſit populus calamitoſior, graui ſeruitute preſſus immaniſſimi vaſtatoris: Qui quoniã in noſtra propè viſcera penetrauit, quę viciniores illi ſunt gentes, & nunc illum imminentem metuunt, miſerabilibus lachrymis & ſuſpiriis opem veſtram implorant & expectant, vt liberos infantes, parentes decrepitos, filias virgines, atque vxores pudicas, ab illius & gladiis & nefariis libidinibus, & ſtupris eripiant. Qua quidem ope, ſi deſtituantur, certò ſtatuunt & vident, euitare ſe non poſſe illas ærumnas, in quas & alii complures ante ipſos inciderunt, & nos, ipſis oppreſſis, dubio procul incurremus.

IO-

IOHANNIS SLEIDANI ORATIO AD CAROLUM QUINTUM CÆSAREM.

VEteres omnes, qui nullam habuerunt Dei cognitionem, ſollicitè admodum inueſtigarũt, Carole Cæſar, vt certò cognoſcerent, cuiuſmodi ſit orbis terrarum, & huius quod intuemur, cœli, fabrica, quo ſit authore condita, quomodo gubernetur, qui ſit hominum ortus, quæ rerũ humanarũ conditio, & quemadmodũ hæc omnia, quæ cadunt in hanc vitã, ſingulis temporibus, cõſiſtant, immutentur & occidãt. Non vna fuit, nec eadem illorũ ſententia; ſed qui propius ad veritatẽ acceſſerũt, illi ſic iudicarũt, proficiſci omnia & emanare, ab vno aliquo & perenni fõte, ac neceſſario tenere illũ, quẽ videmus, curſum. Et quoniam erant deſtituti verâ Dei notitiâ, *Fatum* appellarunt, rem ſcil. iam inde à primis mundi incunabulis ita conſtitutã, rem fixam & immobilẽ, quę omninò vitari non poſſit. Nos verò, quibus

beneficio Dei, veritatis lumen illuxit, certò ſcimus, omnium rerum originem, ſtatum, progreſſus, & moderationem, ab vno Deo pendere. Conditum enim eſt ab eo, quidquid vſpiam oculis conſpici, quidquid omnino ſenſu comprehendi poteſt; ab eo conſtituta ſunt regna & imperia; ſolus ipſe conſeruat eadem; ſolus amplificat, & cum vult, labefactat; ipſe eſt qui transfert illa, nunc ad hanc, nunc in illam gentem; vt certò ſtatuamus, ipſum eſſe illum Iouem, cuius omnia plena ſunt. Iam verò, inter alia multa, quæ per orbẽ terrarum extiterunt, Imperia, quatuor fuerunt, eximiæ præ cæteris, & tanquam præcipuæ Monarchiæ; Quarum & potentiſſima fuit atque etiam poſtrema, *Romanorum*, vt ſcriptura multis ante ſeculis præſignificauit. Quod quidem imperium tandem occidit, & diſſipatum eſt, vt & illa tria, quæ ordine præceſſerũt ipſum. Nam & ad Orientem & Occidentem Solem latiſſime regnauit. Quidquid in Aſia tenuit, & quidquid in Africa, totum eſt amiſſum. Maximam Europæ & fertiliſſimam partem poſſedit; nunc autem ex illa veluti mole, creuerunt alia multa regna, prorſus ab ipſo corpore ſeparata, & nihil omnino reliquum eſt, præter titulum & nomen, quod adhuc Germania retinet,

ad quam poſtremo eſt delata poteſtas creandi Cæſaris; Qui tamen adeo nulla ex parte conferri poteſt cum veteribus illis Romanorum Imperatoribus, vt ne ſedem quidem ipſam Cæſarum auitam, & priſcum domicilium, vrbem Romam, teneat. Cæterum, vnà cum occaſu Romani Imperii, magnam cladem acceperunt omnes bonæ diſciplinæ; quæ tandem, augeſcente quotidie malo, prorſus fuerunt oppreſſæ & extinctæ. Poſtquam hæc tanta caligo literas & artes omnes inuaſit, magnæ quoque tenebræ ſunt conſecutæ in Religione & doctrina Eccleſiaſtica. Et quantum ad deprauationem literarum attinet, vel noſtrorum temporum ſenes, hoc ipſum non ignorant. Quòd autem artium ſtudia magnum adferant momentum ad Eccleſiaſticam adminiſtrationem bene gerendam, hoc in ſua domo quiuis paterfamilias priuatim, & publicè Magiſtratus ipſi teſtantur: Adoleſcentes enim idcircò mittimus in literarum ludos & ad præceptores, vt cognitione bonarum rerum exculti, melius & fructuoſius inſeruiant Eccleſiis & Reip. Eſt igitur ea, quam diximus, ingens quædam calamitas, & tanta quidem, vt à Diluuii tempore, quo totus hic orbis fuit inuolutus & obrutus vndis, nulla fuerit maior, imò

nec maior eſſe queat, tantam videlicet, ac tam illuſtrẽ Monarchiam, interiiſſe propè totam; & vnà cum eius interitu, præclaras etiam artes, ac veram de religione doctrinam, amiſiſſe decus & omnem ſuum ſplendorem. Quæ poſſit enim alia euenire horribilior clades, cum in rebus humanis nihil ſit vel melius, vel præſtantius, vel auguſtius, quàm hæc ipſa; Religionem dico, literas & Imperium? Et hoc tantum malũ, temporibus, vt fit, auctum eſt etiam, atque magis inualuit. Sed reſpexit nos tandem Deus, & in Germania rurſus excitauit artes, optimarumque rerum ſcientiam, liberaliter admodum & abunde. Atque hæc tam inſignis & læta viciſſitudo incidit in tempus proaui tui, Cæſar, Friderici Imperatoris, ac poſt eius mortem feliciſſimos habuit progreſſus imperante auo tuo Maximiliano Cæſare: Quod ipſum, tanquam ſummum & incredibile beneficium, debemus amplecti; quoniam artes omnes Deus & hominibus largitur, & pro ſuo arbitrio diſtribuit. Ac inter cæteras quidem Auſtriacæ domus tuę laudes, illud etiam in primis numerabit poſteritas noſtra, quòd, quo tẽpore Cæſareus honos, in veſtram familiam, alioqui clariſſimã, velut illuſtris quidam ſol, illatus eſt, eo ipſo tempore tam pul-

puchra, tamque læta rerum eſt ilicò ſecuta commutatio: Quam alia deinde, multò maior & ſplendidior excepit Dei beneficentia, quæ tunc demum, poſteaquam tu Germaniæ Principum voce nominatus es Cæſar, initium habuit, & hodierno die mirabilem in modum viget. Atqui, ſi quis eſt omnium hominum, cui rem tantam oportet eſſe curæ, tu certè hic eris, quem Deus Reip. Chriſtianæ, veluti ſummum iuris præfectum, in hoc noſtro orbe conſtituit. Et quemadmodum hoc ipſum negocium eſt facile primum inter omnia, quæ cadere poſſunt in hominum vitam atque cogitationem; ita quoq; ſummam poſtulat moderationem & prudentiam, ne quid in eo vel imperitè, vel inconſideratè, vel etiam iniquè ſuſcipiatur. Iam verò, ſi cum emanaret primum cauſa iſta, ſecuti fuiſſent homines illud Gamalielis conſilium, in Phariſæorum ſenatu ſuadentis, vi nihil experiendum eſſe; futurum enim, vt ſi Deus approbaret, nemo poſſet reſiſtere; ſin minus, facili momento & ſuâ ſponte collaberetur, quod agebatur; ſanè prudenter feciſſent. Et qui ſimile conſilium id temporis tibi, Cęſar, impertiuiſſet, immortalem ille & ſolidam fuiſſet meritus laudem: Quod hodie pulchrè iudicari poteſt, quando conſtat, cauſam

hanc præter omnium hominum expectationem, ingentes accepiſſe vires. Verum adeò craſſa fuit per id tempus & denſa rerum ignoratio, vt irradiantem lucem abſe vellent etiam arcere & amoliri homines; exiſtimantes, vt eſt apud Platonē, *nullum eſſe melius, aut illuſtrius vitæ genus, quàm illud, in quo tam longo tempore eſſent verſati.* Poteſt igitur hac ratione probabiliter excuſari, quòd initio reſtiterunt. Nunc autem, quando propter temporis interuallum, ignoratio non poteſt non eſſe coniuncta cum obſtinatione; longè aliter ſtatuendum eſt, atque conſideranda ſunt initia, incrementum & progreſſus. Ac principio quidem, tempore Leonis Pontificis, tanta fuit caligo & fœditas in Chriſtianam inuecta doctrinam, vt etiam cœlū precio venderetur, tam non infeliciter, vt negociatores ipſi, benè diſtractis mercibus, non ſemel redirent in eadem loca, quæſtus vberioris gratia. Porro, non eſt quòd exiſtimemus leuē hunc eſſe atque vulgarē abuſum, errore quodam & temporibus introductum; ſed cogitandum eſt, grauiter ac ſeriò, diu & multum, quàm miſerè tum fuerit obſcurata pia doctrina, quàm deplorata fuerit rerum facies per hunc noſtrum orbem; quando veteratores iſti nōn verebantur
eiuſ-

eiuſmodi ſuas merces apud nos circumferre; quando non dubitabant pro concione recitare populo quiduis etiã, quantumuis ineptum, impium & abſurdum; quando non modo vulgus hominum, ſed Reges etiam ac Principes, in tam tetris & miſeris opinionibus hærebant. Non hic tantum error in eo reprehendendus venit, ſed malus quoddam latet haud dubiè myſterium, & inexhauſta quædam fœdiſſimarum perſuaſionum colluuies in iſta ſentina reconditur. Habebant olim domini poteſtatem omnem in ſeruos; non ſecus atque in pecudes. Conſulit autem Plato, ne vel acerbè vel iracundè nimium; aut crudeliter & durè habeantur. Quod vt facilius perſuadeat, hanc addit inſignem ſententiã, eſſe optimæ & laudatiſſimæ naturæ ſignum, quando moderate quis agit & clementer in illos, in quos alioqui ſæuire poſſit. Maximè ſeruilis & ignominioſa vita fuit, quam ſub Pontificatu Romano, ſub domina meretrice viximus. Ille verò non tractauit nos, vt herum liberalem & moderatum decet; verùm affecit nos omnis generis contumeliâ, & onera nobis impoſuit, qualiacunque voluit, non ſecus atque brutis animantibus. Nihil mouit eum noſtra, tum inſcitia, tum miſeria; ſed quò craſſiorem

in nobis ignorationem deprehendit, eò maiorem ſibi quæſtum auſus eſt polliceri. Iam, quo tempore nundinationem illam, cuius antea meminimus, per hunc noſtrũ orbem inſtituit, neceſſe eſt, ipſum aut idem putaſſe, quod miſeris hominibus perſuadebat, probam eſſe videlicet hanc mercem & minimè fucatam, aut non ignoraſſe, fraudem in ea maximam eſſe & ludificationem. Alterutrum vt eligat, oportet. Si ſerio rem egit & ex animo, fatendum erit, ipſum eſſe vere natiuum Antichriſtum, cuius authoritate & iuſſu, res tam tetra primum eſt excogitata. Sin autẽ ludum eſſe putauit ipſe, quòd eſt veriſimilius, tyrannum vt appellemus eum, oportet, omnium, qui iam inde fuerunt ab orbe condito, longè crudeliſſimum; qui nos miſeros, in extremam ſeruitutem redactos, non ſolum non reſpexit humanè, neque ex illis, tam denſis & horridis opinionum tenebris eripuit; verumetiam, vt magis affligeret, in rem noſtram familiarem & arculas, velut in medullas & oſſa, peruaſit. Certò ſtatuendum eſt igitur, fuiſſe Deum hoc vno ſcelere vehementer offenſum & irritatum, neque permiſſurum, vt his Gigantibus id impunè licuerit. Nec enim vllis vnquam temporibus ferre potuit Idolorum cultus.

cultus. Fœdiorem autem & immaniorem Idololatriam mens humana comprehendere non poteſt. Illam igitur vltus eſt tandem, quo primum tempore tibi, Carole, Cæſareus honos oblatus eſt, tunc demum ad vindictam ſibi depopoſcit aduerſarium ſuum Deus; eumque ſua inuicta manu ſic conſtrinxit, vt elabi non poſſit. Gubernari autē à Deo negocium iſtud, multò clarius nunc videri poteſt, quàm anteà, propter ea, quæ nouimus in hanc cauſam incidiſſe. Maximâ contentione totiſque viribus, doctrinam hanc, Romanus Pontifex ab initio ſtatim oppugnabat, quia præuidebat luculentum damnum. Fulminabat igitur ſuo more, ſi quando aliàs, potentiſſime; deinde, quod proximum erat, fidem & auxilium tuum, Cæſar, implorans, hoc tandem obtinuit, vt in frequentiſſimo Germaniæ conuentu cauſam hanc totam & authorem eius, graui damnares edicto, poteſtate facta, vt cuique liberum eſſet, manus in eum iniicere, & in carcerem publicum pertrahere. Quid autem? num ratã Deus habuit hanc ſentẽtiam? Minime, ſed interuertit & aboleuit eam, ſic vt viribus omninò careret: Atque viceſimus tertius hic eſt annus, cũ promulgaretur. Non voluit in ea quidquam ex hominum iudiciis aut voluntate

perfici; cum tamen tota moles videretur pendere ab vno ſolum homine; minimè potēte quidē illo, ſed omnino tali, qui leuiter potuiſſet, vt exiſtimabant omnes, vnâ cum ſcriptis deleri & opprimi. Spectaculum igitur exhibuit Deus illuſtre admodum, vt viderēt omnes, humana conſilia temere cōtra veritatem ſuſcipi. Quid igitur actum eſt? Vix lata ſententia, ſtatim exorta ſunt bella, quibus ita fuiſti, Cæſar, impeditus, vt huic cauſæ temporis & ocii ſatis ad incrementum ſupereſſet. Quæ quidem bella gerebas contrà potentiſſimum hoſtem, per annos nouem; quem ſi pacatum habuiſſes, facile poteras, & tuo, & Pontificis, quem tuebaris, deſiderio, ſatisfacere. Nam meminiſſe potes, atque memoriâ repetere, ſi nullum interueniſſet maius obſtaculum, an non fueris ipſa re, quod verbis antea feceras, declaraturus; præſertim, cum id temporis per ætatem non poſſes rei magnitudinem peruidere totam, & ab eorum penderes conſilio, qui doctrinam hanc oderant infeſtiſſimè. Certè plerique omnes in ea ſunt ſententia, te non fuiſſe defuturum expectationi plurimorum, & Pōtificii omnes per Germaniam, quoties infortunia ſua deplorant, diſertè pronunciant, res non fuiſſe caſuras in eum, quo nunc ſunt, locum,

cum, ſi non maximis ipſe negotiis & inextricabilibus fuiſſes implicatus. Conſtantem quoque te fuiſſe in hac voluntate, vel ex eo ſatis apparet, quòd annis quinque poſt illud tuum primum edictum, in ea pacificatione, quam cũ Galliarum rege capto conſtituiſti, claris verbis hoc inſertũ eſt, inter alia fœderis capita, *velle vos coniunctis viribus Lutheranam ſectam euellere totam & extirpare.* Magna fuit hæc ſanè conſpiratio, neque mediocriter extimeſcenda multis. Quid autem eſt conſecutum? Deus iterum obiecit clypeum, quem nulla cuſpis tranſuerberare potuit. Nam illa tantopere captata beneuolentia, non potuit coaleſcere, ſed paulò poſt diſſiliit. Redintegratum eſt bellum, quo ſic impediti fuiſtis ambo, vt decretum illud veſtrum, magno plurimorum terrore propoſitum, & fœdere ſancitum, vim omnem amitteret. Sed eo non contenti, triennio pòſt, cum noua fuiſſet inita pactio, caput illud fœderis idem, repetitum fuit à vobis, & hoc inſuper additum, impetrandam eſſe à Pontifice Romano, illam, quam ipſi vocāt, *Cruciatam,* & hac ratione colligendam vndecunque pecuniam, veluti neruos futuri belli, tam aduerſum Lutheranos, quàm in Turcam Chriſtiani nominis hoſtem. Compoſitis

igitur bellis, in Germaniā denuo veniſti, diſſidium hoc in Religione ortum, ſedaturus. Cumque in illo Auguſtæ Vindelicorum Concilio, principes aliquot & ciuitates, qui interea, dum tu bellicis tumultibus obrutus, diu multumque & longe aberas, doctrinam hanc erant amplexi, religionis & fidei ſuæ rationem, ſcripto comprehenſam, apud te, ſenatumq; principum & ordinum expoſuiſſent; decretum quoddam tunc faciebas graue profecto & durum; In eoque fuit hoc inſertum, *vt intra præfinitum tempus, & menſes ferè quinque ſtatuerent illi, num vellent ſuſceptam ſententiam tueri, an potius eandem, quam tu, quam alii multi, Religionem ſectari.* Quod quidem decretū fuit haud-dubie Pontifici pergratum, à quo recens inaugurationē Imperii ſuſceperas: Quo tempore, veriſimile eſt, illum tibi ſuā dignitatem magnificis verbis, & eximie commendaſſe, maximamq; in te ſpem repoſitam habuiſſe. Porro, ſi quid eo tempore, per vim & arma tentatum fuiſſet, difficilius id futurum erat, quàm aliquot annis antea, quum tota res, omnium iudicio, penderet ab vno ſolū homine: Verumtamen, non paulò facilius tum futurum etiam erat, quàm fortaſſis hodie ſit. Sed pro ingenii dexteritate, videbas ingens

gens & luctuoſum ciuile bellũ excitatum iri; ſiquidem arma plus, quàm æquitas & ratio valerent, præſertim, quum negociũ iſtud, non iam ſolum diſceptaretur ab hominibus priuatis, verumetiam patronos haberet principes aliquot & ciuitates. Cumque in hac tam graui & ſeria deliberatione totus hæreres, ecce aliud quoddam interuenit obſtaculum; tanti quidẽ momenti, vt circumſpiciendum eſſet, quemadmodum ordines omnes cõciliarentur, & ne cui præberetur vlla offenſionis cauſa. Corrogandum fuit magna celeritate, quidquid vſpiam erat auxiliorũ, vt irruenti totis viribus in Auſtriam Turcæ, iuſtus opponeretur exercitus. Quæ res occaſionem dedit, vt decretum illud, cuius meminimus, alio leniori commutaretur; ad eum ſane modum, qui cauſam ipſam deinde non mediocriter promouit. Et quia conſtantiam in noſtris hominibus inſignem hauddubie deprehenderas, viſus es deinceps non paulo remiſſius agere, quam antea. Reuerſus enim in Hiſpanias, duobus interiectis annis, Africanam illam ſuſcipiebas nobilẽ expeditionem, eoque bello feliciter confecto, Neapolim, ac in Italiã inde citeriorẽ veniſti. Quo tẽpore, quum exultarent Pontificii, tuamque, Cæſar, victoriam, ſuam eſſe putarent, ipſorum aduerſarii princi-

pes ac ordines Imperii, quos eiuſmodi plenæ minarum iactationes latere non poterant, miſſis ad te in Italiam literis, exponebant, cuiuſmodi ſpargerentur rumores, & quàm non obſcurè quidam præ ſe ferrent, pactum illud Norenbergicum, & huic annexum edictum tuum Ratisbonenſe, non ſeruatum iri. Quibus ipſorum literis, abs te leniter reſponſum fuit; *velle te, maximéque cupere, diſſidium Religionis, ortum in Germania, componere, nō vi nec armis, verum æquitate, ratione ac beneuolentia, vt hoc certo ſtatuerent, nec aliud ſibi paterentur perſuaderi.* Et ita quidem reſpondebas, cum eſſes in procinctu, inque Maſſilienſem prouinciam exexcitum ipſe duceres, aduerſus Galliæ Regem. Cui cum eſſes denuo poſt reconciliatus, atque Pontificii nouam hoc ipſo crederent ſibi oblatam eſſe rei bene gerendæ occaſionem, ac multa ſiniſtre molirentur; eaque deinde præter omnium exſpectationē detecta, magnas viderentur excitatura ſeditiones, tu miſſis ab Hiſpania legatis, & datis arbitris, non recuſabas, quominus de Religionis doctrina, viri docti, pacis & quietis publicæ ſtudioſi, comiter & amicè aliquando diſceptarent, vt ab ipſis patefacta via, & oſtenſa concordiæ ratio, iuſſu & authoritate tua con-

confirmaretur. Aliquot deinde poſt menſibus, per Galliam facto itinere, in Belgicam tuam reuertiſti: cumq; ſub tuum aduentũ, aliquot quietis impatientes homines, belli ciuilis per Germaniã fundamenta ieciſſent, ac illam tuam cum Galliarum rege, talem, tamque arctam conſociationem, ſibi quoque futuram vtilem arbitrarentur, iamque propemodum inſultarent ferociter ſuis aduerſariis; tu fidei promiſſique memor, & fortaſſe reſpiciẽs, quantopere iam eſſet amplificata cauſa, conuentum indixiſti publicum: In quo, licet ad vim ſpectarent illi ipſi, qui te Galliæ regi nuper coniunctum, nihil non poſſe perficere putabant, tu tamen ſingulari vſus humanitate prudentiáque, rem permittebas in alio Comitio diſceptandam inter vtriuſque partis homines doctos: Qui paucorum dierum collocutionibus habitis, tamquam præludiis quibuſdam & velitationibus, Ratisbonam abs te ſunt euocati. Quô cum & alii principes magno numero veniſſent, tu veram atque legitimam rationem ingreſſus, aliud inſtituebas amplius colloquium, in quo quid actum ſit, & quemadmodum, nihil attinet repetere. Quæ cum ita ſint, quid aliud iudicari debet, quàm repreſſiſſe Deum, & cohibuiſſe cõ-

filia tua; ſed & ita gubernaſſe deinceps, vt integrum tibi non fuerit, armis & potentiâ cauſam hanc obruere? Si hoc non eſt illuſtre quoddam, à Deo præfixum nobis, in quod intueamur, miraculũ, quid tum erit? Cogitare nunc, Cæſar, debes, quàm fuerit periculi plenum eorum conſilium, qui tibi fuerunt authores, vt illa de quibus diximus, decreta proponeres, qui tam ardenter ſollicitarunt, vt armis rem aggredereris. Volebant & initio, & multis poſt annis, totam hanc doctrinã, funditus deleri, atque huc omnem ingenii vim conuertebant. Et nunc in poſtrema diſceptatione, conuênit de certis quibuſdam doctrinę capitibus, quæ ſuperioribus annis, authoritate quidem tua, ſed ipſorum hortatu & conſilio damnata fuerunt. Nunc ita iudicatum eſt à pleriſque omnibus minimè obſcurè, doctrinam hanc, magna ex parte, non modo tolerabilem eſſe, verumetiam vtilem, ſalutarem & neceſſariam; propter quam tamen doctrinam, à viginti annis, & eo amplius, complures fortunarum omnium iacturam, & vitæ periculum ſubire coacti ſunt. Negari enim non poteſt, ob ſolum illud doctrinæ caput, quod eſt de iuſtificatione, latiſſimè patens, miſerabiliter eſſe quàm plurimos vexatos & afflictos. Hanc enim

enim Euangelii partem, vt præcipuam, ferre non poſſunt, ſed crudeliſſimè perſequuntur & oppugnant, eò, quod omnis ipſorum quæſtus, gloria, ſplendor & luxus conſiſtit in illa tenebricoſa, & impia perſuaſione, quâ locum hunc de iuſtificatione totũ obruerunt & contaminarunt. Quid nunc adferant, aut quomodo hanc ſuam, pluſquam Giganteam audaciam excuſent, quod huius doctrinæ odio, tam multos homines in extremas coniecerunt calamitates? Reſilire non poſſunt: pręcipuum noſtrę religionis caput, quod eſt, vt diximus, de iuſtificatione, ſic eſt illuſtratum, vt inficiationi non ſit vllus locus. Patefactus eſt atque ob oculos poſitus, errorũ Labyrinthus, quibus erant intricatę omnium hominũ mentes. Concedi poſſit hoc eis fortaſſe, quòd initio nõ tam ingenii prauitate & malitia, quàm ignoratione quadã, ex lõginquitate temporis & conſuetudine collecta, peccarint. Eſto, largiamur hoc eis. Quid autem rei eſt, aut quomodo veniam mereantur, qui etiã hodierno die poſt tam longum tempus in hac clariſſima veritatis luce, tam obſtinatè reſiſtunt? Excuſari profecto non poteſt vlla ratione hæc pertinacia. Nec enim vocari iam poteſt ſimplex iſta ignoratio, quæ veniam impetrat;

ſed duplex illa, quã Plato deſcribit, quum quis inductus faſtu quodam & ſuperbia, ſibi ſumit alicuius rei peritiam, aut aliquid tuetur, quod vel neſcit, vel recte defendi non poteſt. Et hic quidem affectus, quum incidit in hominem alioqui potentem & locupletem, magnas concitare ſolet turbas, vt inquit ille, ſicut & hoc nõſtro tempore coram videmus, & experimur. Ac profecto, ſi nullum haberes aliud, Cæſar, indicium, facile tamen videas ex eis, quæ ſunt actaRatisbonæ, præfractũ eos & amarulentum animum ad huius cauſæ tractationẽ ſemper adferre. Complures nunc annos litigatum eſt, multa fuerunt ordinum Imperii Comitia, non ſemel in maximo fuit diſcrimine tota Germania propter hoc negocium; nec vnquam eò res deduci potuit; obſiſtentibus aduerſariis, vt familiaris & amica inſtitueretur collocutio: Quæ poſteaquam nunc tandem à te permiſſa fuit, in eáque de non paucis controuerſiis, quæ turbas illas omnes excitauerant antea, conuenit, tergiuerſantur & pedem referunt; adeóque veritatem expoſitam omnium oculis excludunt, & cauſæ cognitionem ad Conciliũ timide reiiciunt. Conati ſunt ante hac perſuadere hominibus, non eſſe diſputandum, & credebantur adeò eſſe

referti

referti telis argumentorum, vt aduerſarii vix momẽtum vnum poſſent in acie conſiſtere, vel pedem conferre. Quis verò putaſſet rem eò deductam iri, vt omnem actionem in Concilii tempus relegarent, hoc eſt, vt legitimæ cognitioni ſe ſubducerent, nec auderent eo minus cùm hoſte cõgredi, ſuáque defendere ſolidis ac veris argumentis? Promiſerant ſibi & ſpẽ certam conceperant, futurum, vt armatus legem ferres, Carole Cæſar, prorſus ex ipſorum ſententia & voto; quâ quidem ſpe cum ſe nunc decidiſſe vident, anguntur animis, & condoleſcunt ſuprà quàm credi poſſit, neque cauſam eſſe putant vllam, cur te magnoperè complecti debeant. Meminiſſe potes, quam atrociter & multipliciter, apud te, ſuos aduerſarios non ſemel detulerint. Iam verò non potes ignorare quàm id fecerint, non odioſe tantum & acerbè, verumetiam falsò. Quoniam igitur ex his quæ recitauimus, manifeſtum eſt, hanc cauſam, nullis humanis aut viribus, aut arte, ſed ſolius Dei mirifico & inenarrabili conſilio gubernari: deinde quoniam omnes omnium hominum rationes contrà ſuſceptæ & initæ, mirabiliter diſſipatæ ſunt, vt conſtat, æquum eſt, vt tu Cęſar, qui primus es omnium Regum, grauiter & ſerio tecum

iſta cogites. Nam ſi ſpectemus humana, permultum ſanè in te vno poſitum eſt. Reges aliquot, item principes non pauci & ordines in te ſolum reſpiciunt, & quorundã res ita ſe habent, vt ex te toti pendeant. Contulit in te vnum Deus complures & florentiſſimas prouincias, ac te nobis Cæſarem dedit longe potentiſſimum, qualem à multis iam ſæculis Germania nullum habuit. His tam multis & egregiis populis à Deo præfectus es, non ſolum vt ciuilem iuſtitiam adminiſtres, eoſque ab hoſtium impetu defendas; verumetiam vt prouideas & operam des, quò pie viuant, nec vlla falſa doctrina ducantur in errorem. Per Hiſpanias, auitam poſſeſſionem & regnum tuum, viget ſupra modum, ea quæ dicitur *Inquiſitio*, & ita quidem viget, vt & nihil cuiquam effari liceat, & in teſtimoniis cognoſcendis magna ſit iniquitas. Quod eò periculoſius eſt atque indignius, quod huius inquiſitionis præfecti, ſunt & indocti & auari, & ex eo ſolum aucupio viuunt. Hic certè authoritate tua vehementer opus eſt. Cũ enim longo rerum vſu peritior factus, multa, quæ cognoſci debent, ignorare, Cæſar, non poſſis, & rectius intelligas, vt eſt credibile; non debes profecto hoc tantum donum negligere, ſed pro inſita huma-

humanitate tua, liberaliter illud ipſum impartiri tuo populo,& ſic apud te certò ſtatuere, quòd ſi Germaniæ ſit vtilis & ſalutaris hæc doctrina, non poſſe illam non eſſe commodam & neceſſariam quoque non tuis modo ditionibus, verum etiam toti terrarum orbi. Qua de cauſa Hiſpaniarum rex Ferdinandus, auus tuus maternus, inquiſitionem illam inſtituerit, notum eſt. ea nunc ſublata cauſa, debet etiam aboleri prorſus inquiſitio. Rectè quidem & legitimè fuit vſurpata, in Chriſtianæ profeſſionis homines, Iudaiſmum ſequentes, verum præter cauſam & rationem exercetur in eos, qui cupiunt agnoſcere Chriſtum, & falſam doctrinam omnem ſtudent euitare. Quamobrem, ſi regni tui proceres, ac ordines eò permouere poſſes, vt emendaretur illa, permultùm in eo ſanè feceris, pro nominis Chriſti gloria, & plurimorum ſalute. Nam ſi quod eſt in ea vitioſum, nō tollatur; aſperitatem in ſe nimis profectò magnam continet, ac omninò talem, cuius exemplum in nullis extat rerum monumentis. Eadem eſt planè ratio in tua tota Belgica, quibus in locis multa ſubinde fiũt decreta, quibus cohercentur homines, ne doctrinã hanc recipiant. Et quo ferè tẽpore in Germaniam inde proficiſceris, mo-

tuum diſſidiorumque componendorum cauſa, diligenter & ſerio mandare ſoles per tuas ditiones omnes, vt in eos, qui doctrinam iſtam vllo modo ſint amplexi, grauiter animaduertatur. Hoc ſi facis eo conſilio, Cæſar, vt interea, dum in Comitio res agitur, nihil illi mutent aut innouent, iam certè cauſam habes, vt illud tuum perpetuum, & quod ſingulis annis aliquoties repetitur apud tuos, Edictum, ſi non aboleas totum, ſaltem lenias & mitiges, vt ne ſic accipiatur, quaſi nihil omninò boni ſit in illis ipſis libris, quorum nomina tuum illud decretum complectitur & damnat. Nimis enim durum fuerit, ſi non accedat lenior interpretatio; neq; potuiſſet initio, cum abhorreret adhuc totus orbis, grauius quidquam à te proponi. Debes autem eo magis vel abolere illud, totum, vel moderari prudenter, quòd in illis Ratisbonæ Comitiis ita ſancitum fuit, *vt magiſtratus in ſua quiſque ditione emendarent, quæ ſine vitio diſſimulari non poſſunt.* Rectè quidem decretum eſt illud, ſed ô vtinam rectè accipiatur ab omnibus. Parum enim eſt emendare craſſos abuſus illos & notos omnibus; item cauere, ne quis plura teneat ſacerdotia, & vt ſuæ quiſque præſideat Eccleſię. Niſi enim fundamentum illud verum iacia-

iaciatur, ipſa doctrina, corruet quicquid inædificabitur. Nam ſimulatque vera doctrina contaminata fuit obrutaque falſis opinionibus, ilicò magnis viribus & impetu, velut inundarunt iſti, quos conſpicimus, errores atque morbi. Ait Plato, ſæpè ita fieri, vt qui per intemperantiam & gulam incidunt in aduerſam valetudinem, nolint frugalius viuere: ſed conſuetum vitę genus retineant, & interim faciant quomodocunque morbos, & eo ipſo tamē nihil efficiant aliud, quàm quòd malum exaſperant & augent. Ac ſi quis hortetur eos ad vitam magis ſobriam, ad corporis exercitium, ad vitandum ocium & venerem, alioqui medicinam omnem fruſtra fieri, hunc, ait, ferre non poſſunt, & indignantur acerbè. Similem, inquit, eſſe ſtatum Reipublicæ malè conſtitutæ, in qua ciuibus mādatur, magna propoſita pœna, vt præſentem Reipub. formam laudent; nec immutare quidquam in ea ſtudeant, aut emendare. In eiuſmodi ciuitate ſemper aliquid occurrit, quod publicè corrigendum ſit & ſarciendum: ſed huius emendationis nullum ait futurum finem aut modum prius, quam præcipua illa capita, quæ commemorantur ibi, ſint à populo recepta, & in vſum admiſſa. Quod niſi fiat, ſimile quiddam dicit eue-

nire magiſtratui harum ciuitatum; quale fertur de Hercule, qui cum vnum aliquod caput amputaſſet Hydræ ſerpenti, ſubinde cogebatur eundem repetere laborem, idemque ſubire periculum nouis perpetuò ſuccreſcētibus in illa belua monſtris. Similis eſt planè ratio earum, quas hactenus inſtituiſſe videmur, reformationum. Sin autem ideo talibus Edictis populum tuum, Cæſar, coerces, quòd exiſtimes doctrinam hanc prębere turbis atque ſeditionibus occaſionem, ideoque minimè debere concedi, deplorandum id certè foret, atque optandum in primis, aliter te ſentire. Porrò, illi, qui conantur auertere Principes ab iſta cauſa, potiſſimum hoc vrgent & inculcant, quaſi iis locis, vbi doctrina iſta locū habet, oriatur populi contra magiſtratus alienatio, quaſi luctuoſæ, & triſtes ibi fiant rerum immutationes. Vehemens quidem eſt hoc argumentum, & ad abſterrendū vim magnam habet; ſed ii, quibus illud eſt frequens & vſitatū in ſermone, rationē eius aliquando ſunt reddituri coram illo ſupremo tribunali, quod nullam admittit prouocationem. Nec enim ipſi neſciunt, falſum eſſe, quod affirmant: verum, quia ſolidis & veris deſtituti ſunt præſidiis, confugiunt ad iſta nugatoria. Quid autem eſt facilius,

cilius, quàm eos conuincere falſi? Scriptura clare teſtatur à Deo conſtitutos eſſe magiſtratus, & datum eis eſſe ius gladii diuinitus, quinetiā iubet nos parêre minus commodo magiſtratui; qua in re iuſſui & mandato Dei ſatisfieri dicit. Hìc ſi forte dicant, rectè quidem præcipere S. literas; verum eos, qui populo præſunt, negligere ſuum officium, neq; dignitatem magiſtratuum ſatis commendare, iam incumbet eis probandi neceſſitas, vt demōſtrent, quibus in populis exiſtant propter hanc doctrinam ſeditiones. Hærebunt iſtic hauddubie, & probationibus deſtituentur; Vtque largiamur hoc eis, alicubi nouos oriri motus & turbas, ideóne ſequitur ex eo, debere totum hoc imputari doctrinæ? Sed falſi præterea conuinci poſſunt argumēto penè domeſtico, familiari & quotidiano. Videmus, vt multi principes & ordines accedāt, alii poſt alios, ad huius cauſæ defenſionē. Si vel ſeditionē populi metuerent, aut luctuoſum aliquod exemplū eius rei conſpexiſſent in vicinis, an eſt credibile, tantā fuiſſe futurā acceſſionē? Certum enim hoc eſt, magiſtratus omnes nihil minus poſſe ferre, quàm rebellionem. Cum igitur vſitatum hoc illorum argumentū, inſidioſe conflatum ſit ex calumniis, prouidere debent

principes, ac cauere ſibi, ne decipiantur ab eiuſmodi ſuſurronibus. Nam ipſimet adeò, ipſi, inquam, ſunt authores omnis, quæ poſſit inter populū & magiſtratum oriri, alienationis, vt palàm eſt ex eo, quod in Auſtria nuper contigit. Qua quidem in regione valde ſæuitum eſt hactenus in homines Euangelii cupidos, authoribus nimirum illis, qui veritaté ferre non poſſunt. Et hac tandem aſperitate commoti proceres nobiliū & ciuitatum, ſupplices obteſtati ſunt principem ſuum, fratrem tuum, Cæſar, vt à ſuppliciis abſtineretur, & Euangelii prædicatio locum in Eccleſiis obtineret. Qui ſummis & piis precibus hoc obteſtantur, ſunt neq; numero pauci, nec conditione tenues, vt contemni poſſint; verum tales, qui modis omnibus cupiunt gratificari & obtéperare ſuo, quem diuinitus acceperunt, principi. Si verò non impetrent aliquando, quod tanto ſtudio petunt & optant, eaque tandem occaſione fortaſſe motus & turbæ naſcantur, quibus imputandum ſit illud potius, quàm iis, qui principem hortantur, ne quid de ſeueritate remittat, & vt conſtanter pergat? Hi tamen ipſi conſultores peſſimi; cedo, quinam ſunt? profectò pauci quidam, & omninò tales, vt nemini mirum videri poſſit, eis doctri-
nam

nam hanc ingratam & iniucundam eſſe. Itaque prudēter & rectè fecerunt ii, quos diximus, proceres, quod regem ſuum interpellarūt, & ad moderationem hortati ſunt, ne quod grauius inde malum exoriatur. Clarum igitur eſt ac indubitatum, doctrinam hanc non modo non parere ſeditionem vllam, verumetiam illuſtrare maximè dignitatem Magiſtratuum, & incitare populum, vt iis ex animo pareant. Si ergo propter alteram harū cauſarum, aut propter vtramque ſimul, decretum illud, cuius meminimus, feciſti: iam certe rationem vides, cur aliter ſtatui debeat, vt nè arbitrentur homines, non te fuiſſe per Imperium rationes illas initurum componendi diſſidii, ſi, quemadmodum tuis populis imperas, ita quoque Germaniæ poſſes imperare. Voluntatem atque ſtudium tuum, in comitio Ratisbonæ, multum prædicant omnes concordię ſtudioſi; tibique maximam eo nomine gratiam habent. Verum, ſi per tuas ditiones illa ſeueritas Edictorum perpetuò vigeat, cogitare, Cęſar, potes, quæ ſint hominum futura iudicia. Cum autem apud tuos piam emendationem Eccleſiarum inſtitues, tunc intelligent omnes, rem ſerio tandem agi, poſteaquam iis locis, vbi ſolus imperas, & gubernas omnia, ſtatuis

exemplum, quod imitentur alii; tunc aperte videbunt, eandem te rationem cupere per totam Germaniam retinere, niſi quidam obſtarét, quorum affectibus fortaſſe non poſſis omnino repugnare. Cor hominis intuetur Deus, nec eum poteſt quidquam latere: Si quid ſimulatione, fauore, gratiâ, vel ſpe commodi fiat, non etiam ex animo, deteſtatur illud, nec impunitum ſinit; cuius rei multũ habemus illuſtre noſtris temporibus exemplum. Quod igitur in Auſtria vides eueniſſe, debes putare ad tuas quoque ditiones omnes hoc ipſum pertinere. Cupiunt enim homines recte inſtitui, ſed & Deus hoc requirit & poſcit officium à magiſtratu. Si nimium ſeuere & aſpere cum ipſis agatur, ſi quis animis dominari velit, quid aliud tandem ex eo poſſit oriri, quàm mœror & offenſio? Non ignorant, alieniorem te ſemper ab hac cauſa fuiſſe; deinde autem vident, temporibus adductum te, permiſiſſe legitimam diſceptationem, & quæ fuerunt ibi conciliata doctrinæ capita, non improbaſſe. Contrà vident, quibus impedimentis, ac veluti ſeptis edictorum coherceantur, & quantum ipſis, cum fortunarum, tum vitæ periculum impendeat, ſi profiteantur illa ipſa, de quibus in poſtrema collocutione,

tuo

tuo iuſſu inſtituta, conuẽnit. Nonne verò credibile eſt, hanc ſeueritatem excitare magnos gemitus in animis piorum? Pertinet igitur hoc Auſtriacum exemplum ad te quoque, Cæſar, & ad tuas prouincias omnes, pertinet ad omnes æque reges. Debent enim principes, tanquam fidi paſtores, populi ſalutem per omnia ſpectare, nec habere quidquam in rebus humanis antiquius. In cauſis etiam grauibus & communibus, populi iudicium & voluntatem debent non aſpernari: Sed & officioſe faciunt ordines cuiuſque regni, quando ſuam ſententiã, in rebus ad communem ſalutem pertinẽtibus, bonâ fide, ſuis principibus aperiunt. Cogitandum eſt, omnia regna pendere ab vno Deo, qui ſolus ea diſtribuit & transfert pro ſuo arbitratu; qui multis aliquando regibus ſceptrum ademit, eò, quòd verbum ipſius negligerent, quodque falſam doctrinam & idolorum cultus non abrogarent. Hic oculos & mentẽ attollant principes, ac videant, quomodo ſe poſſint approbare Deo. Patefacta nunc eſt veritas, & ſunt depulſæ tenebræ, nullus eſt deinceps excuſationi Locus. Sed aduerſarii, veritatis confeſſionẽ, ipſis, licèt inuitiſſimis, extortam, reiecerũt in tempus Concilii, ſicut antea diximus; quâ ſolâ re ſatis

demonſtrant, ſe nihil reformidare magis & expaueſcere, quàm lucem atque ſolis radios. Cauſæ cognitionem ei deferunt, cuius & mores, & vita, & doctrina, non capiunt vllam emendationem. Concilium illud nationis noſtræ admittere potius, & ſaltem verbis polliceri maluerunt, quàm ea, de quibus in illa diſceptatione conuenerat, tum approbare. Tergiuerſantur, reſiliunt & quærunt omnis generis diuerticula, ne conſtringi poſſint, & tamen vident interim ob oculos, deficere multos ab ipſis quotidie; vident, modò principem, modò ciuitatem, nunc regnum aliquod in aduerſariorum caſtra tranſire. Belli tempore de Concilio loquuntur, & ferè fit, vt poſteaquam vno aliquo bello liberatus es, incidas in aliud; quod inde ab imperij tui primordio, ſic propemodum eueniſſe videmus. Hoc ſimplices iſti veteratores non ignorant; Itaque differunt actionem, & putant tempus ipſum adferre poſſe remedium aliquod, ipſis oportunum. interea ſunt extra telorum iactus, & helluantur in pauperum ac miſerorũ facultatibus. Ea quæ diximus omnia, huc ſpectant, Cæſar, vt cogites, quem te principem in terris Deus eſſe voluit, quid à te requirat, quid muneris iniunxit, hoc videlicet, vt nomen

ipſius

ipſius veræ doctrinæ cõfeſſione celebres, ac populum tibi commiſſum recte præcipias erudiri, & ita exiſtimes, nullum te poſſe præbere Deo magis gratum ſacrificium: Qui te viciſſim hauddubie reſpiciet, vires eoã & animum & prudentiã ſuppeditabit, vt quæ tibi dedit ampliſſima regna, feliciter ad ipſius nominis gloriam gubernes. Quæ nunc ſequitur, altera pars orationis meæ, cohæret omninò cũ præcedenti argumento, neque prætermitti poteſt; quam vt patienter admittas, plurimum obteſtor. Nam etſi paulo prolixior eſſe videtur, dabo tamen operam, vt extra propoſitum nihil adferam. Præter multas & florentiſſimas ditiones, ingenio te quoque Deus ornauit excellenti, Cæſar, ſic vt inter heroas illos & priſcos imperatores, meritò debeas numerari. Quò magis mirum videri poteſt, cur à tam multis nunc annis, nihil amplius in hac cauſa perfeceris, præſertim, cum fieri non poſſit, quin longo rerum vſu multa didiceris. Voluntatem quidem & conſilia noſtra Deus in ſua manu poſſidet: verum, ſi iudicium ſpectemus rationis & ciuiliter loquamur, apparet, idcirco te remiſſius agere, quòd Pontifici Romano ſis obligatus iureiurando, & quod nihil ferè commouere poſſis aut immutare, quin

illum offendas. Quod ſi ita eſt, optandum ſit in primis, vt ex ea te ſeruitute rurſus in libertatem aſſereres. Callidũ fuiſſe oportet, ac mirabiliter prouidum Sathanam, qui rem eò deduxit. Inueſtigandum eſt igitur, quæ ſit huius iuriſiurãdi ratio, quomodo natum ſit & vſurpatum, ex eo poſtea liquidum fiet, quã vim habeat, & quomodo conſtringat. Sed interea dum hoc agitur, deponenda eſt ea, quæ apud nos hactenus regnauit, perſuaſio, ſanctiſſimum ſcilicet illum eſſe patrem, & quid non? Hęc, inquam, præiudicia & priuilegia, & faſtuoſi tituli ſunt aliquouſque relegandi, & inſpiciendum, non qui ſit hodierno die, ſed quis olim fuerit, & quis eſſe dêbeat. Optandum eſſet ante omnia, quæſtionem hanc nõ extare, nec in controuerſiam venire. Sed idem prorſus accidit nobis, quod Plato ſibi dicit euenire, multiſque aliis, quum eſt demonſtrandum, eſſe Deos, qui curam habent rerum humanarum, qui præmia digna reddunt piis, & ſceleroſos etiam à morte puniunt. Niſi complures, inquit, docerent, nullos eſſe Deos, facile diſputationem hanc vitaremus. Nunc verò, quando non verentur opinionem hanc profiteri palàm, & ipſa quoque vita moribuſque teſtari, non poſſum, quæ mea ſit ſententia, diſſimulare:

re: alioqui, ſi de Deo pie ſentirent omnes, vt decet, non veniret in mentem vlli, diſceptare de re, quam nemo neget. Similis plane ratio eſt noſtrorum temporum. Si non conſpurcaſſent omnia Pontifices, niſi crudeliter & auarè egiſſent, & ſi mandatum ipſis à Deo munus diligenter obiuiſſent, nihil opus eſſet hodie, litigare ſuper hoc argumento, & ne cogitaſſent quidé homines aliquid huiuſce rei. Sed quoniam ipſi materiã, ac veluti ſegetem perpetuæ litis inuexerunt, eamq; vehementer hodie perſequuntur, opus eſt, vt lumé aliquod inferatur, quo propius videri cauſa poſſit & diiudicari. Et principio quidem certum eſt, eum fuiſſe duntaxat Eccleſiæ Rom. Epiſcopum: Cur enim alius eſſe debeat, aut maior, quàm illi, qui per cæteras ditiones, Aſiam, Syriam, & Ægyptum, Eccleſiis prę fuerunt? Adeò vero nullam tunc temporis habuit poteſtatem, vt etiam in latebras abdere ſe non rarò cogeretur, perſequẽtibus Euangelii profeſſioné Imperatoribus, ad trecentos circiter annos, quo tẽpore Conſtantinus Cęſar, Chriſti religioné amplexus fuit. Et hic ſanè dubium non eſt, quin magna charitate beneuolentiáque ſit proſecutus miniſtros & doctores verbi; ſed tantam eius liberalitatem fuiſſe, vel prodigalita-

tem potius, totam vt illis, quæ ſpectat occidentem ſolem, Imperii Rom. partem, vnà cum ſceptro, & Imperatorũ ſede vetuſta, vrbe Roma, dederit; hoc ſanè fidem omnem excedit. Et quanquam tu, Cęſar, Eccleſiarum dignitatem integram eſſe cupis, non temere tamen ita profundas Imperii poſſeſſiones, & vt id facias inuitis ordinibus, irrita ſit futura donatio, vel vt authoritate priuatâ facias, liberum ſit nihilominus futurum ſucceſſori tuo cuiuis, reuocare donationem & plagam illam, in Imperii corpus inflictam, reſarcire atque curare. Conſtantinum autem fuiſſe tam immenſe prodigum & immoderate, nulla teſtatur hiſtoria, ſolum hoc extat, ædificaſſe templa, multaſque domos, pecuniam quoque contuliſſe non mediocrem in pauperum vſus, & prouentus annuos miniſtris Eccleſiarũ conſtituiſſe. Verum homines, & auari & ambitioſi, & rerum ſucceſſibus elati, finxerunt ipſi quod de donatione iactant, & ſuis conſtitutionibus inſeruerunt, non ſine crimine falſi, dum illud, quod ab ipſis magna temeritate confictum eſt, obtrudunt orbi, velut ſacroſanctum & authenticum. Sed vtcunque ſit, à Conſtantini temporibus extulerunt animos, neque pares voluerunt eſſe reliquis Epiſcopis: Et quia propenſam

erga

erga ſe videbant Cæſarum voluntatem, putabant occaſionem hanc minimè prætermittendam; & auferendum ab imperatoribus, quantum fieri poſſet, interea dum illi nouam religionem & admirarentur & vehementer amarent. Scopus, quo ſua tela dirigebant, hic erat, vt Cæſarum voluntate liceret ipſis authoritatem vſurpare in reliquarum prouinciarum Epiſcopos. Durauit hæc ambitio per annos ferè trecentos, quo primum tempore, quod volebāt, impetrarunt ab Imperatore Phoca. Sed multis annis antea, quàm hoc impetraſſent, amiſerāt Romani, quidquid verſus occidentem ſolem poſſederant, & occuparant illa nationes Barbarę: ſed & Italia diuturnis admodum grauibuſque bellis affligebatur. Sic adeò Cæſares omne ſtudium ad Orientales oras conuerterunt, quibus in locis cum hærerent, natum eſt tandem inter eos & Romanum Epiſcopum, non leue diſſidium, variis de cauſis: Quod cum eſſet pertinacius, & indies magis atque magis augeſceret, Romani Pontifices inibant rationes cum Galliæ Regibus, non admodum longinquis, quorum auxiliis non ſemel reſtituti fuerant & ſeruati, vt ad Cæſareum honorem atque ſceptrum adiicerent animum; Idque fecerunt non alio conſilio,

quàm vt ægrè facerent priſco Romano Cæſari, cuius à maioribus tamen ornati fuerant, & in illud faſtigium euecti: deinde, vt perpetuum haberent defenſorem aduerſus ingruentem vim hoſtium. Hac tantum ratione, Carolus, Gallorum Rex, factus eſt Imperator Occidentis. Hactenus autem nullam extitiſſe iuſiurandum, dubitari non poteſt. Cum enim vigerent per Italiam, & inprimis Romæ perſecutiones, cum ſollicitarent illi ambitioſe, vt haberentur ſupra communem aliorum Epiſcoporum ſortem; cùm deinde Carolus Magnus ipſos beneficiis deuinciret, facile cogitari poteſt, quàm nihil eis detulerint Cæſares præcipui honoris. Ab orientis autem illo priſco Cæſare, nõ erat, quòd vllum, non honorem modo, ſed ne ſignum quidem amoris exſpectarent. Certum eſt igitur, non ſolum non extitiſſe tunc vllum iuſiurandum, ſed doceri quoque poteſt hiſtoriarum teſtimoniis, ipſorum dignitatem omnem dependiſſe tum ex authoritate Cæſarum, ita quidem, vt ad confirmationem Pontificatus ipſorum, neceſſarius eſſet Cæſarum aſſenſus, eademque ratio fuit obſeruata Caroli Magni temporibus. Creuit tamen ad hæc ferè tempora faſtus illorum & dominatus, multum eos amplificante Carolos

Io. Poſt cuius mortem, aiunt Ludouicum Cæſarem eius nominis primum, renunciaſſe iuri confirmationis, atque ita in ſuis, quas finxerunt ipſi, cōſtitutionibus affirmant: adeoq; dicunt, Ludouico ſecundo Cæſare, non exſpectaſſe Pontificem, donec aſſentiretur ille. Multis deinde poſt annis, Ottoni primo redditum fuiſſe ius confirmationis, in ſuis monumentis ipſimet ſcriptū reliquerunt. Sed poſtquā Imperii dignitas in Germaniam migrauit, & Principes Electores ibi conſtituti fuerunt, intercidit paulatim ius illud omne, & Pontifices Rom. mirificè locupletati, cœperunt pedetentim attollere criſtas, & poſtremò, nō cōtenti hac libertate, rationes inibant ſubiugandi Cæſaris; neq; veriti ſunt tandē poſtulare iuſiurandū ab eo quale ſolent clientes præſtare ſuis patronis. Hoc inde profectū eſt, quoniā inauguratione factâ, conſecrabant Cæſares: Qui magnis animis initio reſiſtebāt huic illorum importunitati & audaciæ. Nam & hodie nemo eſt, qui nō obſtupeſceret ad rem adeò nouam, cogi ſcilicet fidē & obſequiū illi præſtare, qui tuus antea fuiſſet cliens, cuius dependiſſet omnis, non ità pridem, à tua voluntate & aſſenſu authoritas. Quid enim iſtud eſt rei nouæ, mi Romane Pontif. aut quid ſibi vult hic tam

improbus conatus? Quòd ſi veſtra opera contulit aliquid, vt ius conſtituendi Cæſaris, ad noſtram gentem perueniret: certè & noſtri viciſſim maiores, his tantis poſſeſſionibus vos locupletarunt; imò nos atque maiores noſtri maxima ſępè pericula ſuſcepimus, vt veſtra vobis dignitas conſtaret. Si tam eſſetis tenues, quàm aliquando fuiſtis, nullum eſſet inter nos ortum hauddubie diſſidium. An verò, quia noſtri proaui vos amplificarunt ad hunc modum, idcirco nos plectimur; & veſtro ordini ſumus inuiſi? Num ſimilem gratiam nobis reponitis, qualem retuliſtis olim priſcis Imperatoribus, qui vos Eccleſiarum principes fecerunt, quibus tamen adeo nullum exhibuiſtis gratitudinis argumentum, vt etiam acerbiſſimè ſitis eos perſecuti? Ciuilis Imperii poteſtas nihil quidquam ad vos pertinet. Si vos nihilominus pergitis, & hanc quoque vobis administrationem ſumitis, quid aliud iudicabunt homines, quàm affectare vos vtrumq; ſimul, vt & ſitis Imperatores atq; Pontifices? Repugnat ratio; reclamant res ante geſtæ; longe aliud habent maiorum veſtrorum decreta, quę diſertè cauent, ne vos rebus vllis aliis, præterquam Eccleſiaſticis, immiſceatis. Cur autem iureiurando nos vultis aſtringere? Quid ſi obtem-

obtemperemus, & faciamus, quod nullo tamẽ iure petitis, num idcirco, veluti ſeruitute quadam depreſſos, retinere nos cogitatis? Vt maximè fidem vobis & obſequia polliceamur, nihil tamẽ, quod vel minus honeſtum, vel illicitum, vel etiam nobis indignũ ſit, committemus. Hoc igitur certò ſtatuite, nullam nos ſubituros ſeruitutem, ſed eum eſſe defenſuros locum, qui nobis veluti per manus eſt traditus à maioribus noſtris, neque patiemur quidquam libertatis noſtræ nobis eripi. Cum ad eum modum creſcerent vtrinque contentiones, Pontifex non modo non vrgebat inſtitutum ſuum; ſed quidquid omniho ad contumeliam & iniuriam Cæſarum ſpectabat, in eo nihil prætermittebat. Nam & Henricus quartus, & quintus, & Fridericus primus, & eius è filio nepos, Fridericus ſecundus, & huius pater, Philippus, & Albertus, & Henricus ſeptimus, & Ludouicus Bauarus, Cęſares omnes, non obſcurè ſunt experti, quàm ſit effrenis, & indomita, & ingrata belua, mendicus aliquis locupletatus; Experti ſunt, quàm virulentam viperam maiores ipſorum educaſſent, & tanquam in ſinu fouiſſent, dum Epiſcopo Romano paulatim largirentur omnia, ſuumque ſtudium omne conferrent ad am-

plificandum illum, & ornandum. Ger manos verò Cæſares perpetuo repugnaſ ſe; neq; voluiſſe illud iuriſiurandi vincu lum ſubire, tanquam rem nouam, abſur dam & inauditam, vel ex eo ſatis conſtat quod Henricus ſeptimus ante annos du centos, acres habuit ob hanc cauſam ad uerſus Pontificem, contentiones. Etenim ſi ſuperiorum temporum Imperatores illum, vt dominum, agnouiſſent, & fidem ei præſtitiſſent; dubitari non debet, quin & iſti poſteriores libenter fuiſſent imita ti maiorum morem atque veſtigia, præ ſertim cum in conſtituendo iure & priui legio, Roman. Cæſarem eligendi, Ponti fex aliquam operam Germaniæ præbuiſ ſet antea. Quò vehementius autem reſi ſtebant Cæſares, eò duriores leges fere bant Pontifices, ac eô tandem veſanię de uenerunt, vt ambitione, ſuperbiâ & aua ritiâ velut excœcati, non ſint veriti, ſacram quoque ſcripturam ſuis immoderatiſſi mis affectibus accommodare. Tunc illud celebre decretum exiit, & literarum mo numentis continetur, quod eſt de duo bus magnis luminibus huius orbis, Luna & Sole, quando Soli ſe comparat Ponti fex, Lunæ verò Cæſarem. Tunc inuen tum eſt & illud in ſacris literis, veluti re conditus quidam, & ſuperiori ætati non cogni

cognitus theſaurus, largitum eſſe Deum Pontifici, tàm prophanam, quàm Eccleſiaſticam poteſtatem, vbi loquitur ad Petrum de duobus gladiis. Tunc&illud ſancitum fuit atq; memoriæ proditum, *Pontificem eſſe non Imperii tātum, ſed & totius orbis dominum, & Reges omnes debere ipſum, veluti ſupremum in terris magiſtratum, agnoſcere.* Teſtimonium adferebatur è Pſalmis, vbi Propheta regius ait, *Domini eſſe totum terrarum orbem*; quo quidem ex loco dicunt talem fieri ſyllogiſmum: *Si Domini eſt terra, ergo etiam eſt eius, qui vicem gerit Domini.* Ita creuit ipſorum audacia, mirandum in modum. Liquet igitur ex his, quę recitata ſunt, iuſiurandum illud ſolenne, quod nunc in conſuetudinem neceſſariam, ac prope ſacroſanctam abiit, ſtabilitum eſſe primum, ab Henrici Cæſaris temporibus, qui magna contentione repugnabat, neque frenũ iſtud pati voluit ſibi iniici. Nũ verò maius aut illuſtrius requirimus teſtimonium, quàm illud, quod poſt Henrici Cæſaris mortem accidit? Erat infeſtiſſimus Ludouico Bauaro, Cæſari, laudato principi, qui ſecutus eſt Henricum ſeptimũ, Benedictus duodecimus Pontifex, eumq; omnis generis execrationibus perſequebatur, ita quidē, vt Ludouicus,

Italiâ relictâ, cum inſidias & venenũ r[illegible]e-
tueret, reuerſus in Germaniam, conu[illegible]n-
tus ageret principum omnium, & doc[illegible]o-
rum hominum, Francoforti: In quil[illegible]us
recitabat intolerabiles contumelias, [illegible]n-
iuriaſque ſibi factas à Pontifice. Repet[illegible]ns
deinde ſuperiorum temporum hiſtor[illegible]as,
& ſuorum maiorum, Romanorum C[illegible]æ-
ſarum, morem, multa decernebat ex Im-
perii dignitate, in hanc ſententiam: *Vt ſo-
li Electores Principes Imperii, poteſtatem,
& ius habeant creandi Cæſaris: Vt diſſiden-
tibus Electoribus, ille ſit Cæſar, quem maior
pars crearit: Ut citrà Pontificis Rom. con-
firmationem, Cæſar adminiſtret omnia: Vt
creatus Cæſar, inaugurationem accipiat à
Pontifice Romano: & ſiquidem is recuſet, à
quocunque alio Epiſcopo.* Nam inaugura-
tionem illam, & quam ipſi vocant, *Inun-
ctionem*, eſſe quandã aduentitiam ſolen-
nitatem, excogitatam à Pontificibus, vel-
uti ſymbolum quoddam perpetuæ con-
cordiæ, futuræ inter Imperium & Eccle-
ſiam: Item, illud, quod Pontifex vrget iuſ-
iurandum, eò ſolum reuera ſpectare, vt
religionis & fidei noſtræ propugnatio-
nem ſuſcipiant Cæſares, non etiam vt
Pontifici pareant, ac veluti ſummum a-
gnoſcant magiſtratum. Poſtremo, falſum
eſſe demonſtrabat, quod Pontifex affir-
mat,

mat, vacantis Imperii ius ad ſe deuolui. Nam pertinere illud ad Comitem Rheni Palatinum, qui ius habeat Imperium adminiſtrandi, donec creatus ſit nouus Cæſar. Hęc ille promulgauit & decreuit in his comitiis, aſſentiente modis omnibus principũ & ordinum omnium cœtu. Digna ſane res, quæ per omnes Imperii Germanici prouincias &ciuitates inſculpta ſit publicis locis,quæ in omnibus Imperii conuẽtibus palàm recitetur. Atquę vtinam eius decreti perpetuam habuiſſent memoriam, qui Ludouicum ſecuti ſunt, Cæſares, Carolus quartus, & Venceslaus, & Robertus, & Sigiſmundus, aliique poſt eos. Quòd autem hi colla ſubmiſerunt indigniſſimo iugo, dubium non eſt, quin illud fecerint, partim opinione religionis, partim circumuenti Pontificum calliditate. Nam electus aliquis, & deſignatus Cæſar à principibus Germaniæ, ſi fidem illam & obſequium denegabat, non poterat à Pontifice conſequi ſolennem inaugurationem. Si iam in eo propoſito conſtanter hærebat, non erat inuſitatũ Pontifici, permouere principes, vt alium crearent, quod facile impetrabat, quando tres illi electores, qui propter ordinis & ſacerdotii communionem, alioqui ſunt Romanæ ſedi arctiſſi-

mè deuincti, ſtudebant ei per omnia gratificari. Iam ille, qui ſic eligebatur Cæſar, valde ſe putabat beatum, ſi quocunque modo Pontificem haberet non auerſum nec alienum, vt eò ſe commodius tueretur aduerſus illum, in cuius odium ipſe, præter omnem exſpectationem, ad eos honores perueniſſet. Huiuſmodi technis, & his artibus perpetuò ſunt vſi, quoad perdomiti eſſent Cæſares, neque grauatè iuſiurandum illud ſuſciperent. Hinc adeo fit, quòd ſcriptum reliquerũt in ſuis monumentis; *habere quidem Germaniæ Principes authoritatem deſignandi Cæſaris; verum ad Romanæ ſedis antiſtites pertinere confirmationem eius; neque licere cuiquam, vſurpare titulum aut ius Imperatorium, qui non ſit ab ipſis approbatus.* Neque verò ſolum intra eiuſmodi voces conſtiterunt, ſed ipſa quoque re voluntatem ſuam non ſemel declararunt: cuius rei teſtimonium præbere poſſunt multi Cæſares, vt antea demonſtratum eſt; ne quid dicam interim, quàm acerbe per alia regna, maximè verò per Siciliam, graſſati ſint. Qui iam hîc recitare velit, quàm prodigioſis, quàm fœdis, & non humanis aſſentationibus referti ſint Iuriſconſultorum Pontificiorum libri, quibus in cœlũ vſque efferunt Pontifices, magnum

ille

ille ſane volumen conſcripſerit. Plane Deum faciunt illum, & omnino talem, qualis depingitur in ſacris literis. Adulantur ei ſupra omnem modum, neque nihil non tribuunt, impudẽter tamen omnes, ac infelici planè conſilio. Nam eiuſmodi præſtigiis mentem illi omnem & iudicium excantarunt; ita quidem, vt miſer, velut extra ſe poſitus, & humanæ conditionis oblitus, putet diuinum & Apoſtolicum eſſe, quidquid ſentit, quidquid loquitur, quidquid etiam corpore ſuo contingit. Opinionẽ iſtam habet, quaſi exemplo Salomonis, prudentiam elegerit inter cætera Dei dona: ideoque ſe non minus, quàm Salomonem, diuitiis ampliſſimis dignum eſſe. Quę verò cauſa impulit eos, vt iuſiurandum iſtud tam vehementer affectarent? Dicam equidem. Poſteaquam perfrictâ fronte & ambitione perpetuâ, dominatum in reliquos Epiſcopos impetraſſent, eaque res minime probaretur aliis Eccleſiis: Poſteaquam Cęſarum ſe poteſtati & confirmationi ſubduxiſſent; poſtquam miris artibus ac technis excreuiſſent in immenſum, adeoq; prouinciarum & ciuitatum poſſeſſionem nacti fuiſſent, ac tandem, vbi multis decretis, veluti ſeptis, vndequaq; ſe muniuiſſent, prudẽter apud ſe cogitabant, non ſatis eſſe, magnas

aliquem ſibi paraſſe commoditates, niſi tueretur etiam eaſdem & conſeruaret. Hoc ipſum videbant fieri poſſe omnium optimè, ſi Cæſares haberent ſib deuinctos. Itaque cœperunt eos vrgere, vt ſanctè pollicerentur, *ſe nullis vnquam temporibus quidquam facturos, quod vllo modo ſit aduerſus Eccleſiæ Romanæ & Pontificum dignitatem, aut commoditatem*: Sed impenſuros omnia, quantum fieri poſſet, ad amplificandum eos & ornandum. Hunc ſibi ſcopum habuerunt iam inde ab initio præfixum, nec prius conquieuerunt, quàm eò, quò volebant, perueniſſent, vt coràm videmus. Ex his igitur conſtat, eos, vi quadam & malis artibus circumueniſſe Cæſares, deinde, iuſiurandum illud, poſt Henrici ſeptimi, & Ludouici quarti tempora, firmatum eſſe primum, & in eas redactum formulas, vt nunc conſpicimus; idque notum eſt ex ipſorummet libris. itaque negari non poteſt. Et potiſſimum argumentum defenſionis ipſorum eſt, quòd conſuetudinem adferunt, & ius præſcriptionis. Hoc vt largiamur eis, tamen ex eo non ſequitur, oportere Cæſarem, in rebus omnibus parêre Pontifici, & non ſolum non oppugnare quæ ſtatuit ille, verumetiam adiuuare modis omnibus, & amplificare.

Nimis

Nimis enim magna ſit ea ſeruitus, & omninò talis, quæ careat exemplo. Cliens aliquis, aut libertus debet patrono fidẽ, operas, & obſequium; ſed in rebus honeſtis, & quæ non ſint contra bonos mores. Iam, ſi Pontifex in rebus ciuilibus aliquid præter ius & æquum moliatur, num Cæſar iureiurando ſic cohercebitur, vt illud permittat & diſſimulet? Si Pontifex impiam doctrinã & idolorum cultus in Eccleſias non inferat modo, ſed & propugnet, ſi confirmet errores & abuſus; num in eo conniuebit Cæſar, & totum hoc laudabit? Si Pontifex de his rebus omnibus accuſatus, legitimo iudicio ſe nolit ſiſtere, num Cæſar, metu iuriſiurandi, videns, nihil videbit, audiens, nihil audiet? num accuſato de grauiſſimis criminibus, permittet, vt in ſua ipſe cauſa iudex & cognitor ſedeat, & ſua damnet ipſe flagitia? Et, ſi Cæſar, quod eſt officii ſui, faciat, ſi cauſę cognitionem ad ſe transferat, & pro tribunali ſedeat, num abſterrebitur & à ſuo munere diſcedet, quando Pontifex iuſiurandum obiiciet, eumque commonefaciet, ne quid omnino moliatur, niſi velit in periurii notam & famæ diſcrimẽ incurrere? Quemadmodum autem Pontifices ab aliquot iam ſæculis, non modo contra Cæſares, alioſque reges, in cauſis

prophanis & ciuilibus, iniquè & proterquè multa fecerint, verumetiam infinitos errores & impuram doctrinam, & falſos idolorum cultus in noſtrum orbem inuexerint; atque de his tantis criminibus palàm ſint accuſati; hoc adeò manifeſtū eſt, vt etiā ipſimet ſuæ cauſæ diffidentes, modis omnibus laborent, ne quis alius, præter ipſos, de illa cognoſcat. Hoc verò, quia contra legum eſt authoritatem, quia rationi pariter & æquitati repugnat, concedi non poteſt: Ita verò ſentiunt omnes iudicio prӕditi, oportere ſentinam iſtam, publico noſtri orbis Concilio, repurgari. Abhorrent autem ab eiuſmodi Conciliis Pontifices; quia nequitiam ſuam detegi nolunt, & à Baſilienſi poſtremo, non admiſerunt aliud, omninò contra morem & decreta ſuperiorum temporum. Nam eô faſtus & arrogantiæ deuenerant, vt nihil eos puderet affirmare, Concilii non eſſe tantam, quantam Romani Pontificis, hoc eſt, vnius miſeri hominis, authoritatem; neque vim vllam habere Conciliorum decreta, niſi Pontificis accedat iuſſus atque voluntas. Iſtud eſt profectò ſapere & imperare. Plurimis antea conſtitutionibus, tanquam vallo quodam & aggere, diligenter ſe communiuerant, ſolum deerat iſtud præſidium, longiſſimè petitum,

& vix

& vix tandem caſtris ipſorum adiūctum. Verumtamen, & in illo Conſtantienſi & Baſilienſi Concilio iniecta fuit ſecuris huic tam effreni & immoderatæ impudentiæ, & decreto ſancitum eſt, authoritatem Conciliorum, multò ſuperiorem eſſe. Quæ quidem res, ita ipſis placuit, vt ab eo tempore, nihil æquè reformident, atque publica iudicia: Quanquam tunc temporis nihil extabat emendandum, præter abuſus, & quædam ad politicam Eccleſiarum gubernationem pertinentia. De doctrinæ genere non erat lis vlla. Si verò tum adeò refugerunt publicam cognitionem, quomodo ſuſtineant illam hodierno die? Quàm etiam ferre non poſſint nationis noſtræ Comitium, non obſcurè ſignificauit Cardinalis Contarenus: Qui cùm eſſet Ratisbonæ, Pontificis Legatus, & audiiſſet, vnà tecum, Cæſar, ordines Imperii decreuiſſe per Germaniam eiuſmodi Concilium, niſi publicum illud intra menſes aliquot inchoaretur, oppoſuit ſe grauiter, neque veritus eſt cauſam hanc adferre, Pontificis dignitatem labefactari, ſiquidē hoc fieret. O patientes nimium animos, & remiſſos, qui citra faſtidium hęc audire poſſunt atq; tolerare! Sed quocunq; tandem modo nos illi tractent, & quibuſcunq; ſint vſuri pre-

ſtigiis; hoc tamen interim indubitatum eſt, etiam ſi nullus eſſet Deus, ſcelerum vindex, ipſorum tamen ferociam & improbitatem non fore diuturnam. Perſarum Imperium, ait Plato, corruiſſe totum, eò, quod nimis magna ſeruitute premeretur populus. Ita quoque futurum eſt dubio procul, vt & iſtorum impotentiſſimus dominatus intereat, quia ſupra modum eſt violentus, & quoniam flecti nō poteſt, vi vt rumpatur, oportet. Ad exitum properant, & in ſuam ipſi ruinam præcipites feruntur, eiuſque rei manifeſtiora quotidie præbent argumenta. Qui nunc rerum potitur, Paulus Tertius, in iis literis, quas nuper ad IV. Calend. Martias dedit ad quoſdam in Comitio Spiræ, Germaniæ principes, originem communium malorum refert ad bella diſſidiaque regum, & ſcribit ante hæc bella, nec in Germania extitiſſe hęreſes, nec in Pannonias, Italiamq; veniſſe Turcas: Vnicum igitur & ſummum eſſe remedium dicit, vt potentiſſimorum regum animi reconcilientur. Ita futurum, vt & Turcarum impetus reiiciatur, & hæreſes profligentur, & orbi priſtina ſua redeat tranquillitas. Quodnam iſtud eſt, quæſo, paradoxum? aut, cur ſic inuertit rerum ordinem? Noſtris quidem factionibus & odiis creuit

& am-

& amplificatum eſt Turcarum Imperium: hac enim ratione & Græciam, & Epirum, & Myſiam vtranque tenent: Hungariam quoque interea, dum in noſtra ipſi viſcera graſſamur, occuparunt. Si iam penetrant vel in Auſtriam & loca vicina, vel in Italiam, nihil præter opinionem faciunt, qui & antea ſibi viam patefecerunt, & nos ita vident impeditos ciuilibus malis, vt vix ęgre poſſimus obuiam ipſis properare. Vera ſunt iſta: Sed non eſt hîc conſiſtendum, velut ad fontem & originem mali, ſicut ille facit, omnino veteratorie & inſidioſè. Turcicum furorem & poſtremi temporis maximas acerbitates prænunciarunt ſacræ literæ. Harum vero calamitatum efficiens cauſa non eſt bellum aliquod noſtrum inteſtinum, ſed hoc ipſum bellum numerari debet inter effectus, aliaſque clades, quibus à Deo verberamur. Quæ ſit autem huius tantæ iræ, & offenſionis diuinæ cauſa, inueſtigandum eſt. Cum igitur omnia diligenter perquiſiuerimus, certò cõperiemus, Deum nulla re tantopere offendi, quàm idololatria, & verbi ſui cõtemptu. Nimis enim multa ſunt ſcripturæ teſtimonia, quibus hoc probatur, & ſolus Iſraëliticus populus, in Aſſyrios & Babylonios abductus, illuſtre nobis documentum præbuit. Hic

eſt ille fons, quē requirimus; hoc caput, & ſeges omniū incommodorum; hîc immorandum eſt; neque longius progrediendum. Iam verò Turcica rabies, quo primum tempore cœpit in noſtris finibus graſſari? Certè, quò ſuperbiores facti ſunt Romani Pontifices, quoque maiorem fecerunt iniuriam verbo Dei, quod ſuæ tyrannidis confirmandæ cauſa totum cōtaminarunt, eò fuerunt feliciores Turcarum progreſſus: Et quò maior fuit per noſtras prouincias, Romani Pontificis authoritas, eò vicinior nobis factus eſt Turca: Qui transmiſſo tandem Helleſponto, penetrauit in Europam, eiusque loci firmiſſimo capto propugnaculo, totum ſe nobis iam inſinuauit. Illo igitur tempore ſæuire cœpit in nos, & hodierno die; quoniam præſens ac inſigne beneficium Dei non agnoſcimus, qui in his tantis miſeriis, Euangelii ſui doctrinā nobis reddidit, omnium crudeliſſimè belligeratur, & ita quidem feliciter, vt, quoties in nos exercitum educit, de victoria propè nihil dubitet. Hanc autem rerum vaſtitatem profligari poſſe credit ille, ſi bellum nullum eſſet apud nos ciuile: Sed quam rem, ingraueſcentis morbi medicinam eſſe putat, hæc ipſa res, morbus eſt, atque præſenti opus habet remedio. Hîc obmuteſcit

ſcit & diſſimulat, neque vulnus detegit, & reconciliatis principum animis, omnia ſibi proſpera pollicetur, & illud in primis, quod quas ipſe vocat hæreſes; eas arbitratur tum facile poſſe radicitus euelli. Admodum fœcunda ſunt hæc illius verba, neque facile totum exprimi poteſt, quod in illis tegitur inuolutum. Nam exiſtimationem ſibi parat hoc ipſo, quaſi publicam orbis quietem cupiat; quaſi Concilium optet; principes etiã, quibus illa ſcripſit, oblique commonefacit, vt in ea, quã hactenus retinuerunt erga ipſum voluntate & obſeruantia, ſint conſtantes; neque doctrinam admittant illam, quam inter alias orbis calamitates recenſet; ac facile ſperat, adeoque promittit opprimi poſſe totam, coniunctis regum viribus & armis; deinde, dum ſic ad perſeuerantiam eos hortatur, alit factiones, & ad maiorem acerbitatem inflammat animos, & tanquam digito indicat, in iis Comitiis, & quibuſcunque aliis, tractandum eſſe de cauſis tantum ciuilibus, & religionis negocium debere ad Concilium publicum relici; Quod facile poſſit cogi ſedato bello, cuius pacificationem, quia difficillimam & ſupra modum arduam eſſe videt, ideo vehementius vrget, vt quocunque modo res cadat, pro Republ. fe-

ciſſe aliquid videatur. Quid,an vllum hîc apparet pœnitentis animi veſtigium? an vlla ſpes emendationis affulget? Nonne, vel hæc ſola eius epiſtola teſtatur, ipſum ideo potentiſſimum & in primis cupere pacificari monarchas, vt horum adiutus præſidio,funditus delere poſſit,quod ſibi omnium rerum minime ferendum eſſe videt, doctrinæ genus? Ante bellum ait in Germania non extitiſſe hęreſes:Immò verò, quoniam ipſe per omneis Europæ prouincias diſſeminauit fœdas & ignominioſas hæreſes; idcircò non bellis tantum, ſed aliis quoque multis acerbitatibus diuexamur. Sed & ea doctrina,quam hæreſim vocat, ortú habuit ante bellum iſtud,de quo loquitur;& quam ſperat futuram rerum viciſſitudinem, ea nunc eſt adducta pridem, & rebus humanis illata, Dei beneficio,læta quidem piis & iucunda;impiis autẽ ingrata & luctuoſa: Quod ipſum,quia vel non intelligit,vel inuidioſe diſſimulat, & priſtinæ ſuæ dignitatis potentiæque recuperationem ſibi promittit,ideo maximè deploranda eſt ipſius conditio, vt quem Deus propoſuit nobis velut inſigne quoddam exemplar,in quo magnitudinem iræ ipſius & vehementiam contemplemur. Cum igitur ad hunc modum res ipſorum habeant, nullam vt

ferre

ferre queant legitimam cognitionem, & ſimul ſpem omnem præcidant emendationis, cogitandum eſt tibi, Cæſar, deinceps, quid Deus requirat, nec habenda eſt ratio vlla tyranni, qui te maioreſque tuos iureiurando ſibi non alia de cauſa deuinxit, quam vt tanto licentius & immoderatius omnia turbaret, miſceret ac conſpurcaret, non ſecus, ac ſi totus hic orbis terræ, & quidquid eo continetur, ob ipſius tantum ſit factus commoditates, & quaſi plus in ipſo vno prudentiæ ſit, & ingenii & probitatis, & ſanctimoniæ, quàm in reliquis omnibus mortalibus: Hoc enim inter cetera de ſe iactat in ſuis illis egregiis decretorum monumentis, affirmans, errare ſe non poſſe, & poteſtatem habere ſe iudicādi omneis; à nemine autem poſſe iudicari. Quod ipſum admodum venuſte probat teſtimonio Pauli, cum is ait: *Hominem ſpiritualem diiudicare omnia, ſed à nemine ipſum iudicari.* Cum enim hanc ſententiam ſcriberet Paulus, cogitabat ſcilicet de Pontifice Romano, & præuidebat futurum, vt is aliquādo monſtroſam poteſtatem haberet, vtque ſimul eſſet Pontifex, atque Cæſar Romanus. Recitatum eſt hactenus, quemadmodum illi ſe prophanis & ciuilibus negociis immiſcuerunt, quomodo vetus Imperii pa-

trimonium, & ipſam adeò priſcam Cæſarum ſedem, vrbem Romam, occuparunt; quomodo præter inanem titulum & nomen, nihil Imperio reliquerunt, & quàm indignè ſæpenumero tractarunt Cęſares, alioſque Reges. Quàm autem ſint ſui perpetuo ſimiles, atque conſtantes in hac ſua inexhauſta cupiditate, potes facile æſtimare, Cæſar, ex iis, quæ noſtris adeò temporibus, & in hac hominũ memoria, contigerunt. Nemo neſcit, quàm inſignis fuerit bellator Iulius Pontifex. Maxima fuit regibus ipſis cum eo ſimultas, imò tuus etiam, Cæſar, auus Maximilianus, etſi laudatiſſimus princeps, vitare non potuit eius inimicitias, in cauſa longè iuſtiſſima, quando Concilium ille publicum, vt rem in primis orbi Chriſtiano neceſſariam, decernebat: Iulius autem ab eo maximopere abhorrebat: Qui licèt totus erat obrutus opinionibus falſis & Epicureis, etſi vitiis erat immerſus altiſſimè, quanquã toto vitæ genere teſtabatur, non eſſe, ab ipſo, alium exſpectandum Antichriſtum, cogere tamen volebat homines, vt in ipſum intuerentur, & differrent omnem actionem, quoad ſua ipſe flagitia publicè damnaret. Sed quum nimium eſſet lentus emendator & cenſor ille, tuuſque, Cæſar, auus, & alii cum eo principes, cuperent

rebus

rebus nimium affectis mederi, continuò fulmen ille ſuum in ipſos eiaculabatur, nulla alia de cauſa, quàm quòd rem tantam, cuius contrectatio ad ipſum ſolum pertineat, auſi fuiſſent tentare. Sed interim, vt fucum aliquem faceret, Comitiũ euocauit Romam; in eoq; nihil agebatur aliud, quàm quòd ſupra nubes eum efferebant adulatores, vt patriæ patrem, cui nihil eſſet antiquius, quàm orbis Chriſtiani ſalus & proſperitas. Quantum ad reliqua pertinet, talis omninò tunc ibi facta fuit rerum neceſſariarum emẽdatio, qualis hodie futura ſit, ſi cauſæ cognitio deferatur ipſi Pontifici, & Cardinalium ſenatui. Hunc excepit Leo Pontifex, atq; hic, quam acerbe tibi reſtiterit, vt qui totus in hoc fuerit, ne Cæſareus honor, à morte Maximiliani tibi deferretur, non ignoras, & poſtquam hac exſpectatione decidit, tuque Germaniæ Principum voce nominatus es Cæſar; non te fugit, quàm odioſe in tuam perniciem cõiurarit, quale fœdus inierit, quod eò videlicet ſpectabat, vt & Siciliam amitteres, ac nõ ſolum regno Neapolitano, ſed & Italiâ prorſus exuereris. Et quanquam ab eo poſtea fœdere diſceſſit, detectâ coniuratione, tamẽ ne quid alienum à Pontificio more faceret, vulnus inflixit orbi Chriſtiano, longè

grauiſſimum, quod ne hodie quidem curatum eſt. Nam eius belli, quod inter te, Galliæque regem eſt, author ille fuit, quantum in ipſo erat: Quo in bello, tametſi fortunatus extitiſti, fuit tamen illud excitatum ab eo, ſingulari quadam induſtria. Præuidebat enim futurum, vt ſemel inchoatum diſſidium inter duos potentiſſimos Reges, diuturnum eſſet, neque breui aliquo tempore finiretur. Putabat hoc ſuis rationibus multò magis conuenire, quàm indicere publicũ orbis Concilium: quod tunc flagitabant omnes, ac in primis neceſſarium eſſe iudicabant, ob hanc ipſam, quæ nunc quoque controuertitur, & tunc adhuc recens erat, religionis cauſam. Et ſanè prudenter hanc rationem inierat, nec aberrauit ab eo, quẽ ſpectauerat, ſcopo. Non neſcis etiam Cæſar, quemadmodum, à morte Leonis, in eodem bello ſe geſſerit Clemens Pontifex erga te; quomodo nutauerit, quomodo duabus aliquando ſellis ſederit; quàm inſidioſe tecum egerit, quod fœdus percuſſerit; quomodo bellum tibi denunciarit, epiſtola multum atroci & plena exprobrationum; quomodo libellis editis, nomen tuum atque famam lacerarit: Non ignoras, quam liberaliter ipſum, captiuum, & belli iure tuum factum.

ctum, in priſtinum locum & dignitatem reſtitueris, quantopere illius res omnes tibi curę fuerint, quando pacificatione factâ cum Galliarum rege, promittebas, te ſimul & regem, daturos operam, vt oppida quædam, quæ dicuntur ad Eccleſiæ Romanæ patrimonium pertinere, manibus poſſeſſorum erepta, reſtitueretis eidem. Meminiſti, quanta fide & diligentia iuueris ipſum eo bello, quod in Florentinos mouit acerbiſſimum: Recordaris, quo tempore Germaniæ Principes ac Ordines, grauiſſime conquerebantur de Romanenſium auaritia & tyrannide, cum eorum, quæ cupiebant emendari, capita, ſcripto comprehenſa, Pontificis legato exhibuiſſent in publico Imperii Comitio, tuamque fidem etiam in eo Cæſar, implorаſſent; recordaris, inquam, vt in gratiam Pontificis hæc omnia diſſimularis, ſicut in quodam tuo ſcripto fateris ipſe. Non excidit tibi, quàm multa, pro dignitate eius tuenda, feceris in Comitiis Auguſtanis: Hærent adhuc impreſſi in animo tuo ſermones illi, dubioprocul, quos è Germania reuerſus in Italiam, inde nauigaturus in Hiſpanias, cum eo contuliſti Bononiæ, de publico indicendo Concilio; Non te fugit, quemadmodum ille poſt hanc collocutionem ſit profe-

ctus Maſſiliam,& ibi ſuam neptem in matrimonium dederit. Hoc an fecerit, quò pacificationem inter te, Galliæq; regem, proximis aliquot annis initam, confirmaret, ac publicam orbis tranquillitatem vtrique commendaret, ſiue potius, quòd bellator ipſe, ac vindictæ cupidus, cogitabat ignominiā ſuperiorum annorum, quando captus fuit à tuo milite, totam delere, tu, Cæſar, omnium optime iudicare potes. Ecquid etiam Paulus Pontifex, in Eccleſiarum emendationem ſit affectus, non potes non ſcire, qui diuerſis temporibus, in collocutionem cum eo, quartùm veniſti. Præ ſe tulit ille quidem, ſuperiori Sabaudico bello, cum inter te Galliæque regem arderent odia, quaſi rem ſerio ageret, adeoque concilium indicebat. Siue autem id fecerit, vt hac ratione vos reuocaret à cogitationibus belli, ſiue, quod rem, quæ fieri non poſſet, moliri ſe videbat ipſe, hocq; ſolum ſpectabat, vt ſaltē viderent homines, per ipſum non ſtare, quominus coiret Conciliū, non facile quis dixerit: Quanquam, vt poſterius hoc credamus, procliuiꝰ eſt, eò quòd poſt illam Niceæ factam inter vos pacificationem, Concilii mentionem nullam publicā iniecit, toto quadriennio. Si iam illud idcirco fecit, quoniā eius aduerſarii, Con-

Concilium ante indictum ab eo, reiecerunt; profectò non eſt, quod vllam deinceps operam ſumat in eo conuocando: Quia quæ cauſa tunc mouit eius aduerſarios, vt non admitterent illud, eadẽ nunc quoque manet. Nolunt enim ipſum ferre iudicem, ſed reum agunt de grauiſſimis criminibus. Sin autem ideo tacuit, quòd metueret, ne temporibus facti peritiores homines, Concilium quidem publicum non recuſarent, ſed ipſum è ſolio detraherent, & accuſationibus cogerent reſpondere, iam certè palàm eſt, figmentum etiam illud fuiſſe & ludibrium, quod antea præ ſe tulerat, adeoque colligi poteſt ex eo facillimè, nunquam ipſos de Concilio cogitare ex animo, ſed ſpeculari ſolum temporis momenta, & tum demũ facere Concilii mentionẽ, ac ſpem aliquam oſtendere, quando vident omninò fieri nõ poſſe, vt coeat. Quæ fuit enim alia cauſa, quòd ante biennium, apud Tridentinos, illud cogi voluit, niſi quòd ipſiſſimo tempore, quo cõſcripſit illud, videbat inter te Gallięq; Regẽ, omnia ſpectare ad cruentiſſimum bellum; imò ſciebat alterum eſſe iam in procinctu? Quod ipſum non ignorant, qui ſpectatores fuerunt huius apparatus, & qui tempus obſeruarunt. Verum, vt maximè Con-

cilium habeatur, certum eſt tamen, eos non admiſſuros vllam ſolidam, piam & neceſſariam emendationem. Habent enim hanc perſuaſionē, vt aiunt, quaſi futurum ſperent, vt ipſorum aduerſarii tandem agnoſcant errorem, & ad Eccleſiæ Romanæ ſinum redeant, & in eo conquieſcant, ſicut in poſtremo Ratisbonæ Comitio, cui tu, Cæſar, præeras ipſe, Cardinalis Contarenus, à Pontifice miſſus, profitebatur. Quæ ſola res argumento nobis erit, ipſos à Deo deſtitutos eſſe, inque ſuum ruere exitium, velut mente captos. Quid? tam crebra Comitia ſint habita propter hāc cauſam? adeo multi præclari viri, ſummos exhauſerint labores? tu quoq; Cæſar, variis multiſque cogitationibus & moleſtiis propterea ſis defatigatus? ipſa Germania non ſemel in maximum diſcrimen adducta ſit? & nunc tandem, poſt tam laborioſas, tædiique plenas conſultationes, tritum illud & vulgare, leue illud & ridiculum adferatur, futurum ſcilicet, vt iſti redeant ad mentem? Sed non ſperant, quod dicunt. quin potius extinctum cuperent totum iſtud doctrinæ genus, & deletos ad vnum omnes, qui profitentur eam. Si ſpem iſtam habuerunt, cur infinitam hominum multitudinem, à plurimis nunc annis, tam acerbe
ſunt

ſunt perſecuti? Si principio, cum exiguus adhuc eſſet numerus & contemptus, non venerunt in eam ſpem, id quod cædes ab ipſis perpetratæ, ſatis demonſtrant, quomodo credibile eſt, hanc ſpem in eis auctam eſſe temporibus, quando conſpiciunt, omnes paulatim ordines ad defectionem ſpectare? Simulatus eſt igitur & fictus hic eorum ſermo. Nam quia vident crucibus & flammis nihil quidquam effici poſſe, præ ſe ferunt aliquam moderationem, & commiſerationis quandam præbent ſpeciem, quum interea nihilominus peſtem, & virus præſentiſſimum in pectore circumferant. Qui volet igitur natiuam Pontificum indolem cognoſcere, ſolum intueatur, & ſibi proponat eos, quos vidimus ipſi & nouimus. Verum quidem eſt illud, non fuiſſe omnes tam furioſos & amentes bellatores, quàm fuit Iulius, tam perditos in omni genere voluptatis & libidinum, quàm fuit Leo: non omnes tam inſigniter perfidos & ſceleratos, quàm fuit Clemens; tam auaros & verſutos, quàm eſt Paulus Tertius; verum eſt iſtud, & largior. Sed illud probari poteſt atque doceri, iam inde ab eo tempore, quo principatum in Eccleſias obtinuerunt, ipſos omnem ingenii vim atque cogitationes eò contuliſſe, vt & falſam

doctrinam, & impios cultus excitarent, & fierent quàm locupletiſſimi, & ſplendide magnificéque viuerent, & imperarent omnibus, & fines ditionemque ſuam amplificarent, & Regum Principumque poteſtatem imminuerent ac debilitarent. Probari poſſunt iſta dico, ſed & illud, temporibus eos eſſe factos deteriores; adeò quidē, vt humanæ ſortis obliti, diuinos propemodum honores & titulos non ſint aſpernati, quod luce meridianâ clarius eſt. Quę quidē ſuperbia, tam fœdè miſcuit omnia, confudit & turbauit, tanta quoq; vitiorum & errorum colluuies ab hoc peſtifero fonte redundauit in omnes orbis Chriſtiani prouincias, vt hodie magni etiam viri ſępius obſtupeſcant, & ſecum deliberent, quâ potiſſimum ratione, malum iſtud, tam tetrum & inueteratum, curari poſſit. Quod ipſum exemplo nobis eſſe debet, omnique poſteritati, vt videant homines, quàm horrendæ tenebræ naſcantur ex iſta licentia & temeritate, cum Euangelii doctrina rapitur ad quæſtum, & in traditiones humanas omnino degenerat. Socrates, ille, ſapientiæ laude clariſſimus, ait, talem eſſe hominis naturā, vt ſi poteſtatem omnem ſolus habeat, & pro ſuo arbitratu aliis imperare poſſit, euadat ſuperbus, ferox, intole-

tolerabilis,ac planè tyrannus. Nec enim eſt cuiuſuis, moderate & æquabiliter ferre proſperum fortunæ curſum. Quicunque fuerunt igitur ſingulis temporibus laudati reges, atq; Principes non pœnitendi,viros bonos in conſiliũ ſemper adhibuerunt, eorumq; ſecuti ſunt authoritatem. Cum enim vnius arbitrio permittuntur omnia, fieri nõ poteſt,quin & impotenter,& ſeditiosè, & iniquè multa fiant. Pontifex verò, quia ſolus dominari voluit omnibus; eamque poteſtatem ſibi nõ verbo tantũ vſurpar,ſed re quoq; vendicat, non potuit non fieri tyrannus:Nec eſt, quod vllum ſperetur ab eo laudatum exemplũ,quàm diu cõſiſtet in eo licentię gradu,quẽ hactenus obtinuit. Quæ cum ita ſint,debes omnino prouidere, Cæſar, vt omnia tua cõſilia referas ad illuſtrandã gloriã Dei, & recuperandam Germaniæ tranquillitatẽ Quod ſanè fieri nõ poteſt, niſi ab illa Pontificia ſeruitute,in libertatem proclames, ac iuſiurandũ illud violẽtum,tyrannicum,tibi,tuiſque maioribus extortum , & tuo ſplendore indignum, planè reiicias. Nam communis hominũ ſalus, & Chriſti gloria, debent omnibus rebus humanis , maximè verò, priuatis pauciſſimorum quorundam vtilitatibus, anteferri. Si clamant , quod ſolent , &

magno ſupercilio loquuntur de patribus, de conciliis & decretis, de longa conſuetudine, de nauicula Petri, de ſacroſancta Sede, ac Eccleſia catholica, nihil te moueant eiuſmodi voces. Hæc enim ſunt illa ſuauia & blanda carmina, quæ multos in errorem & naufragia pertraxerunt. Hę ſunt illę Syrenes, quas obturatis auribus, vt Vlyſſes fecit, prætcrnauigare oportet, vt euitetur periculum. Hoc enim ſemel certò ſtatuendum eſt, omniū hominum opiniones, traditiones, atque ſcripta, debere eſſe conſentanea verbo Dei. Vidit hoc in ciuilibus rebus, & auſus eſt ſcribere, Plato, cum affirmat, quæcunque alia ſcripta, ſi diuerſum ſentiant à legibus, eſſe reiicienda. Leges autem putabant eſſe Dei donum, & ideo tantam eis tribuebant authoritatem. Ex quo poteſt intelligi, quàm non ſine flagitio mutari poſſint illa, quæ Deus ipſe, rerum conditor, miniſterio Spiritus reliquit nobis, & ſcriptis comprehēdi voluit, vt extaret, quod perpetuo ſequeremur. Quamquam, ſi Pontifices, quique pendent ab eo, probandi ſint ad normam veterum Canonū & conſtitutionum, bone Deus, quàm nō queant locum ſuum tueri? Nam violarunt omnia ſalutaria decreta; neque pudet eos, nihil eorum obſeruare; nec id modo, ſed
glorian-

glorianturetiam, hoc licere, neque poſſe ipſos vllis maiorum ſuorum legibus adſtringi, quòd par in parem nullam habeat poteſtatem: Idcirco liberum ipſis & integrum eſſe, veteres abrogare, atque ſancire nouas, id quod diligenter & ſtudioſe fecerunt etiam. Quòcumque enim ipſos rapuit auaritia, faſtus & ambitio, non ſunt veriti, decretum aliquod, ipſorũ accommodatum affectibus, edere & ſancire. Quæ ſanè res nec laudari poteſt, nec tolerari. Nam quòd affirmant, pro ratione temporum mutari poſſe leges, minime iuuat cauſam ipſorum. Hoc enim ad politica ſolum referri debet, non etiam ad doctrinam religionis. Iam verò, quæ ſint officia ſacerdotum & Epiſcoporum; quomodo familiam, vxorem & liberos gubernare debeant; quam non oporteat eos vllis rebus extra munus Eccleſiaſticum immiſceri; quàm deceat eos eſſe remotos ab omni vel ſuſpicione auaritiæ, libidinis, & ſordidi quæſtus: hæc, inquam, omnia ſunt clare ſacris literis expreſſa: Quòd autem nihil horum, ab aliquot nunc ſæculis, obſeruant; quòd ſemper in deteriora ruunt; quòd etiam hodie non dubitant affirmare, nunc aliam eſſe rationem, alia tempora, faciunt in eo nequiter, & à veritate longiſſime recedunt. Nec

enim Biblica ſolum ſcripta, ſed etiam maiorum ſuorum pias & ſalutares conſtitutiones ſeruare debent, eò quòd magiſtratus, eſt, non dominus, verum miniſter legis. Hoc ſi locum habet in omni Rep. ciuili, bene conſtituta, quanto magis valere debet in cauſa Religionis? Quoties côduntur leges, oportet eas, vt Plato ſentit, ita eſſe temperatas, ne vni alicui parti ciuitatis, aut factioni proſint, verum, vt ſint toti Reipublicæ ſalutares atque vtiles. Qui contrà facit, aut aliud ſpectat, hunc ait eſſe non ciuem, ſed perturbatorem potius & ſeditioſum, cuius decreta ſint ab omnibus repudianda. Sed & illud addit, oportere magiſtratum, qui poteſtatem habet ferendi leges, erga Rempublicam affectum eſſe, quemadmodum parẽtes affecti ſunt erga ſuam familiam & liberos; hoc eſt, illorum leges atque conſtitutiones oportet ſic eſſe temperatas, vt appareat, nihil eos aliud ſpectaſſe, quàm populi ſalutẽ vt nullum in eis deprehendatur maleuoli animi veſtigium; Id quod Tyrannis proprium eſt, qui ferociter & imperioſe mandant, nec tamẽ vllam probabilem, æquam, aut rationi conſentaneam cauſam adferunt. Habendi ſunt igitur & æſtimandi Pontifices, tanquam ſeditioſi ciues orbis Chriſtiani; quoniã illa,

quæ

quæ nunc à ſæculis aliquot fecerunt decreta, pertinent omnino ad ipſorum priuatas commoditates, & reliquis omnibus ordinibus planè ſunt intolerabilia, vt cõſtat non ex libris tantũ, ſed ex quotidianis ipſorũ actionibus; quæ tales omninò ſunt, vt negocium hodiè faceſſant multis & præſtantibus viris. Nam inæqualitas illa magna, non poteſt non parere animorum alienationem. Sed ecce, quando Pontificatus honorem ſuſcipiunt, iureiurando confirmant, ſeſe obſeruaturos, quę pro dignitate Rom. ſedis conſtituta ſunt à maioribus, h.e. inconſulto vel nõ aſſentiente Cardinaliũ ſenatu, nihil mutaturos. Hoc iuſiurandum, ſi iam indè à primordio Romanę Eccleſiæ ſemper extitit, iam certè omnes, qui fuerũt à mille quadringentis, & eò pluribus annis, in periurium incurrerunt, et qui leges, latas ab Apoſtolo Petro, quem primum ipſi commemorant, iis locis pręfuiſſe, non obſeruarunt: Si vero nullum tunc fuit tale iuſiurandum, ſed longo pòſt interuallo temporis introductum eſt; profectò miſeri ſunt & omnino deplorati, qui non modo nihil rectè agunt, verumetiam eiuſmodi vinculo ſe conſtringunt ipſi, ne quid vnquam faciant ex officio. Notum eſt illud Iulii Cæſaris, & celebre dictum; *ſi violan-*

da ſit fides, regni cauſa violandam eſſe. Memoriâ tenent hanc ſententiam noſtri Pontifices, eamque vſu quotidiano ſibi familiarem faciunt. Veteres illos primorum Epiſcoporum Canones, quia nimium erant frugales atque philoſophici, reſciderunt omnes, ac eos, qui poſtea ſunt ab ipſis, tanquam humanarum rerum peritioribus, & hominibus politicis inuenti, diligenter obſeruant. Et niſi quis hancartem teneat, eorumq; ſe moribus accommodet, aut ſi priſcam aliquis tenuitatem & ſimplicitatem in vſum reuocet, eum ferre non poſſunt; neque deſunt eis technæ, quibus è medio tollant. Nemo vir bonus & recti ſtudioſus, vitæ genus vllum ingreditur, quod mores animumque deprauare poſſit, ac velut extra ſeſe ponere. Illud autem vitæ genus, in quo Pontifices, ac tota Pontificiorum turba verſantur, hauddubiè periculi plenũ eſt; nec in eo poſſunt euadere meliores, quàm tunc erant, quum ſuſciperent illud. Suſcipiunt autem omnes, non alia de cauſa, quàm vt omnium rerum ſecuri, ſplendide, & otioſe, & molliter, & libidinoſe viuant; in ſummis honoribus; vtque liceat ipſis, quod libet. Nimis enim eſt notum, non eſſe quemquam ex ipſis in vlla gente vel populo, qui ſuum faciat officium;
neque

neque te latet, Cæſar, quibus artibus & rationibus inuolent in Eccleſiarum opes. Tuis enim aliorumque Regum auxiliis & commendationibus eò perueniunt: Illaudata ferè ſunt & legibus etiam prohibita, quibus vtuntur, auſpicia. Non poteſt igitur, vel ipſe dominatus, vel etiam exitus eius non eſſe teter atque luctuoſus. Ingenti ſæpe calamitate Deus puniuit Reges, qui vel per tyrannidem, vel ſeditiones, vel cædes, vel per largitiones, idque genus alias artes, in principatum inuaſerunt. Quantò minus igitur hanc fœditatem & deprauationem feret in administratione Eccleſiaſtica, vbi, præter virtutem ac eruditionem, nihil aut ſpectari debet, aut valere? Atque interim tamen, quidquid decernunt & mandant, hoc totum diuino numini tribui, & veluti ſacroſanctũ haberi volunt. Nimis hæc eſt profecto magna temeritas, quàm nec impunitam ſinet Deus. Quoties ergo Decretorum, Canonum, & Eccleſiæ conſtitutionum faciunt mentionem, explicare debent etiam, de quorum temporum Canonibus loquantur; quia pugnant inter ſe, quæ ſunt ab ipſis condita. Et quanquã priores leges emendantur per poſteriores, eiſque cedunt, longe tamen eſt alia ratio, quantum ad Ius Pontificium perti-

Digitized by Google

net. Nam illa, quæ facta ſunt antè mille, & eò plures annos, decreta, multò ſunt meliora, quàm ea, quæ ducentis annis poſtea ſunt conſtituta. Breuiter, quò ſunt propiores noſtris temporibus, & noſtrorum hominum memoriæ Pontifices, eò deteriores condiderunt Canones; adeo quidẽ, vt tandem intolerabilia quædam & execranda promulgauerint, quorum ipſos hodierno die pudere debet. Et tamen hęc ipſorum decreta, tam ſordida, tam inepta, tam impia, primum aliquando locum in Eccleſiis obtinuerũt. Audeãt eloqui tandem, ac diſerte pronunciare, quos velint intelligi canones, cum illos adeo ferociter obiiciunt aduerſariis. Ignorant hauddubie, quid ſibi velint, & ipſorum maxima pars, adeo ſunt vel indocti, vel negligentes, vel occupati voluptatibus, vt non magis noua, quàm vetera legerint: Sed verbis magnificis, & ad fucum oſtentationemque comparatis, nequitiam ſuam tegunt. Et hæc quidem dicta ſint hactenus, de iureiurando illo ſolenni, quod etſi tyrannicum eſt, & violenter extortum, tamen, etiamſi tolerandum eſſet, non poteſt, niſi ad res licitas & honeſtas referri, vt ex Iuriſperitorum libris multipliciter oſtendi poteſt. Adhæc omnia quæ commemorata ſunt, aliud etiam accedit, fortaſſe,

taſſe, quod rationes tuas, Cæſar, reddit impeditiores. Cogitas enim, vt eſt credibile, quòd ſi quid abs re fiat, quo Pontificis animus offendatur, futurum id tibi minus commodũ, ob res Italicas, de quibus periclitari nolis. Magnæ ſunt profectò Sathanæ, ſubtileſque artes. Ecce, quẽ in locum, res, ipſius induſtriâ conſilioque deductæ ſint. Nonne paradoxum videri debet, ac in primis abſurdum, Eccleſiæ miniſtrum eô potentiæ perueniſſe, vt etiam ſummi reges ipſum obſeruent, reuereantur & colant, vt illius effrenem licentiam, ne verbo quidem auſint reprehendere; tantum abeſt, vt coerceant, idque metu, ne damnum ea res ipſis, & luculentum diſpendium adferat? Eſt ita ſanè, quemadmodum non rarò fortaſſe, Cæſar, cogitas, vt ei, qui velit in Italia dominari; vel etiam ſua tueri, prope ſit neceſſaria Pontificis gratia. Sic enim omnia permiſcet, turbat, inuoluit, ſubuertit, corrumpit ac labefacit, vt conſiſtere vix aliquis in gradu poſſit, niſi fautorem habeat illum & beneuolum. Multi ſæpè Reges ac Principes hoc ipſum experti ſunt; neque deſunt hac ætate noſtra, qui teſtari poſſint, quid ipſis acciderit. Hinc adeo fit, vt eius amicitiam vehemẽter expetant Monarchæ, vt modis omni-

bus operam dent, ne quam ei præbeant offenſionis cauſam, id quod ſcriptura prænunciauit multis antè temporibus, aliquādo futurum. Apud Platonem contendit cum Iſocrate Adimantus, & putat in vitæ puritate & innocentia tuenda, plurimum eſſe laboris & faſtidii, parum autem emolumenti. Sic igitur ſtatuit, oportere illum, qui diuitias conſequi velit, ſimulare quendam probitatis & virtutis amorem; ſed interim imitari naturā vulpis, conuertere & ad ſe rapere omnia. Cauſam hanc adfert, quòd pauperum, etiamſi vitæ ſint integerrimæ, nulla prorſus habetur ratio, & quòd locupletes vbique ſunt honorati, licèt nequiter viuant, & iniquitate ſummâ pararint opes. Habent, inquit, prętereа diuites, non paucas rationes, vel tegendi ſuam improbitatē, vel tuendi, quæ habent bona, quando ſe vel affinitatibus, vel fœderibus muniunt, vel obtruſa pecunia ſibi comparant paraſitos & adulatores, qui virtutes ipſorum paſſim celebrent. Deinde, ſi quid admiſerunt, quòd pœnam mereatur, habent, vnde poſſint corrumpere Iudicē. Quantū ad Deos pertinet, aut nulli ſunt, ait, aut non curant res humanas; aut ſunt aliqui, & curant quid homines agant. Si nulli ſunt; aut ſi non reſpiciunt res hominum, nihil

nihil refert, quomodocunque viuamus. Sin autem ſunt, & intueatur noſtra facta, certe placare poſſumus eos victimis & ſacrificiis, quia ſunt placabiles & exorabiles, vt eſt in communi omnium ſermone. Colloquium iſtud eſt, vt diximus, ethnicum, & confutatur à Socrate poſtea; ſed eadem eſt planè ratio Pōtificum. Etenim ſi voluiſſent officio fungi, quod debent, & cuius titulo freti, tantas retinent poſſeſſiones, iam oportuiſſet eos docendo, monendo, emendando, variis & multiplicibus miniſteriis, maximos obire labores, tolerare multas vigilias; concoquere longa tædia, pati contumelias improborum, & pro ſummis beneficiis adfici probris atque conuiciis; in vitæ quoque diſcrimine non rarò verſari, quod piis verbi doctoribus proprium eſt. Hæc, inquā, omnia ſubeunda fuiſſent eis, nec id modo, ſed de quauis potius re cogitandum eis fuiſſet, quàm de comparandis opibus, vixiſſent contenti mediocri tenuiq; fortuna. Sed quęre, qui reſpondeat. Pontificum certè generoſus & immenſus animus, hanc ſeruitutem & ſordes, ne dignas quidem eſſe putat, de quibus cogitet; Platonis potius, vel Adimanti ſententiam recipiendam eſſe putant. Virtutis & ſummæ ſanctimoniæ ſpeciem ſibi ſumpſe-

Digitized by Google

runt, ita quidem, vt homines, maximè religioſum, diuinum & ſacroſanctum eſſe crederent, quidquid ab eis emanaret. Sub hoc tegumento, luporum & vulpium indolem diligenter expreſſerunt; inſidiati ſunt, & omnium fortunis inhiarunt; rapuerunt ad ſe quidquid vſpiam fuit bonorum; nec vllus eſt, noſtri quidem orbis populus, adeò remotus & longinquus, qui non ſenſerit eorum rapacitatem, veluti calamitatem quandam vbiq; graſſantem, & omnes peruadentem agros. Poſtquam verò temporibus aucti, diuitias cũ opinione Religionis coniunxiſſent, tunc ex animi voto ceſſerunt illis omnia: Fecerunt, quod ſolent homines ambitioſi; Regum ſe fœderibus munierunt, & hoc conſecuti ſunt, vt colantur ab omnibus & celebrentur. Etiamſi tempeſtas aliqua naſcatur, quę naufragium minetur, eam ſe putant tamen frangere poſſe vel mitigare, quamdiu non deſtituentur aureo illo clauo. Quantum ad futuram & perpetuam vitam attinet, cogitant, vt ait ille, vel non eſſe Deum; vel non reſpicere humana. Neque enim deſunt his temporibus, & ſunt fortaſſe non pauci Romæ, qui putant nullum eſſe Deum. Cuperem eſſe falſum, quod dico, & optarem, iure me poſſe mendacii inſimulari; ſed profectò

ſic

ſic plerique viuunt, vt ipſorum actiones atq; mores comprobare videantur, quod dico. Aut ſi ſit Deus, & noſtri curam gerat, quæque ſint hominum facta, diiudicet, certè credunt, facile ipſum poſſe placari conſuetis ſacrificiis. Atqui, ſub ſpecie religionis nón modo ſummas acquiſiuit opes Romanus Tyrannus, verumetiam adeò factus eſt ambitioſus & ferox, vt vicinum nullum ferre poſſit, potentẽ principem. Solus enim vult dominari, neque nouum eſt, videre magnates, ab ipſo eliſos & profligatos. Huc aliquando ſpectarunt, & Leo decimus, & Clemens; atque hic quidem, cum te cuperet, Cæſar, omni ſpoliare Italia, diligenter cauit, in eo, quod contra te ſuſcepit, fœdere, vt etiam ſi fortaſſe acciperes, quas ipſe cum ſuis fœderatis atque ſociis tibi propoſuit, pacis conditiones acerrimas, ne tamen in Italiam vllo tempore accederes, niſi cum tanta militum manu, quantam ipſe vellet ac præſcriberet. Quænam hęc tanta eſt audacia? Num Romanus Epiſcopus, quondam tenuis & pauperculus Cæſarum deinde munificentia locupletatus, excludit Cæſares, atque aditu prohibet ab Italia, priſco, & verè natiuo Cæſarũ patrimonio? Deploranda quidem ſunt iſta: Sed tamen alius eſt hodie rerũ ſtatus, ita

volente Deo, cuius inueſtigari conſilia non poſſunt. Et quanquam in hac tota cauſa tam pia, tamque neceſſaria, nullam te, Cæſar, oporteet rationem habere vllius vel emolumenti, vel rei prophanæ; tamē ſic tua ſe habent negocia, nihil vt magnopere debeas extimeſcere Pontificem. Tua eſt Sicilia: tuum eſt Neapolitanū regnum auitę poſſeſſiones ac bona: tenes Inſubriam opulētiſſimam regionem; Florentia, Genua multæque aliæ per Italiam ciuitates, tuo parent imperio. Pontificem tenes intercluſum, ita quidem, vt ſi moliri velit aliquid, & genuinam ſuorum maiorum indolem repræſentare, cohiberi tamen poſſit. Ita quoque vicinos & ordines omneis tractat, adeoque ſe gerit Pontificiè prorſus, vt ad minimam occaſionem, facili momento poſſint homines in eum excitari. Sed nimium eſt callidus veterator, & exercitatus in hac palæſtra: videt quæ ſit hodie rerū facies, intelligit non obſcurè, quàm graues habeat accuſatores: Et quâ eſt vafricie, cogitat hauddubie, fieri poſſe, vt Cæſar Romanus & Imperator Auguſtus, tandem ipſis temporibus & rerū vſu plurima cognoſcat, vt multa rectius intelligat, vt ſublato fuco, Romanæ dominæ meretricis fœditatē & ſpurcitiem propius intueatur, vt cōtume-
lias,

lias, quibus ipſe, quibus ipſius maiores, ab iſta Circe turpiter affecti ſunt, videat; vt animum adiiciat ad recuperandum ea, quæ per ipſos ablata ſunt & auulſa malis artibus ab Imperio, & nunc honeſtiori titulo cenſentur eſſe *patrimonium Petri*: Cogitat, inquam, eò rem aliquando poſſe deduci, teque Cæſar, videt hoc poſſe præ cæteris non incommodè, qui per Italiã alioqui latè dominaris. Et certè cum ſit Eccleſiæ miniſter, vt ait, iniquum eſt & turpe, & contra bonos mores, ipſum tenere ciuitates, arces, ditiones ac municipia. Mediocri fortunâ debet eſſe contentus, & tandem oportebit, vt ex his duobus alterum eligat; vt vel regem & politicum aliquem principem ſe profiteatur eſſe, vel Eccleſiæ miniſtrum. Si prius illud eligit, diſcedat igitur à ſuperbis illis & faſtuoſis titulis; non obtrudat, non vendat orbi ſuas & ſanctitates & beatitates; non patiatur alios reges ad ipſius genua proſterni, tanquam adorabundos; contineatur iiſdem legibus, quibus alii principes omnes; non putet ſibi quidquam licere pluſquam aliis; pœniteat ipſum anteactæ turpitudinis & vitæ: fateatur, à ſe ſuiſque maioribus orbem terrarum eſſe circumuentum nefariè, nullum poſſe excogitari ſupplicium ſatis atrox, & dignum tantis

flagitiis; veniam ſupplex petat, & condonari ſibi noxam flagitet ab omnibus hominum ordinibus; &, quemadmodum ferus antea fuit ac intolerabilis, ita ſit deinceps manſuetus & ſubmiſſus, & lenis, deque omnibus bene mereri ſtudeat. Sin autem curam Eccleſiæ ſuſcipere volet, proprium ipſius munus, hoc ſolum agat, agnoſcat, Cæſarem Romanum eſſe magiſtratum à Deo conſtitutum, eique ſoli datũ eſſe ius gladii, quo malos coherceat, & hanc ciuilem hominum ſocietatem in officio retineat. Facilè enim hoc probari poteſt, quòd ſi Eccleſiæ miniſtro liceat exercere Cæſaream iuriſdictionem, & obtinere parem cum Cæſare poteſtatem: Cæſari quoque viciſſim licere, Pontificium & Epiſcopale munus adminiſtrare. Nihil eſt priuilegii: Siquidem vnus aliquis obire poteſt vtramque prouinciam, & alter poteſt: Nulla re diſcernuntur aliâ, quàm cultu corporis & veſtitu. Quod in contrarium adferant, nihil habent, præter emendicatum ius quoddam, & conſuetudinem, & temporis præſcriptionem & poſſeſſionem. Nullum autem ferè tempus fuit, quo non aliqua ſit eis mota controuerſia ſuper his rebus; tandem eò confugerunt, vt dicant, oportere Eccleſiam, ſic enim loquuntur, habere poſſeſſiones

atque

atque opes, quò aduerſariis reſiſtat, & ius diuinum atque ſacrum defendat. Longè profectò petita, & vix tandem excogitata ratio. Verum, ſi officium illi ſuum diligenter feciſſent, ac præterquam Eccleſiarum, nullam ſuſcepiſſent aliam curam, id quod eos decet, non erat opus alio, quàm Deo propugnatore: qui ſui nominis & gloriæ perpetuus eſt vindex, nec eam opprimi patitur, aut labefactari totam, ſed extinctam reuocat in lucem, ſic, vt magis quàm antea ſplendeſcat, in eoque tam nō ſpectat vllum humanum ſubſidium, vt etiam nolit noſtris viribus aut armis maieſtatem ſuam defendi. Sed profectò, non hoc agunt quod ſimulant hypocritæ; ſed aliud latet myſterium; cogitant, quomodo ſuam tyrannidem ſtabiliant & confirment. Huc omne ſtudium, operam & cogitationes referūt, hanc metam ſibi ſemper propoſuerunt, eoque faſtigii deuenerunt tandem, vt illa ipſa bona, quæ nequiter cōſecuti ſunt à regibus, impendant in illorum exitium, eoſq; ſuo ipſorum, quod dici ſolet, gladio confodiant. Hoc ſcilicet eſt ius illud diuinum, cuius meminerunt. Et quoniam, is hodie eſt rerum ſtatus, vt diximus, metuit inter alia, ne quis aliquādo Cæſar peritior factus, adimat ei gladium, & hac eum exuat poteſtate, quā mul-

tis iam ſæculis in plurimorum perniciem conuertit. Et ſane, ſi tolleretur inſtrumētum illud, quod non patitur eum eſſe virum bonum, multò felicius ageretur cum ipſo. Nam ſicut ambitio, faſtus & auaritia, cauſam dederunt, vt ex vno flagitio delapſus in aliud, Antichriſtum nobis exprimat; ita quoque fieri non poteſt, vt vel Petri, vel Apoſtolorum ſucceſſor haberi debeat, niſi redeat totus ad priſtinum illud ſuum munus Eccleſiaſticum, & cogitet, ſatis ipſi multum oneris impoſitum à Deo, neç opus eſſe, vt regum ſe negotiis immiſceat præterea. Quod ſi faceret, Deum immortalem, quanta moleſtia & difficultate liberaret homines! cogerentur eius exemplum imitari, quotquot ab eo pendent, eique ſunt obligati. Multis magniſque curis, tu quoque, Cæſar, liberatus eſſes, quæ nunc te ſollicitum reddunt, eò quod propter Eccleſiaſticas facultates atque opes magna ſit inter ordines, & acerba contentio; quæ quidem opes, in pios & neceſſarios vſus conuerti debent, in miniſtros verbi, in ſcholas, in pauperes & miſeros, in alenda iuuentutis ſtudia. Nam qui nullam aut Eccleſiis aut Reipublicæ commoditatem adferunt, non poſſunt vllum ſibi ius in ea bona vendicare. Plato ſaluberrimum eſſe putat conſi-

conſilium, vt qui ciuitatum gubernationi præſunt, alantur ex publico, nec proprium quid poſſideant; duabus potiſſimum de cauſis; Primum, vt Reipublicæ commodis & ſaluti prorſus incumbant. Deinde, ne quam habeant occaſionem, priuata potius amplificandi, quam procurandi publicas commoditates. Et quanquam nulla fuit vnquam Reſpublica talis, neque temere ſit futura, ſicut fatetur ipſe, cui ſatis eſt, ſuam ſententiam indicaſſe; tamen, ſi eiuſmodi lex debeat in vlla Reipublicæ parte locum habere, profecto recipienda foret in adminiſtrationem Eccleſiaſticam, præſertim, cum ſacræ literæ conſentiant, & nemo non videat, quô tandem omnia ſint delapſa: poſtquã hic veteris Eccleſiæ mos in contẽptum & ludibrium venit. Si potuit hoc videre homo Ethnicus; facile diuinare licet, quid ſperandum ſit, & qui ſit futurus exitus harum, quas à multis nunc annis molimur, reformationum: quàm diu non erit ſublata cauſa morbi, quem curare volumus & detectum planè vulnus, cui cicatricem obdúcere cogitamus. Itaque ſi cupiunt eſſe verè Pontifices, quod audiunt, & volunt eo, quem tenent, loco videri nõ indigni, redeundum eſt ipſis ad priſcam illam frugalitatem; redeundum ad

labores & vigilias & animi perpetua exercitia. Durum quidem eſſe videtur iſtud, ſed tamen verum eſt. Quanquam fruſtra ſumitur omnis hic ſermo; Ne in mentem quidem eis venit, vt huc deſcendant: Et quoniam graui multorum hominum odio laborant, lenitatem & beneuolentiam quandam inſolitam præ ſe ferunt. Deplorant infortunia ſua, non quòd flagitiorum & turpitudinum ipſos pœniteat, non quod vitam emendare cupiant, ſed vt impulſis ad commiſerationem animis, & in extremam odiorum acerbitatem vocatis aduerſariis, conſiſtere poſſint in eo, quem reliquum adhuc habent, gradu. Nam adeo nihil eos pœnitet anteactæ vitæ, nullam vt rem magis deplorent, quàm quòd totum hoc genus doctrinę, non ſit penitus deletum, quò priſtinam dignitatem illam recuperare poſſint, & ſplendorem. Quòd ſi forte dicent, ſe futuros non intractabiles, & velle quædam ſanare: In tempore ſcilicet iſtud adferunt. Annis ab hinc viginti, & eò plus, non modo non voluiſtis, patres purpurati, petentibus hoc aduerſariis veſtris concedere, ſed ferro, & flamma, & omnis generis acerbitatibus, cauſam iniquiſſimam propugnaſtis. Vos illi eſtis, qui præter ius & æquum, plurimos vita ſpoliaſtis; Vos illi, qui puellas

ellas & matronas complures, viduas feciſtis ante diem, qui pueros infantes orbaſtis, quibus omnino carere nō poterant, parentibus. Vos illi, qui turbam hominū infinitam, in exilium eiectam, è ſedibus paternis expuliſtis. Vos illi, qui frenum inieciſtis hominum ſermonibus, & loquēdi ademiſtis libertatem. Vos illi, qui, quos natura coniunxit, & ſanguinis propinquitas, diremiſtis, & inuicem armaſtis; Vos illi, qui Germaniæ diſſidiis & incendiis, perpetuam ſubieciſtis materiam: qui non ſemel eſtis conati, bellum in ea funeſtum & pluſquam inteſtinum, excitare. Vos illi, qui reges pariter omnes, qui Cæſarem ipſum, variis artibus & Tragicis planè vocibus, ad vim & arma eſtis cohortati. Et nunc ſcilicet, quando mirabili Dei conſilio, modicum in armis præſidium eſſe videtis, quando rationes veſtræ conſumptæ ſunt omnes, quando patefactæ ſunt artes atque technæ, ſingulari quadam vſi benignitate, permittitis, rerum domini, vt ineatur aliqua pacis ratio. Verumtamen, vbi ſunt illa veſtra capita, quorum emendationem ferre poteſtis? Num eadem illa ſunt, quæ nuper in illo veſtro ioculari Vincentino Concilio propoſuiſtis? At qualiacunque ſint illa, nulli tamē, niſi qui voluiſſet peri-

culum adire ſuperioribus aliquot annis, liberum fuiſſet, eorum apud vos meminiſſe. Negari enim non poteſt, multa vos feciſſe crudeliter, ne quid omninò veſtri ſplendoris, luxus & ocii periret. Si nunc illa cupitis emendare, ſaltem fateri vos oportebit, iniuſtiſſima nece complures à vobis antea fuiſſe trucidatos. Verum, hæc ipſa capita, quę & tunc in medium attuliſtis, quaſi corrigenda, & nunc, vt eſt credibile, rurſum adferetis, leuiuſcula ſunt, neque digna ſatis, quæ recitentur. Non in eo vertitur negocium, & ridiculum eſt inſtitutum veſtrum: Sed hic eſt nodus ille, quem vos non attingitis; omnium videlicet calamitatum & perturbationum, quibus hodie concutitur orbis, vos eſſe authores, & adeò conſpurcatam eſſe doctrinam veſtram omnem atque vitam, vt nihil omnino, quod ſalutare ſit atque rectum, ſperari de vobis poſſit. Si vero non ad ludificationem inſtituiſtis illud Vincentinum Concilium, cur non obſeruatis ea, quæ tunc vobis emendanda eſſe videbantur, non reuera quidem, ſed callide & inſidioſe? Num ab eo tempore, lupæ ſunt è veſtris ædibus eiectæ? An impuram illam nundinationem, quam exercetis in bonis Eccleſiarum, ſuſtuliſtis? An vno aliquo contenti eſtis Epiſcopatu? Num vel

doce-

docetis ipſi populum, vel ſaltem prouidetis, vt rectè inſtituatur? an potius regũ eſtis vbique ſectatores? Quid à vobis exſpectandum eſt, qui ſolum ad fraudem & ludibriũ intentos habetis animos? Cum erit ſimilis veſtra conditio, qualis fuit Epiſcoporum eorum, qui ſumptibus Imperii conueniebant ad illud celeberrimũ Nicenum Concilium, cui Cæſar Conſtantinus præerat; tum erit non difficile, nec incommodum, inire vobiſcum pacis & concordiæ rationes. Certum hoc eſt, ipſéque rerum exitus aliquando teſtabitur. Quoniam igitur is rerum ſtatus eſt, Carole Cæſar, quia teterrimam iſti ſtabilierunt idololatriam; quia ſub hoc ipſum efferatiſſimæ licentiæ tempus, iniuriam vltus eſt Deus; quia doctrinam hanc, Romanæ tyrannidis debellatricem, omnes hominum ordines, infeliciter hactenus oppugnarunt: quoniam eius doctrinæ aduerſarii, non ſemel hortatores tibi fuerunt, vt bellum ſuſciperes funeſtum & ciuile, quia rebellionum & diſſidiorum, ipſi per Germaniam ſunt authores; quia deſerto munere ſuo, prophanis & alienis immiſcuerunt ſe negociis; quia magiſtratum à Deo conſtitutum, variis adfecerunt contumeliis; quia ſacræ ſcripturæ vim fecerunt, eamque deprauarunt ad defen-

ſionem ſuæ tyrannidis, libidinum & auaritiæ; quia regũ alunt diſſidia, & ſimultatibus perpetuam ſubiiciunt materiam; quia ſummam vitæ licentiam & mores corruptiſſimos, Eccleſiæ titulo circumueſtiunt; quia ſic pergunt obſtinati, nullam vt ſpem emẽdationis præbeant; quia cauſæ cognitionem legitimam defugiunt, & ſimulata Concilii mentione, controuerſiam omnem eô reiiciunt, vt ſpem & exſpectationem hominum eludant; quia demum triſtes vbique motus & turbas excitant, vt potentiam illam ſuam, nefariè acquiſitam, retineant: Hæ profectò cauſæ mouere te, Cæſar, debent, vt ipſorum nullâ ratione habitâ, negocium hoc religionis magno ſtudio complectaris. Nam exiſtunt certa ſcripturæ teſtimonia, & ſigna minimè obſcura, quæ nobis denunciant, iram Dei vehementer in illos inflammatam, & ſimilem futurum eſſe ipſorum exitum, qui fuit eorũ, quos propter impietatem & blaſphemias, horribiliter ſingulis temporibus Deus adflixit. Deſerenda ſunt igitur illorum caſtra, ne cum ipſis deprehenſi, pœnam luamus. Contulit tibi Deus innumera beneficia, & ea, quam videmus, rerum immutatio, videtur fato quodam in te, tu-

amque domum incidiſſe: Quæ licèt inter cæteras Germaniæ principum familias, illuſtris admodum & potens, & ampla & copioſa, & honorata ſemper extiterit; valde tamen aucta fuit & illuſtrata, magnamque nominis gloriam eſt conſecuta; Primum, quando Cæſareus honos in ipſam illatus eſt, quem ſic geſſit & adminiſtrauit, vt ab eo tempore, quo ius Imperii in noſtram nationem tranſiit, in nulla principum tribu, tam multi fuerint Cæſares, quàm in hac veſtra. Sic enim hæret, atque continuo progreditur, à multis nunc annis, in ea, ſplendor iſte, quem diximus, & honos, vt quamquam hæreditaria ſucceſſione tranſmitti non poteſt, longo tamen ordine videatur nunc illi factus eſſe peculiaris, ac propè gentilitius. Creuit deinde matrimoniis, quando tuus, Cæſar, auus Maximilianus, Caroli Burgundionum ducis filiam vnicam, plurimarum ditionum & florentiſſimarum hæredem, vxorem duxit, inuitis & reſiſtentibus aliquot, ſummâ potentiâ præditis aduerſariis: Qui quidem, ſi per affinitatem & connubium, illas ipſas ditiones, cum ſuis prouinciis coniunxiſſent; quod & minimè difficile futurum erat, & multi ſuadebant, & non ſemel deliberatum fuit, nô te, Cæ-

ſar hodie conſpiceremus ita florentem; nec in iſto dignitatis gradu collocatum. Sed qui rem omnem, vt eſt geſta, propius intueri volet, hauddubiè comperiet, in fatis ita fuiſſe, vt veſtra domus in immenſum creſceret. Nam etſi præclara ſit acceſſio illa, quãdo per eas nuptias, Auſtria fuit cõiuncta Burgũdiæ, & nõ exiguæ parti Galliæ Belgicæ: multò maior tamen ea fuit, cùm idem Maximilianus, è coniuge Burgundica natum ſibi filiũ, Philippum, parentem tuum, Cęſar, matrimonio iunxit Ferdinandi Hiſpaniarum regis, potentiſſimi principis, filię heredi. Quâ quidem ratione factum eſt, vt quidquid Carolus proauus, & quidquid Ferdinandus auus tuus maternus, vnquam poſſederunt, id totum in te vnum, cumulatè peruenerit; ita quidem, vt qui multitudine prouinciarum, & amplitudine ditionum, & latiſſimis regnorum finibus, in hac noſtra Europa conferri tecum poſſit, nullus exiſtat princeps. Atque te talem, tamque latè regnantem, & his rationibus auctum, Cæſarem eſſe voluit Deus: Et ſicut familiam tuam, continuis honorum gradibus, & incrementis opum, ſingulari quodam conſilio amplificauit; ita quoque ſub imperii tui primordium, exoriri voluit hanc præſentem conuerſionem, quâ piis mentibus

tibus

tibus nihil aut iucundius, aut optabilius poteſt euenire. Paucos & illuſtres quoſdam, ſingulis temporibus, heroas excitare ſolet Deus, quum inſignis aliqua rerum impendet commutatio. Cyrum ad hoc inſtituit & delegit, vt ab ipſo reſtitutus libertati populus Iſraeliticus, & è captiuitate ſolutus, inque patriam remiſſus, templum illud, toto terrarum orbe celeberrimum, ab Aſſyriis & Babyloniis dirutum, reædificarent. Hunc ipſum voluit eſſe potentiſſimũ, Medorum & Perſarum regem, & hanc eius tantam benignitatem in Iſraelitas, aliquot ſæculis ante prædixit, quàm natus eſſet. Eum plurimis deinde interiectis annis ſecutus eſt Alexander, ob imperii rerumque geſtarum amplitudinem, *Magnus* appellatus, cuius victoriæ omnes erant fatales, minimè obſcuris verborum tegumentis, à Daniele prænunciatæ. Aliquot pòſt temporibus exuſcitatus eſt Iulius Cęſar, qui multis rebus fortiter & præclare geſtis, author fuit, vt qui erat antea popularis Reipublicæ Romanæ ſtatus, commutaretur in Regium propè dominatum. Neque multò poſt hanc imperii mutationem, exortus eſt ille iuſtitiæ Sol, redemptor & ſeruator noſter. Ille verò dominatus, vt populi Romani libertatem adflixit, ita quoque

doctrinam & religionem à liberatore noſtro conſtitutam & relictam, acerrimè perſecutus eſt, ad trecentos circiter annos: Quo tempore, Cęſar Rom. Conſtantinus, Euangelii doctrinam complexus fuit, qui & ipſe, propter egregiè fortiterque adminiſtratam Rempubl. *Magni* cognomen adeptus eſt. Longo deinde pòſt interuallo, prodiit Carolus, è Francorum natus familia, ſub quo & diuiſum eſt imperium, & Pontificatus inſigniter auctus fuit atque locupletatus: Quorum vtrunque magni ſanè eſt momenti, & inter humanarum rerum viciſſitudines, minimè poſtremo loco recitari debet. Hic autem Carolus, etſi magnitudine ditionis, cum priſcis aliquot Imperatoribus conferri non poterat; tamen ita rem geſſit feliciter, vt Imperium Roman. iam ante collapſum & deperditum, recuperaſſe quodammodo videretur. Ab huius familia tranſiit ad Saxones Othones Imperii dignitas, & qui fuit poſtremus eius nominis, laudatiſſimus princeps, hoc perfecit, vt penes noſtram gentem & nationem hodie ſit poteſtas, creandi Cæſares. Quod ipſum quoque referri debet inter res maximè memorabiles. Et hæc quidem poteſtas in noſtro populo iã hæſit, ſupra quingentos annos; in hoc vſque tempus, quo tu,

tu, procreatus ex nobiliſſima principum Auſtriacorum domo, breui temporum ſpacio mirabilem in modum amplificata, factus es Cæſar, non ex Imperii quidem, ditionibus, cuius vix vmbram habemus, verum ex tuo ipſius patrimonio, & auitis poſſeſſionibus, longe potentiſſimus. Quo in tuo magiſtratu conſiderandum eſt inprimis, vt non ſemel antea diximus, quòd hęc tam illuſtris, quam coràm videmus, rerũ conuerſio, incidit in regni Imperiiq; tui primordium. Quæ res prudenter examinata, cumq; ſuperiorũ temporũ collata hiſtoriis, fidem hauddubiè faciet, inſtituiſſe Deum, te Cæſare, magnũ quiddam & conſpicuum, in quod tota reſpiciat poſteritas. Quod quum ita ſit, reliquum eſt, vt cogites, te datum eſſe ab illo, ad ſalutem eorum populorum, quibus te præeſſe voluit. Optamus certè omnes, ac precamur Deum, vt quemadmodum Cyri animum olim emolliit, & ad ſui populi liberationem accommodauit, ita quoque te his noſtris, nimium adflictis, & ferè deploratis temporibus, ſalutarem eſſe velit principẽ. Et hoc eò vehemẽtius optamus, quò maior in te prudẽtia, manſuetudo, & humanitas animaduertitur. Nã etſi nemo dubitauit, hactenus, quin aduerſarii Pontificii, omni genere machinarum cona-

rentur te perpetuo ad bellum incitare: nunc tamen ita ſunt patefacta ipſorum conſilia, vt certò ſtatuendum ſit, eſſe Deum, qui mentem hanc tibi dedit, vt, cum à multis nunc annis, tam variè, tamque multipliciter ſis ad arma ſollicitatus; nihil tamen hactenus inſtitueris, ab æquitate aut ratione diſſentaneum. Et ſicut ad ſolam mentionem earũ coniurationum, quas tacitè nonnulli & occultè ſuſceperant, omnes concordiæ cupidi, exhorreſcunt; ita quoque te, Cæſar, admirantur, & magnis laudibus extollunt, qui tui muneris & dignitatis memor, omnibus mõdis laboraſti, vt quod excitare illi in patria cupiebant incẽdium, opprimeretur. Maximam igitur immortali Deo gratiam habemus; primum, quòd actiones conſiliaque tua ſic hactenus gubernauit, vt nullum impotentis animi veſtigium in eis deprehendatur; deinde, quòd in hunc vſque diem, vitæ tuæ curſum deduxit, quo videre potes atque iudicare, non eſſe nihil, quòd illi, à quibus antehac alienior fuiſti, non tam tuâ quadam ſponte, quà n impulſus ab aliis, cauſam iſtam, à multis nunc annis, non habita vllâ ratione periculorum, adeo conſtanter & maſculè tuentur. Primus felicitatis gradus eſt, intelligere, & ſequi vocem inuitantis ad ſe

Dei,

Dei, proximus, nō obſurdeſcere, nec obſtinate repugnare. Talibus enim ingeniis ignoſcit Deus, & precibus interpellatus, doctorem illum Spiritum tandem largitur, quàmdiu non malitiâ, ſed ignoratione & ſimplicitate peccatur; ad eamque rem tempus & ocium ſæpe concedit, quod tibi, Cęſar, contigiſſe lætamur; Qui poſt multam huius cauſæ, quæ controuertitur, tractationem, ſtatuere nunc demum aliquid potes, quādo multipliciter illuſtrata veritas, & eorum, qui accuſantur, nequitia, ſic eſt patefacta, vt iudicatio litis, nullam in ſe magnam habeat difficultatem. Et quanquam immanes illæ & atroces, quibus diuinam maieſtatem affecerunt iſti, contumeliæ, vehementer & in primis te commouere debent; tamen non eſt diſſimulanda etiam, vel obliuione prætereunda, iniuriarum magnitudo, quas intulerunt, ſingulis temporibus, & Imperio, & eius præfectis, tibi, tuiſque, Cæſar, maioribus. Illam orbis terrarum debellatricem, vrbem Romam, in qua tot fulſerunt lumina, tam inſignes & præclari viri; quam ſummâ prudentiâ vitæque temperantiâ rexerunt aliquando Bruti, Camilli, Cincinnati, Fabii, Scipiones, Catones; illud priſcæ virtutis domicilium, & Cæſarum deinde ſedem, nefa-

riis artibus tenet & occupat hodie, Cæſarum perpetuus hoſtis, mollis, & ſemiuir, & effœminatus negociator. Nec ſolũ occupat, ſed ius etiam hæreditarium in illam ſibi vendicat, & legitimum dominum adeo non admittit, vt eius dignitatem omnem à ſua pendere dicat authoritate. Ille, quondam toto orbe celeberrimus Senatus, quem conſpicatus quidam Pyrrhi Epirotæ legatus, dicebat habere totidem Reges, quot eſſent in eo patricii; Deum immortalem, quantum eſt hoc tempore immutatus? Sedent in eo, homines noui, quorum hæc eſt præcipua ferè & ſola cura, *vt res alieno labore partas, in ſummo luxu & ocio, vitæque mollicie & turpitudine conſumant; vt orbis Chriſtiani prouincias expilent, vt ſub Eccleſiæ titulo quiduis audeant.* Hi ſunt noui illius dictatoris conſiliarii, & Senatus præſides, qui propter Eccleſiarum adminiſtrationem, vt præ ſe ferunt & ſimulant, in eum ordinem aſciri, faciunt, quod olim Romani Senatores fecerunt; Adminiſtrant prouincias, & amandantur huc illuc, tanquã proconſules, & legati, & tribuni. Cumq; ipſorum functio ſit plane ciuilis, & pluſquam prophana; ſuas tamen interea nobis obtrudunt ſanctitates, eoque nomine patiuntur ſe tantum non adorari. Et faciunt

ciunt hoc in tuo, Cæſar, conſpectu; nec id modo, verumetiam ſuas fœditates dextrâ tuâ defendi volunt. Quouſq; tandem iſta perferentur? An hanc tantam audaciam nemo vnquam cohercebit? Deus pater, vt iræ ſuæ vim atque magnitudinem nobis oſtenderet, licentiam hanc, & ſummam improbitatem in nos graſſari permiſit, & ita paſſus eſt, ingenii noſtri aciem omnem circumfundi tenebris, vt etiam mutata rerum natura, & conditione, quod vitioſum erat & nefandum, & impium, nobis videretur eſſe pium, honeſtum, & ſacroſanctum. Nunc verò, poſtquam pro immenſa bonitate ſua nos iterum reſpexit, & eripuit ex illa denſiſſima rerum ignoratione, clarâ voce inuitat, vt hoc tantū eius beneficium agnoſcamus, ne conduplicata noſtra delicta, cogant ipſum ad ſeueriorem pœnam, & medicinæ ſpem omnem auferant. Quæ ſit ipſius voluntas, & quid à nobis requirat, conſignatū reliquit in ſuis monumentis, quæ miniſterio ſpiritus ad omnē poſteritatem transmiſit, vt extarent ſempiterna de ipſo documenta & teſtimonia. Futuram etiam veræ doctrinæ miſerabilem & horrendam vaſtationem, & exorituram in Eccleſia tyrannidem quandam, omnium maximè inſignem, in poſtremis tempo-

ribus, diſertè prænunciauit; Et ea ipſa loca, quibus hæc vaticinia continentur, obſcura prius, in magnis illis doctrinæ tenebris, nunc etiam inter alia ſic patefecit & illuſtrauit, vt nihil amplius dubitari poſſit, quam rem atque perſonam deſignent. Sed & vim illam & iniurias & contumelias, quibus Imperium Romanum, & magiſtratum à Deo conſtitutum, à ſæculis iam aliquot, Romani Pontifices affecerunt, eadem vaticinia comprehendunt. Et vt nullum extaret ſcripturæ teſtimonium ea de re, tamen, ſi doctrinam ipſorum, & conſtitutiones, & diſciplinam, & vitæ licentiam quis intueatur, fieri non poteſt, quin totus horreſcat. Niſi enim eſſent à Deo planè reiecti & deſtituti; non laberentur omnes in eam mentis veſaniam, & hæc tanta, tamque manifeſta flagitia. Sic enim ſe cōparant totâ vitâ, quaſi, qui locū illum & honoris gradum tenet, hunc oporteat, in omni genere nequitiæ ſingularem & excellentem eſſe. Reſpice, quæſo, Cæſar, in actiones illorum, qui ſunt, quiq; fuerunt hac tuâ ætate. Num aliquod ſolidæ virtutis, aut ſanctimoniæ ſpecimen in eis vnquam deprehendiſti? an non potius meram hypocriſin, ficta & ſimulata, & ad fraudem omnia compoſita? Si diſſiparunt Imperii robur, ſi ſemper

eò

eò ſpectarunt, vt Regũ vires infirmarent; ſi turpibus & illaudatis rationibus has tantas opes conſecuti ſint; ſi non ſolũ tuos maiores omnes, verum te quoque, Cęſar, ipſum indigne tractarunt, ita quidem, vt criminationibus illorũ in te confictis, edito ſcripto ſis coactus reſpondere; quid conctaris, aut in quam meliorem ſpem venire potes? Fruſtra ſumitur omnis labor. Nam eum vitæ curſum tenent, quem ſcriptura prædixit. Armis quidẽ & vi non opprimentur, ſed Euangelii prædicatione ſic patefient & agnoſcentur indies magis atq; magis, vt nullus vnquam in orbe terrarum extiterit tyrannus, qui tam illuſtre, tamq; pudendum ſui ſpectaculũ prębuerit, quam iſti. Porrò, ſicut iræ diuinæ ſignum fuit, quam diu verſabamur in illa craſſiſſima caligine, ita quoq; benignitatis & clemẽtiæ paternæ indubitatũ eſt argumentũ, quãdo depulſis hodie tenebris, iucundiſſimo ſolis aſpectu fruimur. Pro quo tanto munere, nihil aliud à nobis repoſcit Deus, quàm vt agnoſcamus illud, & reuerenter complectamur. Quod vt facias, vehementer optant omnes piæ mentes; eoque magis, quo manifeſtè veritati furioſius repugnare vident aduerſarios: Qui nulla poſſunt expleri crudelitate, ſed delectantur cædibus & flammis; auellunt

matres à filiarum amplexibus; filios tantum non in conſpectu matrum excarnificant, maritos ab vxoribus & liberis auulſos, in teterrimos carceres abiiciunt, & quaſi omnem humanæ conditionis ſenſum depoſuiſſent, ita ſæuiunt: Dominantur animis hominum, & loquendi facultate priuant eos; Affirmant, non licere cuiquam his de rebus extra Concilium agere, & tamen ita ſe gerunt, vt Concilii ſpem omnẽ præcidant, & auferant. Has miſerias orbis Chriſtiani reſpice tandem, potentiſſime Cæſar; Neque te moueat iſta prophana & Epicurea ocioſiſſimorum hominum turba, qui nulla officii charitate tibi ſunt commendati: ſed in patriam & in Imperium totus intuere, cui datus es à Deo gubernator, cuius incolumitas atque ſalus, tacito quodam, ſed vehementi tamen & acri naturæ impulſu, tibi eſſe debet longè chariſſima. Quia late admodum dominaris, nec vni ſolũ populo preęes; impeditæ ſunt rationes tuæ, non dubium eſt: Aliud enim Hiſpania requirit, aliud Germania petit, aliud Romanus ille negociator poſtulat. Vt his omnibus humanum ingenium, & prudentia ſatisfaciat, omninò fieri non poteſt. Vnica ſolum eſt via, nec alia pręter hanc inueniri poteſt, vt ſcilicet, nullius externæ rei, quan-
tacun-

tacunq; ſit, habitâ ratione, Dei duntaxat veram gloriã quæras, eique cętera committas omnia. Maximum in ea re ſubſidiũ &adiumentum tibi præbebunt plerique omnes Imperii principes ac ciuitates; Viam patefacient, & iter explicabunt, qui per Germaniam ſunt magno numero, viri docti & pii: Quorum omnium illud eſt commune votum, vt quam Deus per ipſos mirabiliter propagauit doctrinam, eam tuo patrocinio conſerues, ac multis nominibus adflictæ patriæ ſuccurras. Qua in re tantò maior cura tibi ſuſcipienda eſt, quo ſæpius & grauius hæc imperii portio, quam ſeruamus adhuc reliquam, oppugnatur ab externis, iiſq; firmiſſimis hoſtibus; Quorum armis ita ſe labefactari poſſe videt, vt tã potenti Cæſare, quàm tu es, vehementer ſibi opus eſſe ſentiat, eoque ſuam ſalutem lachrymans & ingemiſcens tibi commendat, quaſi futurum ſit, vt aut tuis, ampliſſime Cęſar, auſpiciis, hoſtilem imperum à ſe depellat, aut planè corruat, & plagam accipiat non ſanabilem; præſertim, cum nullis vnquam temporibus, tam varia, tamq; magna extiterint indicia futuræ mutationis, & inſignis in ipſa conuerſionis, quàm hodierno die. Pace quidem nihil melius, nihil eſt optabilius. Ea verò Pontificis interceſſione

conſtitutâ, num firmas & veras habitura ſit radices, omnino dubitari poteſt. Nam aut bellis perpetuam illi materiam ſuppeditant, vt nimis notum eſt, aut, cum pacis conſiliarii ſunt, magnum aliquod ſuum ſpectant emolumentum, & id ſolum. Quæ verò priuatim ipſis proſunt, eiuſmodi ſunt, vt ad publicum orbis Chriſtiani, & omnium aliorum ordinum dedecus & detrimentum pertineant. Deum precor, conſilia tua ſic gubernet, vt emẽdatis vitiis, & ſublatis cauſis, propter quas & bella nobis, & alias immittit calamitates, ocium Europæ & tranquillitatem recuperes, quæ nunc miſerabiliter vexata, ſuſtinere diutius has tantas ærumnas non poterit. Quod ſupereſt, vt ſententiam meam, hoc ſcripto comprehenſam, in optimam partem, Cæſar, & clementer accipias, etiam atque etiam obteſtor.

FINIS.

INDEX

INDEX
IN SLEIDANI LIBROS DE Quatuor ſummis Imperiis.

A.

ABraham 4
Aburnius Valens Tuſcianus I.C. 70
Accii ætas 45
Achæi à Rom. debellati 45
Achas rex Iuda 7
Adalgiſius 122
Adelbertus archiepiſcopus Bremenſis 150
Adolphus Gothorum rex. 95
Adolphus Imp. 178
Adramelech filius Sēnacherib 8
Adrianus Imp. 69
Adrianus Papa 122
Adrianus II. Papa 137
Adrianus IV. Pap. 164
Ægypti feracitas 62
Æmilianus Imperat. 74,76
Æneas 25
Æſchines Orator 29
Æthiopia deuicta à Semirami 5
Aëtius Atilā fundit 98
Ætoli debellati à Roman. 38
Africanus I.C. 71
Afranii ætas 45
Agapetus Papa 109
Aiſtulphus Longobardorum rex 121
Alaricus Gothorum rex 95
Alaricus Theodorici fil. rex Italiæ 105
Albertus Imp. 178,179
Albertus II. imp. 191
Albinus, præceptor Caroli M. 134
Alcibiades dux Athenien. 19
Alexander M. 20. tertiæ Monarchiæ auctor 21,28. eius interitus ib. eius mores, ingenium & dicta quædam 22,23
Alexander Seuerus Imp. 72
Alexander Papa, & eius decretum minimè apoſtolicum 83
Alexander II. Papa 150
Alexand. III. Papa 166

Alleluia cātari vetatum per tēpus quadrageſimæ 113
Alphonſus 1
Altadas rex Babyl. 5
Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis 92
Amurathes II. 192
Anacletus Pontifex, & eius decretum minime Apoſtolicūm 83
Anaclētus Papa 163
Anaſtaſius imp. 103, 104, 105
Anaſtaſius II. imper. 117
Angli occupant Britanniam 97
Annibal dux Carthaginenſis ſecundo bello Punico 33, eius geſta. ib. 35, 36, mors 39
annorum ſupputatio variè traditur ab ſcriptorib. magno diſſenſu 1
Anthemius imp. 101
Anthemius Patriarcha Conſtantinop. 109
Anthius I.C. 17
Antigonus Aſiæ rex 24
Antiochus rex à Rō. deuictus 37, 38
Antiochus Epiphanēs 39
Antiſthenis ætas 29
Antiſtius Labeo 49
Antoninus Baſſianus Caracalla imp. 71
Antoninus Pius imp. 70
Apocalypſis Ioannis 113
Appius Claudius cæcus cos. 30
Appius Claudius decēmuir 27
Aralius rex Babyl 5
Aratus Sicyonius 19
Arbaces Medus à Sardanapalo deficit 6, rex Perſarum fit 7
Arbogaſtus 91
Arcadius imp. 92, 95
Arcadius I.C. 71
Archelaus 65
Archidāmus rex Lacedæm. 17
Archimedis mathematici cædes 33, 34. eius ſepulcrum 34
Ariſtides 19, 31
Ariſtippi ætas 20
Ariſtonicus à Rom. debellatus 44
Ariſtoteles præceptor Alexandri Magni 22. eius libri de animalium naturis, ib.
Ariſtotelis ætas 29
Ariſtomenes Meſſenius 19
Arius rex Babyl. 5 eius geſta ib.

Arma-

Armatrites rex Babyl. 5
Arminius Cheruſcorum dux 64
Armoricæ ciuitates 130
Arnolphus Malus 141
Arnulphus imper. 139
Arrii dogma damnatum 84
Arrianus *I.C.* 70
Arrabaſtus 119
Artaxerxes Longimanus 18
Artaxerxes Mnemõ 20
Aſdrubal à Rom. cæſus 35,65
Aſcatades rex Babyl. 6
Aſſaradon rex Aſſyr. 8,9
Aſſuerus Danieli, qui aliis Aſtyages 13
Aſſur 3. condit Niniuen 3
Aſſur rex Babylon. 12
Aſſyrii regni origo 3
Aſtyages, Danieli *Aſſuerus* 13
Athenæ 26
Athenienſes Perſas vincunt ad Marathonẽ 15, & Salaminem 16
Athenienſes claſſẽ mittunt in Siciliam 18, denuò 19, cæſi ab hoſte, 9
Atila rex Hunorum 97, eiuſque geſta 98, 99
Attilius Calatinus 32
Auenio 190
Aufidii duo 49
Auguſtinus 93, 94
Auguſtulus imp. 101, 102
Auitus imp. 101
A. Gabinius coſ. 53, 54
A. Manlius coſ. 32
A. Offilius 49
A. Vitellius 68
Aurelius Epiſcopus Carthagin. 108
Aurelianus imp. 77
Aurelianenſis academiæ orig. 181
Auſonius Poeta 91
Azo *I.C.* 174

B.

Babel ædificata 3
Babylon capta à Dario 15
Babylonis incrementũ 5 Babylonici regni initium 3. Babylonici imperii interitus 13. Babylonica captiuitas 9, 12
Bactriani 5
Balbinus imp. 73
Baleus rex Babyl. 5 *Xerxes* cognominatus à victoriis crebris ib.
Baleus alter, rex Babyl. 5, eius laus ib.

Qq 2

Balthaſar rex Babylon. 12,13
Beliſarius dux 106, 107, 109
Belochus rex Babyl. 5
Belochus à Sardanapalo deficit 6. rex Bab. 7.
Benedictus VII. Papa 146
Benedictus IX. Papa 148
Benedictus X. Papa 149
Benedictus XII. Papa 183
Benedictus XIII. Papa 189
Beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitas 100
Benmerodach rex Babylon. 9
Berengarius 140
Beroſus, qui extat, adulterinus putatur 6
Bibuli poetæ 66
Boleslaus ex duce rex Poloniæ 146
Bonifacius I. Papa 94
Bonifacius II. Papa 108
Bonifacius III. Papa 111
Bonifacius VIII. Papa 179, 189
Bullæ aureæ origo 185

C.

Caius 49
C. Antonius coſ. 52
C. Aquilius Gallus I.C. 49
C. Atteius Pacuui⁹ 49
C. Claudius Nero coſ. 35. 65
C. Diuillius coſ. 32
C. Fabricius Luſcinus 31, 32
C. Fuluius coſ. 44
C. Grachi interitus 45
C. Iulius orator 49
C. Iul. Cæſar Galliã ſubigit 55
C. Iuuentius I.C. 49
C. Lælius 45
C. Marcius Rutilius 28
C. Marius coſ. 46 ib. 49
C. Marii & L. Syllæ factiones 47, 48
C. Octauii natiuitas 53
C. Octauius triũuiratũ inſtituit 61. tandẽ ſolus obtinet Imperiũ 62, 63. geſta eius 64, & 65, 66
C. Popilius Lænas 39
C. Seruilius Hala 27
C. Trebatius 49
Cæcilii ætas 45
Cæſar dictator 58. eius cædes 58, 59
Cæſaris & Pompeii bellum

bellum 55
Cæſaris geſta in Ægypto, & alia eius bella 56,57,58. contra Germanos bella 63, 64. ingenium, clementia, &c. 59
Calanus Indus 21
Caligula Imp. 67
Calliſthenes hiſtoricus 29
Calliſtratus I.C. 71
Calixtus II. Papa 162
Cambyſes rex Perſarum eiusq; geſta 14,15
Campania 98
Cannæ 33
Canones Apoſtolorum 115,116. incerti ib.
Capua 35
Caracalla Imp. 71
Carinus Cari Imp. filius 79
Carol. Calu⁹ imp. 139
Carolus Craſſus 140
Carolus IV. Imp. 183, 184
Carolus V. Imp. 192
Carolus VI. rex Galliæ 186
Carolus Magnus 122, 123,130,131. fit Imperator 132. eius virtutes 134
Carolus Martellus 129
Carolus Pulcher, rex Galliæ 182
Carus Imp. 79
Carthago Româ vetuſtior 31,42
Carthaginis interitus 42
Carthaginenſis belli initium 31, &c.
Caſpii 5
Caſſander Macedonum Græciæq; rex 24
Caſſius Longinus I.C 67
Catilina, & cum eo bellum 52
Cato ſeipſum interficit 57,58
Celeſtinus Papa 94
Celeſtinus V. Papa 179
Celſus I.C. 71
Chaldæi regni initium 3
Chriſti natiuitas 63. crucifixio 67
Chriſtianorum variæ & immanes perſecutiones 82
Chronologicæ hiſtoricorum diſſenſiones 1
Ciceronis natiuitas 46. quando primum in forum prodiit 49. coſ. 52, 53. Cicero exſul 53. reuocatus ib. Ciceronis in bello ciuili inconſtantia 59,60,61. Ciceronis cædes 61
Cimbri à Mario cæſi 46
Cimon 19

Cinna 49
Circumciſio inſtituta 4
Claremontium 160
Claudius imp. 67,77
Clemens II. Papa 148
Clemens V. papa 180, 189
Clemens VI. papa 183,190
Clementinæ 181
Cleopatra 57. eius mors 62,63
Clodii cædes 54
Clodouęus regũ Frãcorum I. Chriſtianus 104
Cn. & P. Scipiones 32
Cn. Papirius Carbo 48
codex Iuſtinianeus 107
Codrus 19
Cõmodus imp. 70
Concil. Nicænũ 84
Conon 19
Conradus imp. 141
Cõradus II. imp. 147
Conrad. III. imp. 163
Conſtans imp. 85,86
Conſtans, Heraclii ſucceſſor, imp. 114
Conſtantinopolis à quo dicta 85. capta à Turcis 124,192
Conſtantinus Conſtantii filius imp. 81. Chriſtianorũ fautor 82
Cõſtantini falſa donatio 83,84. Conſtantini Magni geſta & mors 85
Conſtantinus Chlorus imp. 80,81
Conſtantinus, Conſtantini fil. imp. 85,86
Conſtantius, Conſtantini fil. imp. 85,86, 87
Conſtantinus cũ Honorio imp. 95
Conſtant. IV. Barbatus imp. 114
Conſtantinus V. Copronymus, imp. 119
Cõſtantinus VI. imp. 121
Conſtantinus Monomachus 124
Cõſtantinus Palæologus 124
Conſtant. papa 117
conſulęs Romæ creati, eiectis regibus 26
Corinthi euerſio 43
Coriolanus Roman. exul 16
Cyaxares, qui & Darius Medus 13
Cyprianus epiſcopus Carthaginenſis 75
Cyrillus epiſcopus Alexandrinus 94
Cyrus Perſarum rex 13. auctor ſecũdæ monarchiæ

archi,e14.eius geſta,&c. 14
Cyrus à Platone reprehenſus 15
Cyrus minor 20

D

DAlmatia à Rom. ſubacta 41
Damaſus papa 92
Damaſus II.papa 148
Damocles paraſitus 30
Daniel propheta 13
exponit ſomnium Nabuchodonoſor 10
Danielis vaticinium de quatuor imperiis expoſitum 195,196,&c.
Darius Medus, eiusque geſta 13
Darius, fil.Hyſtaſpis rex Perſ. eiusque geſta 15
Darius Nothus 18, 19
Darius poſtremus rex Perſarum 20,21.eius luxus 23
Dauid rex 5
Decemuiri Romæ conſtituti 27
Decius Iunius Brutus coſ. 43
Decius imp. 73
Decretalium conſarcinatio 170
Decretorum falſitas & confuſio 136,138
Decreti Gratiani loca quædam notata 171, 172
Decreta Pontificum qualia 82,83
Demetrius Phalereus orator 29
Demochares orator 29
Demoſth.orator 29
Deſiderius rex Longobardorum 122
Dicæarchi ętas 29
Diocletian. imp. 80
Dionyſ. tyrānus 30
Dionyſiopolis 192
Diluuii tempus 2
Domitianus imp. 69
Druſus eiusq; filii 64

E

EDuardus III.rex Angliæ 184
Eginardus 133
Electores inſtituti 146
elephanti primi à Pyrrho adducti in Lucaniam 31
EnnInatiuitas32.Ennius poeta39.eius mors 41
Epaminondas 19
Epiſcopatus vni duos hodie tribuit papa 100
Eſaias Propheta 7
Eugen IV.pap.191,192
Euilmerod.rexBab.12
Eumenes 23
Euſebius 1

Euſtathii cuiusdam prauæ opiniones 84. ſynodo Gangrenſi damnatæ 85
Eutychis dogma damnatum 100
Exarchi inſtituti per Italiam 110
Exarchatus vrbes 121
Ezechias rex ab Aſſyriis obſeſſus 8

F.

Fabii trecenti interfecti 26
Fabius Maximus 32
Fabius Maximus cos. 45
Ferdinandus rex Hiſpaniæ 192
Fl. Priſcus 49
Florentinus *I.C.* 71
Formoſus Papa 139
Francia 128
Francones Germani 128
Fridericus Aënobarbus imp. 164
Fridericus II. imp. 166,167,168
Fridericus III. imp. 191
Furcæ Caudinæ 29
Furnius Poeta 66
Fuſcus Poeta 66

G.

Galerius imp. 80 81
Gallienus imp. 76
Gallus imp. 74
Gallus, Conſtantii patruelis. 87
Gallorum clades aduerſus Anglos 185
Gallorum laniena in Sicilia 178
Gangræ oppid. 85
Gelaſius Papa 103
Gelaſius II. Papa 162
Genſericus rex Gothorum 95
Genſericus Wandalorum rex 96,97,99
Gergouia oppidũ 160
Germaniæ quando primum bellum illatũ à Romanis 63,64
Germanorum prima bella, & excurſiones & incrementa 127,128
Germanicus 64,67
Gibellinor. factio 180
Gloſſatorum in iure turba 174,175
Godefridus Bulionius 161
Gordianus imp. 72
Gordianus, Iunior imp. 73
Gorgias orator 29
Gothorum in Italiã irruptio 95,96
Gratianus imp. 91
Græcia variis bellis vexata 17
Gregorius I. Papa 111
Gregorius II. Papa 118

Gre-

Gregorius III. Papa 119
Gregorius V. Papa 145
Gregorius VI. Papa 148
Gregorius VII. Papa 151
Gregorius IX. Papa 169
Gregorius XI. Papa 189
Gregorius XII. Papa 189
Guelphorum factio 180
Guilielmus epiſcopus Pariſinus 174

H.

HEbræorum rationes de annorum ſupputatione receptiſſ. 2,3
Heliogabalus Imp. 71,72
Heluetii à Rom. deuicti 53
Henric. Auceps Imp. 141
Henricus II imp. 146
Henricus III. imp. 147
Henricus IV. Imper. 149
Henric. V. imp. 161
Henric. VI. imp. 166
Henricus VII. imp. 179
Henricus I. rex Galliæ 149
Henricus Superbus 163
Heraclius imp. 111, 112
Heraclidis ætas 29
Hermogenianus I. C. 71
Herodes Agrippa 67
Herodes Antipa 67
Herodes Magnus 63, 65
Herodotus pater hiſtoriæ 16,17
Hieremias Propheta 9
Hieronymus & eius memorabile dictum 92
Hieronymus Pragẽſis exuſtus 190
Hieroſolyma à Nabuchodonoſor euerſa 9
Hildebrandus Gothorum rex 106
Hippias orator 29
Homeri ætas & patria incerta 25. Homeri poëma Alexandro M. charum 22. eo nihil vetuſtius 25
Honorius Imp. 92, 93
Honorius III. Papa 168
Horatius 66. Horatii carmen, quo Druſi laudes celebrat, commendatum 37,64

Hoſeas rex ab Aſſyriis abductus 7
Hyperides orator 29

I.

IAcob 4
Iacobi Apoſtoli mors 67
Iagello dux Lituaniæ 186
Iechonias Babylonem abductus 9
Imperiorum quatuor ordo a Daniele prædictus 10,11
India 5
Innocentius I. papa 93
Innocentius II. papa 163
Innocẽtius III. papa 167,168
Innocentius IV. papa 174
Innocẽtius VI. papa 184
Ioachim rex Iuda 9
Ioannis Baptiſtæ mors 67
Ioannes Chryſoſtomus 93
Ioannes patriarcha Conſtantinop. 111
Ioannes Huſſus exuſtus 190
Ioannes rex Bohemiæ 179
Ioannes rex Galliæ captus 185
Ioannes Philippi Audacis filius; quomodo captiuitatem Turcicã euaſerit 186
Ioannes I. papa 105
Ioannes XII. papa 143
Ioannes XVII. papa 145,146.
Ioannes XXII. papa 181,189
Ioannes XXIII. papa 147,189
Iouinianus imp. 88, 89,90
Irene imperatrix 122
Iſaac 4
Iſocrates orator 29
Iſraelitarum ſeruitus in Ægypto 4. emigratio inde ib.
Iudæi captiui abducti in Aſſyrios 7
Iudæi domum remiſſi à Cyro benignè 14
Iudices Iſraelitici 4
Iugurtha, & cum eo bellum Rom. 46
Iulianus imp. 87
Iulius Vindex 68
Iulius papa, eiuſque faſtuoſæ epiſtolæ ad Epiſcopos orientales 88
Iulius II. papa 157
Iupiter Belus rex Babyl. 3 eius geſta, ib.
Ius ciuile ſub Lothario

rio tertio in lucem reuocatum 165
Iuris ars corrupta à commentatoribus 175
Iuſtinianus imper. 105,107
Iuſtinianus, Cõſtãtini Barbati fil. imp. 116, eiectus, imperium recuperat 117
Iuſtinus imp. 105
Iuſtinus nepos Iuſtiniani imp. 107,109
Iuſtus I.C. 71
Iuuenalis poeta 69

L

LAbaſardach rex Babylon. 12
Lamech 2
Langobardorum in Italiam irruptio 109,
Langobardia 149
Laomedon 23
Lateranenſe concilium 168
Latina lingua quando declinauit 60
Leges è Græcia Romani petunt 26
Legis definitio 172
Legionum Rom. numerus ſub Auguſto & ſumptus in eas annuus 65
Leo imp. 101
Leo Iconomachus imp. 118,119
Leo IV. imp. 121
Leo I. papa 98,100, eius epiſtolæ 99
Leo II. papa 115
Leo III. papa 123,132
Leo VIII. papa 143
Leo IX. papa 148
Leonatus 23
Leonidas 19
Leontius imp. 116
Leoſthenes 19
Leotychidas 19
Licinii ætas 45
Licinius imp. 81
Linguarũ confuſio 3
Litorii cõtra Gothos clades 96
Lotharius imp. 137
Lotharius III. imp.
Lotharius Galliæ rex 144,145
Lucanus poeta 68
Luctatius Catulus Cercus coſ. 32
Lucilii ætas, 45
L. Lucili⁹ Balb. I.C. 49
L. Æmilius Paulus, Macedonicus dictus 40
L. Aurelius Verus imp. 70
L. Calpurnius Beſtia coſ. 46
L. Corn. Cinna 47, 48,49
L. Corn. Scipio 32
L. Cornelius Scipio *Aſiaticus* dictus 38
Lucius Craſſus orator 49
L. Iunius Brutus, primus conſul Rom. 26

L. Lucullus 50. eius magnificentia 51. eius Bibliotheca ib.
L. Mummius, *Achaicus* dictus 43
L. Papirius Curſor 28 comparatus Alexandro M. 28,29
L. Piſo cos. 53,54
L. Quintius Cincinnatus 27
L. Syllæ & Marii factiones 47,48
L. Syllæ crudele imperium 48,49
L. Volumnius 28
L. Voluſius Metianus *I.C.* 70
Ludouicus, Caroli M. filius, imp. 132,135
Ludouicus II. imper. 137
Ludouicus III. imp. 140
Ludouicus Bauarus imp. 182
Ludouicus IX Galliæ rex 173
Ludouicus XII, rex Galliæ 137
Ludouicus, Aurelianus dux 187
Luitholdus 143
Luſitania à Romanis perdomita 43
Lutetia 128
Lyſimachus leonem interficit 24
Lyſias orator 29,41

M

MAcedonia à Rom. in Prouinciã redigitur 40
Macedonii dogma damnatum 92
Macer I.C. 71
Macrinus imp. 71
Magogus 3
Magogi regni origo 3
Magnentius imp. 86
Mahometi origo 111. 112, eius doctrina 112
Mahometus II. 124 192
Maior domus 129
Maiorianus imp. 101
Mamitus rex Babyl. 6
Mamelus rex Bab. 6
Manahes rex Iſraelis 7
Mãcaleus rex Bab. 6
Mancinus cos. 43
Manius Curius Dentatus 31,32
Manius Glabrio 37
Marcellus 32
Marcellus Epiſcopus Rom. & decretum quod ei non vere tribuere videntur 81
M. Antonius orator 49. interfectus 48

M. An-

M. Antonius 61. eius mors 62, 63
M. Antoninus Philoſophus imp. 70
M. Attilius Regulus 32
M. Brutus Cæſaris interfector 59
M. Cl. Marcellus 33, 34
M. Cocceius Nerua I. C. 67
M. Corn. Cethegus 41
M. Craſſus 54
M. Fuluius Nobilior 38
M. Furius Camillus 27. eius mors 28
M. Lepidus 61, 62
M. Liuius Salinator coſ. 35, 65
M. Manlius 27
M. Porcius Cato 32, 41
M. Perperna coſ. 44
M. Valerius Coruinus 28
Martialis poeta 69
Martianus imp. 97, 100
Martinus v. Papa 190
Maſaniſſa rex 41
Maximus *I.C.* 71
Maximus occidit Gratianum 91
Maximianus imper. 80
Maximianus imper. à Galerio adoptatus 81
Maximinus imp. 72
Maximilianus imp. 192
Mauritanorum irruptio. 118
Mauritius imp. 110
Maxentius imp. 81
Medus 3
Medi regni origo 3
Mediolanum euerſa 165
Menander *I.C.* 71
Menna patriarcha Conſtantinop. 107
Menſium nomina Germanica à quo 134
Merodach Aſſyriorū imperium Babyloniis adiungit 9
Meſſalla poeta 66
Methuſalah ætas 2
Metropolitanæ ciuitates quæ ſub Carolo Magno 133
Miltiades dux Athenienſ. 15, 19
Mirandula 1
Mithridates, & cum eo bellum Rom. 47. alterum 50
Mithridatis interitus 51
Modeſtinus *I.C.* 72
Monarchia prima 4, 11. ſecunda 14. tertia 21. quarta 24, 60. monar-

chiæ quatuor in vaticinio per Danielem patefacto 10,11
Moſes 4
Moſcus 3
Moſci regni origo 3

N.

NAbuchodonoſor I. eiusq; geſta 9. eius ſomniũ 10. eius potentia 11. quotannos regnarit 12
Næuii ætas 39
Narſes eunuchus dux 107,109,110
Nero imp. 68
Neſtorii dogma damnatum 94
Nicæa vrbs 84
Nicephorus imper. 122,132
Nicias dux Athen. 19
Nicolaus I. papa 138
Nicolaus II. pap. 150
Nicolaus V. pap. 191
Nimrod 2. primus rex 3. cur robuſtus venator in S. ib. aliis Saturnus 3
Niniue condita 3
Ninus rex Babyl. 4
Noah 2. moritur 4
Nouellæ Iuſtiniani 107
Numantia deleta 44
Numantinum bellũ 43
Numerianus Cari imp. filius 79

O

OChus rex Perſarũ 20
Odoacer imp. 101, 102 103
Oratio dominica ſingulis dieb. dici iuſſa, quàm tantum die dominico orabant ſacerdotes Hiſpani 113
Ottacarus rex Bohemiæ 176
Ottho I. Imp. 142
Ottho II. imp. 143, 144,145
Ottho III. 145
Ottho Saxonum dux imp. creatus cõtra Philippum 167
Ottomanus 124

P.

PAcuuii ætas 45
Palmyra ciuitas 87
Pandectarum collectio 107
Paparum facta ad antiquę religionis rationẽ non exquirenda 101
Paparum fraudes & technæ pro primatu 108
Papinianus *I.C.* 71
Papyrius Frõto *I.C.* 71
Pares Galliæ 184
Pariſinæ Academiæ origo 134
Paſchalis papa 135
Paſcha-

Paſchalis II. papa 161
Paulus *I.C.* 72
Paulus Anazatus primus Venetorum dux 99
Pauſanias dux Lacedæm. 17, 19
Pelagius II. papa 111
Peloponneſiacũ bellum 17, 18, &c.
Pericles dux Athenien. 17, 19
Perſeus à Romanis captus 40
Perſius poeta 68
Petrarcha 190
Phalaridis taurus 42
Philippicus imp. 117
Philippus rex à Rom. debellatus 37
Philippus imp. 73
Philippus imp. ab aliis Ottho creatus 167
Philippus I. rex Galliæ 160
Philippus Pulcher Galliæ rex 179, 181
Philippus Valleſius rex Galliæ 184
Philippus Audax, dux Burgundiæ 185
Philopœmen 19
Phocas imp. 111
Phul rex Aſſyriorũ 7
Phul Aſſur rex Aſſyriorum 7
Pipinus rex Francorum 121, 123, 129, 130
Piſiſtrati ætas 25
Platonis ætas 29
Plato in vitæ periculo apud Dionyſium tyrannum 30
Plauti ętas 39
Plotius poeta 66
pluralitas beneficiorum Eccleſiaſtica 100
Polemonis ætas 29
Pollio poeta 66
Polonię regni initiũ 146
Polydorus Spartanus 19
Pompeius 50, 51, 52, &c.
Pompeii & Cæſaris bellum 55
Pompei interitus 56
Pomponius Iuriſcõſultus 72
Pontifices à Petro ad Sleidani tẽpora quot 82
Pontificum decreta qualia 82, 83
Pontificum ingratitudo erga Cæſares 177
Pontificiorum ſcripta prudẽtẹr & caute euoluenda 130. Pontificiorum librorum confuſio & diſcordia 136, 138
Probus imp. 78
Prodicus orator 29
Protagoras Orator *ibid.*
Ptolomæus Ægypti rex 2

Ptolomæus Philadelphus 24
Ptolomæus Epiphane 38
Ptolomæus Philometor 39
Ptolomæus Auletes 52
Ptolomæus Dionyſius 56
P. Alphenus Varus 49
P. Cæcilius 49
P. Cornel. Scipio coſ. 33
P. Corn. Scipio P. filius 33. eius egregia geſta 35, 36. Africanus dictus 35. eius mors 38, 39
P. Corn. Naſica 41
P. Decius Mus. coſ. 28
P. Philo 28
P. Scipio Æmilianus 41, 43. *Africanus* etiam dictus, ib. eius interitus 44
P. Seruius Sulpicius 49
Punicum bellum primum 31. ſecundum 33. tertium 41
Pupienus imp. 73
Pyrrhus rex 30, 31
Pythagoræ ætas 25
Python 23

Q.

Q. Vinctilius Varus 64
Q. Catulus orator 49 interfectus 48
Q. Cæcilius Metellus 46
Q. Fabius Maximus dictator 35
Q. Hortéſi natiuitas 46, mors 61
Q. Mutius Scæuola 49
Q. Sertorius, & cum eo bellum 50

R.

Rauennas Archiepiſcopus Rom. ſubiectus 116
reges initio Romæ 25. dein eiecti 26
regnum Chaldæum, Babylonicum, &c. Vide Chald. & Babylonicum regnum.
Robertus imp. 188
Robertus rex Galliæ 146
Rodoricus rex 118
Rogerius rex Siciliç 163, 164
Romæ initium 24, 25
Roma à Gallis Senonib. capta 27
Roma capta à Gothis 95
Roma capta à Wandalis 99, 100
Roma à Totila direpta 106
Rom. pop. origo tenuis 25
Romanorum contra

Cartha-

Carthaginenſes bellum 31,32,&c.
Romanorum varia bella cum Italiæ populis 31, cum aliis 32,33
Romanorum bellum cum Philippo rege Macedonum 37.
Romanorum bellum cum Antiocho 37
Romani imperii diſſipatio 192,193
Rudolphus Habsburgius imp. 176
Rudolphus Sueuiæ dux 160
Rugi pop. 103
Ruffinus *I.C.* 71
Ruſinus 92. eius perfidia 93

S

SAbatius rex Sagarũ 4, oppreſſus à Nino 4
Sagæ 3
Salmanaſſar rex Aſſyr. 7,25
Saluius Iulianus *I.C.* 70
Sandeniſium 128
Sapores Perſarum rex 73,76
Saracenorum irruptiones 112,114,116,117
Saraſar filius Sennacherib 8
Sardanapalus rex Aſſyriorum vltimus 6,7. feminæ propior, quam viro, ib. ſaltem vno virili facto functus, quum moritur 7
Saturnus, quibuſd. qui Nimrod 3
Saul rex 45
Scipio Africanus 32
Seleucus Syriæ rex 24
Senecæ ætas 68
Semiramis regina Babyl. 5, eius geſta ib.
Sénacherib rex Aſſyr. 8, eius & clades & cædes, ib.
Serg. Galba 68
Seuerus imp. 71
Seuerus à Galerio imp. adoptatus 81
Seuerus, ſucceſſor Maioriani imp. 101
Seruius poeta 66
Seruius Tullus rex Rom. 25,26
Seruorum tumultus in Sicilia 44
Sextus liber decretalium 179
S. Papyrius *I.C.* 49
Siciliæ ambitus 79
Sicilia primo omniũ *Prouincia* appellata 35
Sigismundus imp. 189
Silius Italicus poeta & cos. 68
Sirochus Perſarũ rex 112

Socratis ætas 29
Solonis ætas 25
Sophocles poeta 18
Sparetus rex Babyl. 6
Sphærnes rex Babyl. 6
Speuſippi ætas 29
Spur. Melius 27
Sp. Poſthumius Albinus coſ. 29
Statius poeta 69
Stratonis ætas 29
Stephanus II. imper. 121
Stephanus IV. papa 135
Stephan. IX. papa 149
Stilico 92, eius perfidia 95
Syluerius papa 109
Syluester papa 105
Syluester IIII. pap. 148
Symmachus papa 102
Synodus Antiochena 88, alia 89. Aurelian. 104 Chalcedonenſis 88, 100 Carthaginenſis tertia 93, quarta ib. ſexta 94 Cōſtantinopolitana 92 aliæ 107, ſexta 115 Epheſina 94, Gangrenſis 85, Moguntina 132, Nicæna 84, Rhemenſis 132, Toletana 113
Synodi ſub Carolo M. habitæ 132
Synodi nationales in Gallia 137
Syracuſarum laus & quatuor eius vrbes 33
Syracuſarũ direptio 34
Syracuſanus portus 19, 20
Syria à rege Babylonia in poteſtatem redacta 6

T.

Tacitus imp. 78
Tarquinius Superbus 25
Tarquinius Collatinus 26
Tarrũtius Paternus I.C. 71
Taſſilo dux Bauariæ 130
Tertullianus I.C. 70
Themiſtocles dux Athenienſ. 16, 17, 19, eius mors 18
Theodatus Gothorũ rex 106
Theodora vxor Iuſtiniani 107
Theodoricus Gothorum rex 98
Theodoricus Oſtrogothorum rex 102, 105 idem qui *Veronenſis* dicitur 103
Theodoſius imp. 91, 92, eius pietas 92
Theodoſius II. imp. 94, 95, 96, 97
Theodoſius imp. Anaſtaſii II. ſucceſſor 118
Theophraſti ętas 29

Teu-

Teutoni à Mario cæſi 46
Thucydides ſcriptor belli Peloponneſiaci 17
Templarii 181
Tẽporis computatio diſcors apud hiſtoricos 1
Terentii ætas 45
Terentius Clemens *I. C.* 71
Tiberii Gracchi interitus 45
Tiberius imper. 66
Tiberius Nero 67
Tiberius imp. ſucceſſor Iuſtini 110
Tiberius, ſucceſſor Leontii imp. 117
Tiglath Pilleſſer rex Aſſyriorum 7
Tiſſaphernes Perſa 19
T. Annius Milo 54
T. Cæſius 49
T. Manlius Torquatus cos. 28
T. Quintius Flaminius 37
T. Sempronius Longus coſ. 33
T. Veturius Caluinus coſ. 29
Titus Veſpaſianus 69
Totilas Gothorum rex 106,107
Traianus imp. 69
Tribonianus *I. C.* 107
Tribuni militũ Romę creati 27, ib.
Troianum bellũ 25
Tryphoninus *I. C.* 71
Turcarum origo 124 & potentia ib. 125
Turris Nimrodo duce ædificata 2
Typographia inuẽta 191

V

Valens imp. 90
Valẽtinianus imp. 90,91
Valentinianus Gratiani fil. 91
Valentinianus imp. ſucceſſ. Honorii 95,97
Valerianꝰ imp. 75
Varius poeta 66
Varna vrbs 192
Veneriæ conditæ 99 eorum duces quot ad Sleidani vsq; tẽpus 99
Ventis XII. nomina Germanica à quo 135
Venuleius *I. C.* 71
Veſpaſianus imp. 68
Veſperæ Siculæ 178
Vicecomites Mediolanenſes 184,194
Victor II Papa 149
Victor III. Papa 160
Vigilius Papa 109
Vinidius Verus *I. C.* 70
Virgilius 66
Viriatus, & cũ eo Rõ. bellum 43
Viſci duo poetæ 66
Vitiges Gothorũ rex 106

Vladiſlaus rex Poloniæ 186
Vladiſlaus Poloniæ & Vngariæ rex 192
Vlpianus *I.C.* 72
Vlpius Marcellus *I.C.* 70
Voluſianus imp. 75
Vrbanus II. papa 160
Vrbanus VI. papa 189
Vxores ſacerdotibus habere interdictum 120

W

WAllis rex Gothorum 95
Wandali Romam capiunt 99
Wandalorum in Africam irruptio 96
Wenceslaus imp. 185
Weſtphalia 64

X

XAnthippus 19
Xenocrates Philoſophus 2
Xenocratis ætas 29
Xenophon cur Athenis exulare iuſſus 20
Xenophon Socraticus, hiſtoricus 29
Xerxes, nomen quid ſignificet 5
Xerxes rex Perſ. eiusque geſta 16. mors 18

Z

ZAcharias papa 119, 120, 129
Zameis rex Babyl. 5.
Zedechias rex exoculatus 9
Zeno imp. 101, 102
Zenobia regina 77
Zoſimus papa 93
Zepherinus papa 116

FINIS.

IN LI-

IN LIBELLVM SLEIDANI DE QVATVOR SVMMIS Imperiis, quædam annotationes obſeruatæ ex prælect. Clariſs. Vir. *D. Guilel. Xylandri* Anno MDLXXII.

Dvo ſunt vitia, quæ alicui iure poſſunt obiici: vnum, ſi quis ſemper ſit puer: alterum, ſi ſemper domi maneat. Puer eſt, qui nil nouit, quam quod oculis videt: Hoc vitium olim Græcis fuit obiectum ab Ægyptiis. Domi ſemper manet, qui de peregrinis Regionibus nil cognitum habet. Vtrumque vitium emendatur legendis hiſtoriis, & cognoſcendis Geographicis. Licèt enim non cuiuis liceat corpore adire varias regiones, easque oculis perluſtrare, animo tamen licet peregrinari. Geographia verò non percipi abſque Aſtronomiæ adminiculo poteſt (oportet enim intelligere diuerſitatem climatum) ergo Aſtronomiæ præceptis antè imbutum eſſe oportet, qui geographica cum fructu volet diſcere.

De vtilitate hiſtoriarum & geographię, præfationes legite Hiſtoricorum & Geographorum. Notum eſt omnes homines teneri cupiditate ſcientię, atque hanc omnibus hominibus inſitam eſſe vim & naturam. Vnde vulgo etiam ruſtici quærunt: ***Quid noui quis nouerit***, &c. At propter facultatem nemo laudem meretur, vt Ariſtoteles docet; ſed tũ demũ laude digna eſt facultas, cũ pficitur. Quo minus vero perficiatur, obſtat πολυπραγμοσύνη, &

nimia curioſitas quædã: de qua exſtat libellus pulcherr. apud Plut. qui vobis omninò euoluẽdus eſt. Vt hãc diſcedi cupiditatẽ rectè perficiamus, ac omnẽ operã benè collocemus, cogitandũ eſt nobis ſolũ hominẽ ratiocinari, ac præſentia cũ præteritis & futuris cõparare: Ergò ſciẽdum quæ ſint prçterita, inſtãtia, futura; &, per cõſequens, legendam hiſtoriam, i. rerum geſtarum deſcriptionẽ, non nugas & fabulas, quales hodie circumferuntur multæ, Rollwagen / *Cento Nouella* & huiusmodi alii libri Diabolici, qui ſunt ſchola impietatis & digni vt vnà cum ſuis auctorib. crementur.

Fabulæ tamen interdum vtiliores ipſis Hiſtoriis propter dicendi libertatem, & quia facilius ab omnibus percipiuntur. Talis eſt fabula Reinigken-Fuchß / in qua vita aulica egregie depingitur. Tales ſunt fabulæ Æſopi, quas maximi fecit Socrat. vt conſtat ex Phçdone Platonis. Has. n. ſibi pro materia ſcribendi carminis diuinitus indicti delegit. Vſus hiſtoriarum eſt maximus; nullus poteſt homo ſatis exprimere verbis. Quòd res Ethicæ & Theologicæ optimè exemplis tractentur, conſtat. Nam & Seruator noſter Chriſtus ab exemplis ferè argumentatur. Et in Philoſ. Morali maior propoſitio ſyllogiſmi practici ferè eſt ab exẽplo, quomodo hçc res illi vel illi ceſſerit. Vt, e. g. *Non eſſe bellum gerendũ ob raptã vxorẽ*, quia hiſtoriæ docent eiusmodi bella tam victorib. quam victis fuiſſe detrimentoſa. At in hac re longè tutius eſt ſequi exempla antiquitatis, quam noſtri temporis; quia libertas hiſtoriæ ſcribendæ nulla eſt hodie: & quia in deſcribendis noſtris hiſtoriis ferè affectib. rapimur. At apud antiquos maxima fuit libertas. Liu. bellũ ciuile inter Pomp. & Cæſarẽ geſtum deſcripſit, ac Pompeium iuſtam cauſam defendiſſe confirmauit, quãuis ſciret hoc parũ eſſe gratũ Auguſto. Auguſtus tamen nil cõtra Liu. tentauit hoſtile, ſed cum iocari voluit, dixit ad Liuiũ: *Tu es Pompeianus*. Hodie ſi quis vel minimum nobilem ſcripto læderet, lõge aliud

inde ferret reſponſum, nimirũ, Jch will dir ein kugel durch den leib jagen. Certè qui de bello Smalcaldico aliquid literis mandarunt, multa (de quib. mihi cũ in id tempus inciderim, probè conſtat) ſilētio prætericrunt, multa in gratiã Principũ falſa ſcripſerunt. E.g. nemo dixit, *Principem Germaniæ duas uno tempore habuiſſe vxores*, &c.

Adde quod hiſtorias antiquas ſine vllo legere poſſumus affectu, quod noſtro tēpore fieri nequit. E.g. Si quis legat quæ ſcribuntur de recente Venetorum victoria, vel Venetis ſtatim, aut Turcis fauet. Noſtrę hiſtoriæ cũm veterum hiſtoriis comparatæ, habent ſe inſtar glebæ metallarię, quæ nōdũ eſt reddita pura: Veteres hiſtoriæ rationem obtinent argenti puriſſimi.

Oportet autem omninò coniungere geographiam cũ hiſtoria. Quid.n. pręclari foret in cognitione hiſtoriarũ, ſi locũ in quo aliquid ſit geſtum, ignores. Et cõtra, ſi totũ peragraueris terrarũ orbē, & quid quouis loco geſtum ſit, ignores, nihil noueris. Alias fieri poteſt, vt cũ de Memminga loquar, tu intelligas de Gēmingem im Kraichgaw. Diog. interrogatus, *cuias eſſet? R. ſe eſſe mundanum*; h.e. qui vbiq; in mundo viuere ſe poſſe, tanquã domi ſuæ, conſideret. Ego aũt dico, debere nos mundanos eſſe, i. mundi partes earumq; ſitum perſpectum habere, ſi mundi hiſtoriam velimus intelligere ac quaſi conuerſari cum omnium locorum & ætatũ hominib. *Terra* (vt alicubi dicitur in Sacris) *narrat gloriã Dei*; E. neceſſe eſt habere cognitã terram. Inde colliget immenſam Dei potentiã qui ex tãta diuerſitate partium tantam effecit harmoniã totius. Vlyſſes laudatur ab [a] Hom. & [b] Horat. in arte Poet. quod nō tantũ nouerit mores hominũ, ſed res quoq;. Sed hîc laudare hiſtoriam & geographiam, non eſt inſtitutum. Apud Auguſt. libr. 2. De doctrina Chriſtiana, cap. 28. locus eſt, qui cõmendat hiſtoriam Theologis & geographiã. Exe-

b Horat. *Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.*

a *Hom. od.* 1. Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

plo vno illuſtrare placet. Quis peregrinationes Patrum, Apoſtolorum, abſq; Geographia intelliget? Locus eſt in c. 2. Lucæ de Cyrenio, qui imperarit Syriæ. Ibi ſe mirificè torquēt interpretes. At vera reſpõſio ex geographicis petitur. Ego inuenio [c] apud Strab. lib. 12. conferre ad Iuriſprudent. extra controuerſiam eſt. Quomodo. n. noueris aliàs quæ lex altera ſit antiquior? Verum, vt dixi, laudare non inſtitui haſce artes; ſed cõcludo cum Antalcida, qui cuidã Rhetorculo Herculē laudāti Spartæ, dixit: *Quis ipſum vituperat?*

[c] Fuit is ſcriptor σύγχρο-νος Chriſti, & vt non fuerit procõſul, tamen legatũ eo tempore fuiſſe in Cilicia & finitimis regionib. apparet, de quo ſuo loco dicemus accuratius.

Porrò Geographiam deſcripſit Ptolom. & Strabo. Sed Ptolomæi geographia friget. Strabonis multò eſt cõmodior, quia hiſtorias adiunxit. Cicero etiam hanc rationem obſeruare conſtituerat, & hiſtoriam conſcribere ad imitationē Theopompi; vt videre eſt in epiſtolis ad Attic.

Hæc παρέργων *loco.*

In Textum Sleidani.

PAg. 1. *De quatuor ſummis Imperiis*] *Summa* vocat *Imperia*, quia licèt varia eſſent regna, tamen Deus voluit aliquod ſemper eſſe ſummum. Aliàs vocant *Monarchias*, quam vocem noſter Sleidanus vitauit; forte ob hanc cauſam, quod μονάρχης nõ eũ ſignificat tantum, qui iuſtè præeſt, ſed eum quoq; qui iniuſtè. Sic Dionyſius fuit Syracuſis monarcha, ſed non legitimè, vel declinauit, quia vox Græca. De ſtatib. Reip. ſuo loco dicetur ex 6. Polybii.

Ibid. ỷ. 7. *Babylonico*] quod aliàs vocant *Aſſyriacum*. Nominatur autem ſic à Babylone vrbe præcipua illius regni.

Ib. *Græco*] quod aliàs *Macedonicum* dicitur, & ſubitò fuit ſumma cum celeritate conſtitutum ab Alexandro M. moxq; rurſus diſſipatum eſt. Cauſam eius rei Ethnici ignorarunt: nos cauſam ex ſacris nouimus, nimirum vt via ſterneretur ad monar-

chiam

chiam Rom. in qua nõ niſi conſtituta Chriſtus debuit naſci. Deſiit id regnum in *ἀναρχίαν*, vt docebitur infra.

Ib. ℣. 11. *Hebræi & Euſebius*] Nec tantũ hi, ſed alii, cõplures. Quod autem maxima ſit diſſenſio, & quidem talis, vt de reb. multis nil certi queat ſtatui, conſtat ex libr. 1. Stromatum Clementis Alexand. Ego vnum atq; alterum diſſenſionis producam exemplum. Excidium Troiæ eſt nobiliſſimum, ac ab omnibus decantatum, non tamen certò conſtat de tempore. Quidam collocant in ætatem Sāſonis; alii in ætatem Salomonis. Ita de diluuio a diſſentiunt: ita quidem vt in annis 586 non conueniant. Ita de tempore conditæ Romæ non conuenit. Vide Sigon.

Ib. *Hebræi*] Intelliguntur libri ſacri, ſeu Biblici, in quibus cum expreſſus eſt numerus, non dubium eſt, quin verbo Dei ſit habenda fides. Alias nihil ineptius fingi poteſt Iudæis, & ſynagoga Diabolorũ. Nam omnes alii, qui poſt captiuitatem Babylonicam & excidium Ieroſolymæ ſcripſerunt, ſunt homines ineptiſſimi, & prorſus ignari hiſtoriarum. Scribunt hi tales inter cætera mendacia, pontem, ſeu aquæductum à Roma deductum eſſe Ieroſolymam vſq; à Rom Imp.

Ib. *Euſebius* b] Hic Chronica ſcripſit, ſi modò ſunt Euſebii Chronica. Nam non reſpondent diligentiæ Euſeb. Quocirca non immeritò ſuſpecta ſunt. Præterea non exſtant Græcè. Item ſunt omnino deprauata. Aut ſi omninò Euſebius ſcripſit illa Chronica, certe ſcripſit valde iuuenis. Vtcunq; res habeat, non multũ illis Chronicis eſt tribuẽdum.

Ibid. *Auguſtinus* c] cui plus fidendum eſſet, ſi non fuiſſet ita ſuperſtitioſus in numerorum myſteriis.

Ib. *Alphonſus* & d *Mirandula*] qui fuit rex Arragoniæ & Chronologiā quandā conſcripſit. Eius opera nũc exſtāt. Vixit circa annũ Chriſti 1400. Porrò non turbentur hiſtoriæ ſtudioſi ob hanc tātam

a *Auguſtinus ſequitur Græcos. libr XV. De ciu't. Dei c. 20. ait (ſecutus Græcos 70. interpretes) eſſe 2262. annos vſq; ad diluuium. c. tamen 13, videtur præferre Hebræos.*

b *Epiſcopus Cæſarienſis, vixit circa annũ Chriſti* 300.

c *Epiſcopus Hipponeſis in Africa vixit circa annum Ch.* 400.

d *Mirandula Comes Concordiæ, vixit An*o 1480.

diſſenſionē. Cogitandū.n.verā historiæ cognitionē nō ſitā in præciſa iſta annorū&ſcrupuloſa numeratione,ſed magis in ſynchroniſmis. Quamquā inter diſſidētes quoq; nō difficile monſtrare, qui craſsè errarint. Ego.n.licèt nō præcisè tēpus ſemp ſciam.methodo tamē quadā quā proximè accedere me poſſe cōfido, ita vt ad ſummū nō abſim annis 3. Fundamentū certum quis ponere poteſt annotationis tēporum, ſi pro vmbilico & cētro ſumat Chriſti natales, ac retro aſcēdat per quandā ἀνάλυσιν vſq; ad prima exordia. Hoc artificio conſcripſi tabulas illas meas. Ita omninò quis in ſynchroniſmos incidit multorum regnorum. Diuerſitatis aūt ac diſſenſionis non vna cauſa adfertur. Quidam annos putant fuiſſe breuiores noſtris annis,quod ratione paucorū dierū eſt verū; ſed quod addunt annū apud veteres illos æquaſſe ſpatiū noſtri mēſis,id eſt prorſus ridiculū 8. Methuſalamum & priſcos illos annos vixiſſe plurimos eſt certum, nec fuerūt anni ita breues vt ſomniāt vulgò. Quod ēt Ethnici confirmarūt. Et Clemens Alexandr. Euſebius, Philo ſcribūt illā longæuitatē nobis eſſe ad mirandā. Cur aūt ita diu vixerint patres illi, Ioſephus cauſam eſſe dicit,vt implerēt mūdū: itē ipſorū pietatē & tēperantiā. Impios verò diutiſſimè vixiſſe quoq; vt cruciarentur,ac viderēt multas calamitates. Alii,vt ferè pleriq; Theologi cauſā tā diuturnæ vitæ referunt,vt eſſent lumina mundi, teſtes diuinæ veritatis, & doctores ac magiſtri religionis veræ. Luther. ſcribit fructib. terræ ſaluberrimis, & aqua ſaluberr. vſos,ita vt nō facilè in morbos inciderint. Poſt diluuium deinde terrā eſſe factā deteriorē. Herodot. ſimilia (ſed fabuloſè) ſcribit de regib. Ægypti, qui ēt multò fuerint annoſiores noſtris patrib. imò plures tribuit annos quā mediæ parti durationis mundi. Sed Herodot. in reb. exteris,&quæ nō in ſuā inciderūt ætatē ſtrenuè eſt mētitus, plurimaſq; commentus eſt fabulas.

8 Quod fuerint anni Solares non Lunares, i. qui æquant menſes, conſtat ex hiſtoria diluuii, vbi eodē ferè menſis die egreſſus eſt ex arca, anno ſequente, quo ſuperiori ingreſſus erat Noah.

Altera

Altera cauſa eſt in characterib. in quib. faciliimè peccatur. E.g. ν & υ literæ ſũt vicinæ, quarũ prior ſignificat 50. poſterior 500. Ita ẽt aliarũ eſt magna ſimilitudo, vt facilè pmutẽtur. Hæc eſt magna cauſa diſſenſionis. Præterea multa ſunt dicta incluſiuè, quæ alii excluſiuè intelligũt, & vice verſa. Excluſiuè verò, cũ iã annus eſt exactus. E.g. in tẽpore diluuii Funcc. intelligit 1656, excluſiuè, h.e iã eſſe expletũ id tẽpus, ideoq; ponendũ diluuium in annũ 1657. ſed incluſiuè, &c. Accedit huc, quod aliquando certus numerus in ſacris nõ exprimitur, vt fit in hiſt. Iudicũ. Exemplũ ibi illuſtre de tempore Othonielis

Ib. ỳ. 17. *Cum res ita feret*] Nã non ſemper ita fert, vt inferius docebo. Multi inhiant illi dicto Eliæ de 6000. quib. duraturus ſit mundus. Melanchth. refert id dictũ: *Sex millia annorũ mũdus, & deinde conflagratio. Duo millia inane. Duo millia Lex, & duo millia dies Meſſiæ*, &c. Quæ Prophetia non eſt Eliæ Thiſbitæ, ſed cuiusdã inepti Rabbi. Exſtat aũt in Talmud Iudæorum, tractatu *Sanedrin*, *cap. Helec*: & in tractatu De idololatria, cap. *Libne*: & in tract. *De ſabbatho*. Huius Cabbalici Rabbini commentũ quibusdã frigidis coniecturis Rabbi Iſaac in primum c. Geneſ. confirmare tentat: quarum hæ ſunt præcipuæ, quod 1. ỳ. Gen. qui ſummã cõtinet operũ Dom. ſexies cõtineat lit. K. quę ſignificat 1000. E. 6000. annis duraturũ mundũ. Deinde quod ſex dieb. Deus crearit mundũ, & 7°. quieuerit. At dies eſt apud Deũ vt 1000. mille. Pſ. 90. 2 Pet. 3. Poſtremò 6. primi [illegible] rentes *Adam, Seth, Enos, Cain, Malaleel, Iared* mo[illegible]i ſunt: Septimus aũt *Enoch* viuus in cęlũ ſublatus eſt. Sed ne Angelis quidẽ ille dies patet, multò minus inepto Rabbino: Et Chriſtus ſtudioſam harum rerũ inquiſitionẽ vetat Marc. 13. Idem ſcribitur Mat. 24. *De die aũt illa & hora nemo ſcit, ne Angeli quidẽ calorũ, &c.* Tẽpore Apoſtolorum fuerũt quidã, q ſe ſcire dicerẽt quo ſæculo eſſet futurus dies extremus, ſed eos repreſſit Apoſt 2. Theſ. 2. *Rogo aũt vos fratres*, &c. Ibi docuit prius futurã vni-

uerſalem ἀποστασίαν, vel (vt alii volunt) defectionem Rom. Imperii, & reuelatum iri Antichriſtum cum ſuo regno; antequam veniat dies Domini. Sed quã-diu poſt aduentum Antichriſti ſit futurus, Apoſtolus non docuit, nec etiãſciuit. Mat. 24. Auguſt. item refutat in Cõment. in Pſ. 89. Itaq; tanta eſt adhibenda fides illi dicto Eliæ, quanta tribuenda eſt **Eulenſpiegel**/aut Marcolpho. Poſt Apoſtolorum tempora etiam alii exſtiterunt, qui ſe finem ſeculi nouiſſe iactarunt, de quib. Auguſt. tom. 5. De ciuit. Dei, lib. 28. c. 53. & quam falſi fuerint, oſtendit c. 54. illi putarant religionem Chriſt. duraturam annos 365. ac poſtea ſecuturum finem. Tempore quoque Cypriani tales fuere vt conſtat ex epiſt. Cypr. & in libello ad Fortunatũ de exhortatione Martyrii, ſi modo Cypriani ſit liber. Tempore itẽ Lactantii, vt conſtat ex eius Inſt. lib. 7. c. 25. Itẽ, tempore Auguſt. Hieronymi, *&c.* vt videre eſt apud Auguſt. tom 5. De ciuit. Dei, lib. 18. c. 53. Quidam etiã Heſychius epiſcop. tempore Auguſt. idem ſenſit Auguſt. tom. 2. ep. 80. probat ex loco Daniel. 9. de 70. hebdomad. reſpondet Auguſt. Pſal. 80. Itẽ, *Chriſtus dicit* (inquit Heſychius) *Vos noſtis iudicare faciem cæli, & non noſtis tempus viſitationis veſtræ?* R. Loquitur de primo aduentus tempore, non de ſecundo.

Gregor. quoq; Papa tom. 2. in 9. c. lib. 2. Reg. putat 6. millie annos duraturum, *&c.* Iren. lib 5. c. vlt. concludit 6. millib. annorũ duraturum, ratione dierũ, quib. mundus eſt creatus. Sed hãc rati[illegible]nẽ Auguſt. quoq; refutat cõtra Iren. & Lactãt. [illegible]dẽ aſſerit lib. 7. c. 14. Deinde hoc eſt cõtra verb[illegible]ei aptũ.

Alii colligunt hoc ex 4 monarchiis Daniel. 2. & 7. nam quarta monarchia in varia regna diſſecta, dicit Daniel exoriturum cornu, vnũ aliis fortius & potentius, per quod intelligitur Turcicũ Imp. Ergo erit finis mox ſeculi. R. Nil ex capit. 2. colligitur: imò colligitur Chriſti regnum non eſſe reuelandũ prius, quam Rom. Imp. funditus deleatur.

At

At nondum eſt deſtructum, nec deſtruetur, niſi in fine ſeculi, vt ſcribit ſcitè Lutherus: nam id ſignificatur per *plantas pedum ferreas*. Quis autem nouit, quando funditus ſit deſtruẽdum Romanum imperium? Ex c. 7. nil certi colligitur. nam primum negare poſſem cornu illud eſſe imperium Turcicum. patres per *cornu* intelligunt Antichriſti regnum: ſed quando venturus ſit Antichriſtus, a nobis ſciri non poteſt. Is enim Antichriſtus debet 3. reges de 10. ſuperare, & reliqui 7. victori collum ſubmittent. Deinde ſi intelligatur regnum Turcicum, tamen nil ſequitur. nam debebat præualuiſſe contra Sanctos oratio, & Sanctos non tradendos in eius manum. At nondum ſumus traditi, neque ſcimus quando vel an ſimus ipſi tradendi. præterea nondũ conſtat quid Daniel velit per *tempus, tempora & dimidium temporis*. Alii probare nituntur à tempore, quo Antichriſtus reuelatus [a] regnaturus eſt. At regnabit per 3. annos cũ dimidio: & anni intelliguntur iubilæi. Colligi videtur hoc ex dicto Daniel. de tempore, &c. Apocal. 11. & 17. ℞. Annos primum patres intellexerunt naturales. Deinde Antichriſtus ille oriturus ſuperabit reliquos Antichriſtos, h. e. Papam, & Turcam & alios malitia, ac miracula poterit edere. Papa enim non ille Antichriſtus, de quo Daniel & Iohan. in Apocal. licèt ipſe quoque ſit Antichriſtus. Poſtremo quod dicit Iohan. regnaturum per 42. menſes, dico annum eſſe certum pro incerto: aliàs ſciremus finẽ ſeculi, quod negant ſacræ literæ. Alii colligere volunt ex Danielis 12. vbi ponit dies 1290. & dies 1335, &c. Sed ibi numerus certus ponitur pro incerto. quod vltima particula apertè docet. Alii probant, ex 1. Tim. 3. & 4. quia multi ſcelerati futuri. ℞. Et tempore Apoſtolorum tales fuerunt. Vide ad hoc reſponſum Auguſt. in Epiſtola ad Heſych. Plura de his ſi cupias, legas in Zanchii Miſcellaneis hanc quæſtionem. Ex dictis concludo dictum illud Helię non

[a] *Reuelatus autem Antichriſtus annis abhinc 45. ergò reſtant 150. ad finem.*

magni faciundum, nec pro fundamento hiſtoriæ ponendum. Exſtat etiam tabula quædam Philonis, & lib. de biblicis antiquitatibus, & Beroſus quidam item Metaſthenes ac aliæ nugæ, quibus item non inſiſtere poſſumus. Sequemur in pleriſq; Funcciũ, quia videtur proximè ad veritatem accedere; licèt nec ipſe ſuis careat næuis. Quod dico de Beroſo, conſtat eum deſcripſiſſe res Babylonicas & regni Aſſyriaci, teſte Ioſepho, qui ipſum ſæpiſſimè citat & in lib. Antiquitat. & in Libello contra Appionem Grammaticum. Citatur & ab Euſebio, cum alibi, tum libr. 9. præp. Euang. Clemente Alexandrino, & aliis. Si quis illa fragmenta, quæ apud dictos auctores recitantur, ex Beroſo conferat cum hiſce nugis quæ vulgo pro Beroſo circumferuntur, facile videbit eſſe commentum potius alicuius otioſi monachi, quàm Beroſi veri hiſtoriam. Qui plura de hiſce cognoſcere voluerit, legat libellum doctiſſimum *Caſpari Varrerii*, Romæ ante annos forte 12. editum, in quo liquido demonſtrat vulgarem illum Beroſum, nil eſſe minus quàm Beroſſum. Iohannes verò Annius quidam, Monachus Viterbienſis putat, librum illum legitimum eſſe Beroſi. Quod de Beroſo dico, idem de Philonis hiſtoria confirmo. Nam nec ea eſt legitima.

Ibidem ℣. 17. *Ac principio*] Exſtat liber Philonis valde elegans & eruditus de hiſce rebus, quæ in ſacris ante diluuii tempus continentur. Titulus libri eſt, περὶ κοσμοποιίας Deſcribit illic mundi creationem. Inter cætera docet, cur homo ſit poſtremò creatus, nimirum vt induceretur in tantum ornatum, & huius beneficii memor, non fieret ingratus. Non facio nunc mentionem Hexaëmeron Baſilii.

De Paradiſo ſcribit *Bullingerus*, quod fuerit locus terræ melior, quæ irrigata ſit à quatuor fluminibus nobiliſſimis. Idque ſpacium fuiſſe propemodum

modum tertiam partem orbis terræ. *Melanchthon* ait ſedem primorum parentum fuiſſe in regione vicina Damaſco, extra omnem controuerſiam. Ergò non longè (ſi hæc ſententia ſit vera) ab Ieroſolyma incoluerunt, cum Damaſcus 40. tantum milliaria diſtet à Ieroſolyma: Sed reuera certi quid hac de re pronunciari non poteſt. Itaque vbi fuerit & quale, malo fateri me neſcire, quam nugas eiuſmodi proferre, vt multi faciunt. Poſſem equidem & ego aliqua excogitare, ac de illis fluminibus fusè diſputare; id quod in Geographicis meis edendis ſpero fiet; ſed certi quid de Paradiſo adferre, me non poſſe, liberè & ingenuè profiteor.

Ante diluuium memorabile eſt exemplum in Henocho ſeptimo ab Adamo. Nam cum Abrahamus & alii in ſummis eſſent miſeriis, ac ſe prope derelictos à Deo exiſtimarent, Deus vt oſtenderet ſe non deeſſe miſeris, conſolatus eſt ipſos exemplo Henoch, quem viuum in cœlum aſſumpſit. Eſt autem in Henoch teſtimonium immortalitatis animæ, & reſurrectionis noſtræ, vitæq; æternæ. Fuit item Henoch typus Chriſti, qui item corpore & anima aſcendit viuus in cœlum.

De 120. annis illis Gen. 6. magna diſputatio eſt. Dicunt ibi deſcribi hominis ætatem, nec voluiſſe Deum vt quis ſuperaret annum 120. Quam interpretationem ineptam eſſe docent plurima exempla poſt diluuium. Imò ipſe Noah vixit vltra 120. annos. Exempla legere potes in ſacris, & apud Ioſeph. Vide etiam Lucian. περὶ μακροβίων. Verior ergò interpretatio, vt dicamus hos 120. annos conceſſos eſſe pœnitentiæ illorum hominum. Deus enim noluit ipſos ſtatim perdere, ſed per prædicationem Noah, Lamech & Mathuſalem eos præmonuit. Cur igitur, dicat quis, tunc Noah duxit vxorem? Reſponderi poteſt, vt generis humani relinqueretur ſemen. Vide Funccium.

Prima mundi mutatio.
Diluuium.

Pag. 2. v. 1. *Diluuii tempus*] Diluuium iræ diuinæ eſt teſtimonium. perierunt enim non tantum Cainica gens, verum etiam Eccleſia ſeminis filiorum Dei, ſeruatis tantum 8. animabus. Et quanquam diabolus voluit hanc horrendam hiſtoriam obliterare obliuione, non tamen potuit. Verum variis obfuſcauit hanc rem fabulis, vt videre eſt apud Poëtas. Ita etiam accidit Iudæis, qui ſummâ diligentiâ conſeruare ſunt coacti nobis ſacras literas, quibus nunc iugulantur. vnde quodam in loco ab Auguſtino appellantur *Bibliothecarii noſtri*. Idē dico de diabolo, qui cum voluit fabulis omnia inuoluere, effecit, vt exſtent huius rei monumenta non in ſacris tantum, ſed etiam apud prophanos homines. Euſebius citat lib. 9. de præpar. Euangel. multa Ethnicorum de diluuio teſtimonia. Nominat Damaſcenum, Beroſum, Ioſephum. Reſp. Dixerunt Ethnici quod diluuium fuerit tempore Deucalionis & Pyrrhæ. Euſeb. lib. 12. de præp. Euang. oſtendit etiam Plat. habuiſſe diluuii cognitionem. E. G. in princip. lib. 3. de Legib. exſtat eius mentio obſcura. Ariſtoteles libr 1. Meteoror. quoque meminit, ſed adſtringit ad Græciam. Et Horatius [a] dicit Proteum egiſſe ſua pecora vt ſcanderent montes. Proteus autem in Ægypto Odyſſeæ ♭. Itaque Horatius de Ægypto dicit, Ægyptii à Iudęis cognouerunt. In ſumma, qui deſcribunt diluuium, rem faciunt valde priſcam; Cauſa eſt, quia tum temporis hiſtoriarum fuit neglectus, nec quis has res literis mandauit. Præterea non faciunt diluuium generale.

[a] *Lib. 1. Car. od. 2.*

De Deucalione autem quod dicunt poëtæ, fuit is noſter Noah, quod apud neminem aliàs legi. Demonſtro ex Plutarchi libello de Solertia animalium: vbi diſputat terreſtria ne an aquatilia animalia ſint callidiora. Ibi ait Deucalionem ex arca emiſiſſe columbam, ac exploraſſe num aquæ ſint diſſipatæ; ſeu, vt loquitur Plutarchus: (vt quidem con-

conuertit Xyl.) *columbam emiſſam Deucalioni indicium certum detuliſſe tempeſtatis, cum rurſus ingrederetur* (ſcil. arcam) *ſerenitatis, cum auolaſſet.* Idem prorſus quoque in Sacris traditur. Noah ergo dicitur *Deucalion.* Dicitur idem quoque *Ianus,* quod etiam alii monuerunt. Conſtat hoc ex voce, nam *Iain,* Hebræis ſignificat *vinum.* Noah verò primus vineas plantauit. Græci tertium addũt nomen, atque ipſum vocant *Xiſutron,* [a] alii *Siſutron*; quæ vox nec Græca eſt, neque Hebræa. Itaque neſcio vnde ita nominetur.

[a] Ξισȣ́θρον Σισȣ́ϛρον Ξισȣ́ϛρον.

De diluuii tempore non conſentiunt. poteſt tamen ex ſacris literis certò cognoſci. Græci ponunt annum mundi 2242. magno conſenſu, Cedrenus, Euſebius, Nicephorus & alii. Abundant in hoc numero anni 586. nam anno 1656. fuit diluuium. Cauſa huius erroris eſt, quod ſemper ducentos pro centum tranſtulerunt, fortaſſe nomine ſingulari *Meath,* pro plurali *Meoth* accepto.

Quod autem anni ſint tantum 1656. facile ex ſacris eſt computare. probo ex cap. 5. Geneſ. Adam genuit Seth anno ætatis 130. Seth genuit Enos anno 105. Enos verò Cainan anno 90. Cainas Malalehelem anno 70. Hic verò Enochum anno 162. Enoch Mathuſalah anno 65. Et hic Lamechum anno 187. Lamech genuit Noachum anno 182. Noah autem in diluuio natus fuit annos 600. Hi numeri computati in vnam ſummam, efficiunt præcisè 1656.

Intelligendi ſunt autem anni iam completi, hoc eſt, excluſiuè vt diximus, quod docet Funccius. Fuit ergo anno 1657. incluſiuè. Quod de completis annis intelligi debeat; conſtat ex Geneſ. 7. *Eratque Noah 600. annorum, quando diluuii aqua,* &c.

In hiſtoria ſacra dicitur arcam ſubſediſſe in mõtibus Ararat; Hieronymus vocat *Armeniæ montem,* ſicut & Ioſephus. Alii montem *Phrygiæ,* intelligunt. Eſt autem valdè veriſimile montes eſſe Gordiæos,

qui Armeniam diuidunt à Meſopotamia; præſertim cum *Targum* interpres Chaldaicus reddat. De hiſce montib. vide Strabonem lib. 11. & Ptol. in tab. 3. Aſiæ, & in com. lib. 5. c. 13.

Quanta autem nobis eſſe debeat conſolatio, quod ſingulari Dei miſericordia & prouidentia cū iuſtitia coniuncta, arcam Noah in mediis ſeruarit aquis: docet Apoſtolus 1. Pet. 3.

Ib. ♈. 4. *Methuſalah autem ſeptimus ab Adam*] In epiſtola Iudæ *Enoch* nominatur *ſeptimus ab Adam*: hic verò *Methuſalah*: & vtrumque verè dicitur. Apoſtolus enim loquitur incluſiuè, h. e. vt Adam ſit primus: Sed Sleidanus loquitur excluſiuè, vt Adamus excludatur: atque ita Methuſalah eſt ſeptimus vt videre eſt ex Geneſ. 5. Natus eſt Methuſalah anno Mundi 687. vixit annos 969.[a] qui anni cōiuncti efficiunt annos 1656. h. e. diluuii tempus. Ergo deceſſit imminente iam diluuio.

[a] *Conſtat ex cap. 5. Geneſ.*

Ib. ♈. 11. *Auctor ſuis liberis*] Loquitur Sleidanus ex ſententia omnium ferè interpretum, licèt id in ſacris non ſit expreſſum. Eſt autem valdè veriſimilè Noachum auctorem fuiſſe ſuis, vt diuerſas occuparent terras. Aliàs hanc calamitatem videbatur ſecuturum eſſe bellum inter tam ſceleratos poſteros Noah, præſertim cum odiſſent eum, qui patris pudenda aperuerat.

Ib. 16. *Sorte illis deſignauit*] Id an verum ſit, ex ſacris demonſtrari non poteſt. Veriſimilius eſt Noah habuiſſe eius rei mandatum à Deo.

Ib. *Anno circiter* 100.] Quo anno ſit facta diuiſio illa, non conſtat ex ſacris. Hoc certum eſt, factam ſub Peleg. Sed num ſtatim ab initio natiuitatis ſit facta, an multò pòſt, incertum eſt. Veriſimile quidam putant initio factum eſſe, quia Peleg ſignificet diuiſionem. Itaq; licèt multò poſt, annis fortè 30. poſt natum Peleg in prouincias ſuas abierint, prius tamen ipſis prouincias illas eſſe deſignatas, ipſos verò vel vt familiaritatis conſuetudine diu-

tius

tius fruerentur, vel ob aliam cauſam diutius manere voluerunt, ac ante diſceſſum ſuum monumentum aliquod relinquere. Quę ſententia eſt veriſimilis. Conſtat tamen interim ſæpè nomina eſſe indita ob euentum, qui multò pòſt tempore acciderit: vt hinc argumentum certum diuiſionis illius ſumi nequeat. E.g. Iacob dictus, quia ſupplantarit fratrem; quod obiicit ipſi Eſaum cum primogenitis eum priuaret. Quamquam in hoc exemplo in ipſa natiuitate id accidit, &c. Exempla habebimus in hiſtoria Phæacum, quocirca hîc nil addo. Eſt autem natus Peleg anno poſt diluuium 101. Et quia hîc dixi de Peleg, quod dictus ita ſit ob diuiſionem, notandũ eſt nullam aliam eſſe linguam, in qua voces ita ſignificanter rebus ſint impoſitæ, atque eſt lingua ſancta. Exempli gratia; Cum primus Adamo natus eſt filius, vocauit eum *Cain*; quia ſicut lapſi ſunt ſubitò, ita etiam putarāt ſubitò paratam ipſis eſſe reſtitutionem. Cain enim ſignificat poſſeſſorem. Cum viderent ſe miſerè falſos, & aliũ procrearent filium, appellarũt eum *Hebel*, i. *vanitas*; quia didicerunt nil eſſe hominẽ. Ita Nimrod ſignificat *deficiemus* ſeu *rebellabimus*. In Cratylo etiam Plat. multa ſunt nomina, quæ reſpondent rebus.

Sed ad rem. Diuiſionem ponit Funcius in annum 1759. quod vt dixi, valde eſt incertum. Multò incertius eſt, quæ regiones quibus ſint aſſignatæ. Ioſephus quidem lib. 1. c. 5. multa vocabula poſteritatis explicat; ac ſi vlli credendum ſit, Ioſepho credendum eſt. Sed de iis vocibus hîc nil diſputare volo; ac malo fateri me iſta ignorare, quam vt multa adferam lubrica. De rebus tamen quibuſdam quæ videntur coniecturis non leuibus niti, monebo in Geographia mea demonſtrata. Cur nihil certi de hiſce rebus poſſit ſtatui cauſę ſunt plures. Primum enim in tam crebris migrationibus deficiẽte hiſtoria velle ſibi certi quid arrogare, nimis eſt temerarium. Deinde, in hiſtorica & Geographia ac-

cidit, vt antiquiſſima & remotiſſima non habeamus cognita. Cauſa præcipua eſt linguarum diuerſitas. Nō enim poſt confuſionem linguarum commercia eſſe potuerunt in homines diſſipatos ob linguas: Multò minus potuerunt ob linguæ ignorantiam ad alios propagare res geſtas. Itaque non mirandum, ſi veteres hiſtoriæ ſint fabuloſæ. Haud dubiè enim multi exſtiterunt, qui nugis ac fabulis, cum certi nil haberēt, nomen ſibi acquirere cōnati fuerunt. Hinc illę fabulæ de regno Ægyptio vſque ad Pharaonem. Hanc etiam ob cauſam regni Babylonici nullam habemus certam deſcriptionem. De Germania noſtra res eodem habet modo. Nemo apud veteres ſtudio hiſtoriarum fuit deditus. Omnes magis in ſyluis exſcindendis & colendis agris belliſque gerendis quam in hiſtoriarum traditione fuerunt occupati. Sic autem diuiſa eſt terra in filios Noah vti ſcribūt aliqui. Iaphet recepit Europam; oppleuit inſulas, Septentrionem poſſedit à Tanai ad orientem vſque. Itaque ceſſit illi & poſteris eius bona Aſiæ pars, minor ſcilicet, verſus occidentem. Sem accepit Aſiam, & eius poſteritas loca vicina Euphrati verſus orientem occupauit. Chamò diuiſa eſt Africa, Syria, Arabia, Aſ[illegible]a, i. loca vicina Iordani & Nilo verſus meridiem. Verum non cōtentus Cham ſuâ poſſeſſione, multas fratrum ſuorum prouincias partim ſuâ manu, partim per nepotes ſuæ poteſtati ſubegit. Exiſtimatur autem Noah inhabitaſſe agrum Damaſcenum, illiſque oris delectatum, quibus poſtea impoſitus eſt Abraham. Porrò Moſes capite 11. Geneſ. inſtituit genealogiam Sem vt oſtendat natales Abraham. Ac nominatur interdum *Sem primogenitus Noah*; Sed κατ᾽ ἐξοχὴν, quod per eum erat venturus Chriſtus ſemen promiſſum. Iaphet enim eſt primogenitus; poſt hunc Sem, & tertio loco Cham natus: Aperte enim ſcribitur, quod

Iaphet

Iaphet ſit maior Sem. Geneſ.11. De Cham nulla eſt dubitatio.

Porrò in iſto catalogo poſterorum Sem dicitur, quod Arphaxad genuerit Selah. Et 70. interpretes habent *Arphaxad genuiſſe Kanã, Kanam verò generaſſe Selah*. Atque ita etiam B. Lucas c.3. recenſet. Quomodo iſta conciliari poſſint, neſcio. putat Funccius irrepſiſſe in textũ à librario aut ſcriba aliquo oſcitante. præterea ſæpius errare 70. interpretes. Aut Lucam fortaſſe poſuiſſe ſcandali vitandi cauſa. Beza certè omiſit. In ſumma, certi nil poteſt haberi. Accidit nobis in his rebus, quod iis qui quærunt radices quadratas in numeris ſurdis. Quanto.n. propius accedunt, tanto ſe longius abeſſe intelligunt: vt ſi ex 100. velis habere rad. quad.

Ibid. *duce Nimrodo*] Nimrodum ponit ducem & auctorem ædificatæ Turris Babel, quod in ſacris literis non eſt expreſſum. [b] Eſt tamen valde veriſimile; & id quoque plerique maximi nominis interpretes aſſerunt, vt Philo, Ioſephus, Auguſtinus lib.16. de ciuit. Dei, c 4. & 5. In quotum annum inciderit hæc turris, an præceſſerit ætatem Phalegi, an ſecuta ſit, neſcio. Diuiſionem linguarum, ac turris ædificationem Funccius ponit in annum mũdi 1750. i. poſt Phalegum, potito iam rerum Nimrodo. Sed certi nil poteſt pronunciari, quia nil habemus de hac re ſcriptum, excepto illo pſeudo Beroſo, de quo ſuperius eſt ſatis dictum.

[b] *Ante diluuium nullius vrbis fit mentio, præterquã Hanochia.* Geneſ. 4. ℣. 17.

Ibid. Quidam putant, cum dicitur turrim eo cõſilio inſtitutam, *vt apex cœlum attingeret*, orationem eſſe hyperbolicam. A qua ego ſententia non abhorreo. Huiuſmodi enim hyperbolarum magnus eſt numerus in ſacris. Lucas dicit *totum terrarum orbem cenſum eſſe ab Auguſto*: quod de plurimis gentibus & tota America falſum eſt. Ita Iohan. ait, *totum mũdum non poſſe capere libros de miraculis Chriſti*, &c. Vtvt ſit, conſtat fuiſſe ſignum ingentis rebellionis.[c] placet mihi ſentẽtia Ioſephi. Is ait man-

[c] *Quidam aiunt, ædificaſſe turrim, ne ſi denuo diluuium oriretur, perirent. Sed cauſa vera eſt ſuperbia & ambitio.*

datum eſſe poſteris Noah vt diſcederẽt in prouincias,ſed ipſos recuſaſſe ac noluiſſe,ſimulq; habitare voluiſſe. Fortaſſe dixerunt nolle ſe ita diuelli, cum ſint ſanguine iuncti, nec ſe poſſe carere hac mutuâ conſuetudine & familiaritate. Cum ergò ii s proponeretur Dei mandatum, credo illos abuſos eſſe ſigno Iridis,& ratiocinatos eſſe; quia Deus Iride teſtatus ſit, ſe mundum non amplius aquâ perditurum, idcircò impunè ſe Deo oppoſituros. Coniectura hæc conuenit cum voce Nimrod, quæ ſignificat *rebellabimus*; licèt alii velint ſignificari amarã dominationẽ, vt Melanch. Prior ſententia eſt verior. Vnde etiam veriſimile eſt Nimrodũ auctorẽ eſſe huius turris: ac dixiſſe, *Deus iubet vt abeamus; ſed nolumus*: Aut ſi abire cogamur, ſaltẽ non ita citò diſcedemus, ac prius momentum aliquod hîc ſtatuemus. Hæc turris nõ deleta eſt ex prophanorum ſcriptorum hiſtoriis. Nam aliud nihil eſt quam Gigantomachia, de qua Plato, Homerus,[b] libr.λ. item Poetæ. Aiunt impoſuiſſe illos Gigãtes Pelio Oſſam,[c] &c. Quomodo impedita ſit illa ædificatio, deſcribit Moſes, nimirũ per linguarum diuiſionem: qua in re admiranda Dei potẽtia apparet, qui non vi ipſos oppreſſit, ſed linguis, vt oſtẽderet ſe variis modis punire poſſe, atq; iſtã, quã iactabant familiaritatem, & amicitiam facilè extinguere. Quidam tamen turrim dirutã eſſe, ac oppreſſiſſe Nimrodum ſcribunt. Qua in ſententia eſt Cedrenus & omnes Græci. ſi hoc eſſet certum, tũ conueniret cum Poetis, qui ſcribunt diſiectos eſſe gigantes & montes illos fulmine Iouis, *&c.*

[b] *Hom. ſub Oto & Ephialte deſcripſit.*

[c] *Virgil.* Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam.

Ad confuſionem linguarum quod attinet, dixi ante ex ſententia Fũccii quando ſit facta. Et apparet ex Sacris literis diuiſionem illam terrarum & linguarum non in idem tempus incidiſſe; ac fortaſſe, niſi homines fuiſſent rebelles, Deus nõ fuerat immiſſurus tã diuerſas linguas, quod piè credere poſſumus. Hinc linguarũ peti debet cõmendatio. Cũ

enim

enim ſumma ſit miſeria,&pœna Dei,non poſſe intelligere alios,sũma certe eſt præſtãtia, ornamentũ & felicitas,maximũq;Dei donũ(vt Apoſt.vocat) poſſe alios intelligere,nõ tuâ vernaculâ linguâ loquentes. Licèt.n.non ita ſubitò Deus nobis donet linguarum cognitionẽ, inſtrumẽta tamẽ ſuppeditat vt diſcere queamus. Quocirca maximus eſt Dei contemtus,linguarũ contemtio.Et impii ſunt iudicandi, qui linguas hodie contẽnunt. Tam.n. iã florẽt omnes linguæ,vt Hebræa, Latina, Græca, ne de aliis dicã,omnes ſimul citius queant addiſci, q̃ ante an^os 40. vnica ex his tribus acquiri potuerit. Credo nũc reperiri doctos homines in Europa, qui,ſi Cicero & Varro viuerẽt, poſſent cũ ipſis diſputare de proprietate linguæ. Vt in Latina lingua eſt *Sigonius, Làbinus*,&c. Hæc linguarũ diuerſitas, haud dubiè p̃cipua eſt cauſa cur res antiquiſſimas ignoremus,vt ſupra etiam docui. P.3.℣. 8, *ab eoq; tempore*]Nihil certi poſſum dicere. Si ſequimur cõmunẽ rationẽ,vt & Fũccius, annus eſt,vt dicit Sleidan. 131. Sat eſt ſcire diuiſionẽ linguarũ nõ factam eſſe ſtatim,vbi diuiſa eſt terra. Aliàs à diluuio ad Nimrodum ſunt anni 122. ib. *Chaldai & Babylonici*] Non ſunt iidem Chaldæi & Aſſyrii, vt docebo in Geograph. ib. *Babylonici*] Huius regni vſq; ad Sardanapalũ, nil habemus quidquã certi. Fortè Deus tantũ voluit patefacere, quę nobis ſcitu ſunt vtilia & neceſſaria. Si quis tamẽ delectetur fabulis, quæ de Nimrodo & aliis feruntur, legat Pſeudo-Beroſum , itẽ nugas illas Annianas De antiquit. Italiæ. Jch glaub er hab mit dem Beroſo in die wedt gelogen. Cõparate vobis Dionyſ. Halicarnaſſæũ valde egregiũ ſcriptorem, eumq; legite. Is rectè ſcripſit de Italiæ antiquitat. Fuit σύγχρονος Liuii.

ib. *Nimrod.*] ſignificat, vt dixi, *Rebellabimus.*

L v 1.] Nulli de hac re conſtat. Vide Beroſ.

ib. *robuſtum venatorem*] i. oppreſſorem populi.

Conſtat enim hæc non dici vt laudetur Nimrod, ſed vt vituperetnr. Veriſimile eſt ipſum inſtituiſſe gubernationem quæ non conſtaret legitimè: Itaque oppreſſiſſe homines, vt ſolent venatores beſtias: Aug. lib. 16. de ciuit. Dei c. 4. Melanchthon aliam adfert interpretationem in fine lib. i. ſuorum Chronic. Vocatur à Moſe *Gibbec*. quod veteres expreſſerunt *Gigas*; quod ego exiſtimo magis ad robur, quam ad corporis quantitatem pertinere.

Ib. *Saturnum*] Græci voluerunt ſuos ad Chriſtianiſmum vocare: ac ideo oſtenderũt diabolum fingere huiuſmodi fabulas. Vide Clement. Iuſt. Martyr. Euſebium. Hi etiam oſtenderunt quam colant Aſtariam eſſe venerem. Illa collatio vtilis fuit Græcis, vt ſuo loco oſtendam.

Ib. anno XLV.] Hæc deſumpta ex Beroſo. *Coloniarum*] Colonia eſt, cum ex certo loco deducuntur homines certo duce in alium locum. De hac re in Græcorum hiſtoria erit dicendum.

Medum] *Madai*. Medi à Babylone ſunt verſus ortum & ſeptentrionẽ. vide tab. 5. & 6. Aſiæ. verſus mare Caſpium ſupra Perſas. nam Perſæ fuerunt inferiores verſus ſeptentrionem. Summa: Quidquid à nobis verſus ortum ſolis eſt trans mare mediterraneum, id eſt in Aſia; ergo etiam Media, *&c.*

De hiſce reb. & vniuerſa Aſia inferius dicetur ad pag. 4. *in fin.*

Magogum] Quale id ſit regnum, difficile eſt pronunciare. Putant eſſe magnum Tartarum. Conſtat eſſe in ſeptentrionali parte Aſiæ.

Moſcum] *Meſech* Hebr. Moſcum imperium ſi credimus interpretibus, habet initiũ in Europæa Sarmatia. Moſci hodie etiam vltra Mæotidẽ paludem inhabitant, & vltra Tanaidem.

S. Scriptura] Geneſ. 10.

Niniue] Quidam putant Ninum & Niniuem eãdẽ eſſe vrbẽ, quod valde eſt probabile. Vide Ptol. tab. 5. Aſiæ. Fuit Niniue meridie melior q̃ Babylon priusq; vrbs magna & regia, teſte Diod. Sicul. fortaſſe Babylonem non ita maturè ſunt auſi frequentare homines recenti memoria cladis ibi acceptæ.

Nimrodo] Hic incipiunt fabulæ. Confer Diodor. Sicul. lib. 2. Græci monarchiam illam incœperunt non à Nimrodo, ſed à Nino. Ab eo deinde & Semiramide ferè continua eſt hiſtoria.

Belus] Iupiter varia habet nomina. Ipſi Græci non conſentiunt. Belum vocant *dominum*. Quod ad Iouem, diabolus maturè hoc egit, vt perſuaderet potentes eſſe Deos, idque obtinuit per multa ſecula. nam & apud Rom. ſunt imperatores in deorum numerum relati. Ita & Alexander paſſus eſt ſe nominari filium Mammonis. Longè rectius Ageſilaus, cum honores ipſi diuini deferrentur ac ſalutaretur Deus, reſpondit, *Is qui matulam mihi prabet hoc negat.*

Europæam] Nam duæ ſunt Sarmatiæ. Vna Europæa, altera Aſiatica, vt dicendum erit in Geographicis. Diuiduntur Tanai. vid. tab. 8. Europ.

Sagarum] non ſunt *Sagæ* in orbe terrarum, quocirca non credo vitium eſſe Sleidani, ſed typographi. Legendum eſt *Sacarum*. *Sacas* dicit Herodotus eſſe dictos Scythas. Inde ductum putat ſcutū, quo vtūtur Scythæ & Turcæ, qd' Σάκ☉, εος, τὸ vocitarūt, ein Dartſchen. Habitauerunt à mari Caſpio in oriente. Sunt illi qui dicūtur habuiſſe turrim lapideam. De his vide Ptol. tab. 7. & 8. Aſiæ. Comparate etiam libellum valdè egregium Dionyſii Aphri, qui excuſus eſt Baſileæ anno 1534. & memoriæ commendandus eſt. Totum enim terrarum orbem ſcitè deſcribit. In eum libellum ſcripſit Euſtath. quem de Sacis lege.

Pag. 4. ℣. 2. *Morte præpediretur*] * vide Beroſ. Iuſtinum. Ego nil affirmare poſſum. Dicunt eum dominandi cupiditate arſiſſe, & cum non poſſet alios ſubiugare, niſi ſubacto Sabatio rege Sacarum, clam ipſi inſidias ſtruxiſſe: quas cum Sabatius præſentiret, fugiſſe, ac in Sacis Caſpiis delituiſſe. Interim morte præuentum Belum, non potuiſſe Sabatium occidere, mandaſſe tamen Nino filio, vt

** Ninus conditæ Niniue ſummampotentiam ad Aſſyrios trāſtulit. Aſſyrii ergo tenuerunt Niniuē & Babylonem, vſque ad Merodachum.*

o Diluuium finis 1656. poſt id natus Abraham anno 292. ergò natus an^o mundi 1948. excluſiuè Probo quod 292. annis poſt diluuiũ natus ſit ex Geneſ. c. 11. A^o 2. poſt diluuium natus Arpachſad. 35. Arpachſad genuit Selah. 30. Selah genuit Eber. 34. Eber genuit Peleg. 30. Peleg genuit Reu. 32. Reu genuit Serug. 30. Serug genuit Nahor. 29. Nahor genuit Therah. 70. Therah genuit Abram. Hi anni faciunt 292. poſt diluuium.

poſt ſuam mortem Sabatium deleret: quod etiam factum ſit Semiramidis tempore, &c. Quidam dicunt Zoroaſtrum eſſe ſubactum ab eo. Sed hæc valde ſunt incerta. Qui plura de Nino & Semiramide cupit, legat Herodotum & Dionyſ. Siculum. Attingam autem & ego quædam in Sardanapali rebus.

ib. *Trecentis quinquaginta*] teſte Moſe, Geneſ. 9.

ib. *& duodeuigeſimo*] Poſito, diluuium incidiſſe in annum 1656. facile eſt inuenire quoto anno natus ſit Abraham. o Huiuſmodi terminos vocant *Æras*. Sic diluuiũm vna eſt æra; ad Abrahamum vſque eſt alia: inde ad Moſen alia, &c. His pro compendio in hiſtoriis vtimur. Exempli gratia: Si tradenda eſſet hiſtoria Rom. æra conſtitui poſſet prima ab vrbe condita vſque ad Coſſ. A Coſſ. ad tribunos militum alia, inde ad bellum Pyrrhi, &c. Vnde ſumptum ſit vocabulum *Æra*, Grammatici certant. Citatur ad hanc rem locus Feſti Pomp. ſed mutilatus eſt. Sepulueda Hiſpanus in ea fuit opinione, æram eſſe dictam inde, quòd nobilibus hiſtoriis annotabant A. E. A. hoc eſt: *Annus erat ab V.C. deleta Carthagine*, &c. Has tres literas putat contractas inſcitia hominũ in vnam vocem. A qua ego ſententia non abhorreo. Eiuſmodi plura reperiuntur exempla: vt cum ſcribere voluerunt Rom. aliquid eſſe factum XI. die Ianuar. ſcripſerunt *A. D. III. Id. Ianuar.* i. Ante diem tertium Id. Ianuar. quas literas inepti contraxerunt, & fecerunt AD. Ita apud Valerium Probum multa ſunt corrupta. De qua re videre poteris Orthographiam Manutii P. F.

Sed redeamus ad rem. Æra & terminus ſit pro hypotheſi, diluuium incidiſſe in annum mundi 1656. Quoto ergo anno natus ſit Abraham, non difficile eſt iudicare. Numeri enim omnes ponuntur vſque ad Natiuitatem Abrahæ in cap. 11. Geneſ. qui computati efficiunt 292. poſt diluuiũ, h. e. an-

num

num mundi 1948, ſeu 1949. ſi incluſiuè intelligas. Græci hîc longè aberrant. Ponunt enim annos à diluuio ad natalem Abrahæ 1720. h. e. mundi 3962. in quo numero redundant 1428. anni. b Nicephorus numerat annos a diluuio mundi ad Abrahamũ natum 1082. vbi redundant 790. anni. Cauſam cur tantopere errent Græci, ſuperius indicaui. Sed licèt ſemper centum addas, non tamen conueniet ipſorum numerus. Eſto ergò hæc æra certa, natum eſſe Abrahamum poſt diluuium anno 292.

b *Ex Epiphanio Camerarius & alii numerant annos* 1040.

Quod autem duodeuigeſimo circiter anno Abraham reliquerit ſuam patriam, facile eſt ſupputare. Nam anno 292. poſt diluuium natus eſt. Anno 75. digreſſus eſt à Charam, hoc eſt, anno poſt diluuium 367. Vixit autem Noah poſt diluuium annis 350. Geneſ. 9. ſubtrahe igitur 350. ab 367. habebis annos 17. quos ſi completos ſumas, id eſt, excluſiuè, ſunt anni octodecim circiter; vt dicit Sleidanus.

Porro conſtat ab initio Abrahamum inhabitaſſe terram Chaldæorum. Ioſuæ 24. & Geneſ. 11. nominatur ipſius patria *Vr*, vel *Vra* vrbs Chaldaica. Dicunt quidam ignem ibi adoratum eſſe, &c. Ex hac Vr egreſſum Moſes teſtatur profectumque Haran, vt inde digrederetur in terram Chanaam. Ergo ex Vr primitus eſt vocatus, non ex Haram, & in Vr Chaldæorum accepit promiſſionem. Hoc diſertè affirmat Stephanus Actorum capite 7. inquiens: *Deus gloria viſus eſt patri noſtro Abraham cum eſſet in Meſopotamia, priusquam moraretur in Charram. Et dixi illi, Exi de terra tua, &c.* Illo autem in loco Stephanus Meſopotamiæ vocem & Chaldææ & Meſopotamiæ tribuit, ſed tamen apertè diſtinguit dicens: *antequam in Charram moraretur*, &c. Quod ergò ſequitur capite duodecimo Geneſ. Abrahamum fuiſſe 75. annorum, cum egrederetur ex Charram, intelligendum

erit, Abrahamum poſtquam Uram deſeruit, apud Charras in itinere hęſiſſe quinquennio, deinde demum profectionem inſtituiſſe in Chanaan.

Ibid. *decimus à Noah*] Verum eſt excluſiue, i. ſi Semum numeres pro primo. vide Gen. c. 11.

Ib. *Patriam relinquit*] Imò potius anno 70. patriam reliquit. Haram quidem reliquit anno 75. Gen. 12. Xylander putat Abrahami patriam fuiſſe in Meſopotamia, quæ alias vocatur a Græcis *Adiabene*, quia non tranſiri queat ob nobilia flumina. Charam autem vnde egreſſus eſt, omnes docti putant eſſe Charras, vbi M. Craſſus eſt interfectus. Vide tab. 4. Aſiæ apud Ptol.

Vigeſimo quarto] Nam anno 75. reliquit Haram, & anno 99. fœdus iſtud fecit. Gen. 17. Subtrahe 75. de 99. ſunt 24. anni intermedii. Notandum autem hic, quod in idem tempus incidit deletio Sodomiæ. Magnum eſt ſolatium, quod cum ſceleratos homines deleuit, eodem tempore cum piis hominibus fœdus percuſſit.

Centeſimo] Geneſ. 21. Obſeruandum autem hîc, quàm variè Deus tentarit fidem Abrahæ. Cum vocaret Abrahamum ex patria, promiſit ipſe, ſe eum in gentem magnum facturum, &c. Geneſ. 12. At vxorem habuit ſterilem, & effœtam: præterea cum natus eſſet Iſaac, in quo fuerat facta promiſſio, iuſſus eſt eum interficere, &c.

Ib. 75.] Nam vixit Abraham annos 175. & anno 100. genuit Iſaacum. Ergo vixit poſt natũ Iſaacum annos 75. Geneſ. 25.

Ib. *Quomodo nepos eius*] De Iacobo, Eſao, Iſmaële & aliis rebus nec ego attingam.

Vide inferius ſtatim. Ibid. *aliquot ſeculis*] Per annos 105. vel ſecundum alios 140. aut 144. Ex. 12. dicitur quod habitatio fuerit annorum 430. qui tamē numerus ſe ad omnes peregrinationis patrum annos extendit, ac per ſynecdochen accommodatur habitationi filiorum Iſraëlis in Ægypto.

1454.

2454.] Verum eſt, ſi incipias ab anno Abrahæ 75. At ſi ab anno 70. incipias, quo tempore primum eſt vocatus, ſunt tantum anni 2448.

Ib. *poſt promiſſionem*] promiſſio facta eſt anno 70. non 75. Itaque oportet ſupputare ab anno 70. Sic autem pulcherrimè colliguntur anni promiſſionis factæ & peregrinationis eius atq; Patrum 430. Nã à 70. anno Abrahæ vſque ad 100. quo natus eſt Iſaac, ſunt anni 30. inde ad egreſſum ex Ægypto 400. Itaq; in vniuerſum anni ſunt 430. Hæc ex ſententia D. Bullingeri. Ita ad deſcenſum in Ægyptum, eſſent anni 220. & manſio foret 210. ſicut etiam Iudæi volunt. Nam à promiſſione facta ad natum Iſaac numerat annos 30. Anno autem 60. Iſaaci natus eſt Iacob. Et Iacob deſcendit in Ægyptum anno ætatis 130. quæ in vnam ſummam collecta, faciunt 220. Deſunt ergò à 430. adhuc 210. quo tempore manſiſſent in Ægypto, licèt tum nondum ſint afflicti, ſed in ſummo honore habiti. Ita incidit exitus ex Ægypto in annum mundi 2448.

Verum D. Xylander hîc multum diſſentit à Bullingero, & Iudæis: nec exiſtimat primam factam eſſe promiſſionem in Ur Chaldæorum. Non enim annotantur anni, quot ibi fuerit, nec expreſſa aliqua deſcribitur promiſſio c. 11. Geneſ. ſed demum in 12. cap. proponitur, quam etiam promiſſionem ſtatim ſecuta eſt deſcenſio Abrahami in Ægyptum. a Deſcribitur item, quot fuerit annos natus cum fieret promiſſio, nimirum 75, *&c.* At nil expreſſum, quando ſit egreſſus ex Ur. Hîc autem magna controuerſia oritur de habitatione filiorum Iſrael in Ægypto: quam rem etiam ſupra paucis attigi. Cauſa huius quæſtionis, ſunt loca quædam in Sacris, in ſpeciem ſecum pugnantia. Paulus ad Galat. cap. 3. legem eſſe latam dicit 430. annis poſt promiſſionem factam b. Exod. 12. ſcribitur 430. annis habitaſſe populum Iſraeliticum in Miſraim;

a tanquam primitiae ærumnarum in ſpe toleran-darum.

b Hinc validum eſt argumentum nos gratiâ iuſtificari, non lege; quia promiſſio Abrahamo prius data eſt.

h.e.in Ægypto. Geneſ.12. in vaticinio tantum continentur 400. & totidem in Act. Apoſt. c.7.

Sunt quidam, vt Genebrardus Theologus Pariſienſis in ſua Chronologia, exiſtimantes filios Iſrael per 430. integros habitaſſe in Ægypto, non tantum 210. vt Iudæi velint, &c. ſed Monachum illum vehementer decipi, facilè poteſt oſtendi ex c. 6. Exodi. Nam Cahad auus Moſe cum Iacob deſcendit in Ægyptum. Geneſ.46. & vixit annis omnino 133. filius eius Amram pater Moſis annis 137. Moſe 89. vſque ad exitum. Hi anni iuncti non amplius 350. efficiunt. At quæ fuit ætas Cahad deſcendentis in Ægyptum? quæ generantis filiũ Amram? Iterum, quæ ætas Amram, cum naſceretur Moſes? quod tempus collectum à dictis 350. foret ſubtrahẽdum. Ergo tempus habitationis in Ægypto non poteſt eſſe annorum 430. Vt certò ſciamus, quanto tempore fuerit populus Iſrael in Ægypto, oportet nos certam conſtituere æram. Æra hæc erit 430. anni, qui interceſſerunt inter promiſſionem & exitum: quia hîc numerus exprimitur Gal.3. Exod. 12. Iam conſtat Iacobũ veniſſe in Ægyptum anno Mundi 2239. Nam Abrahamus natus eſt a° Mũdi (vt ſuperius oſtẽdi) 1949. Anno 75. promiſſio facta, h.e. anno mũdi 2024. poſt promiſſionẽ natus Iſaac anno 25. h.e. mundi 2049. Anno Iſaaci 60. natus eſt Iacob, h.e. mundi 2109. Iacob autem deſcẽdit in Ægyptum anno ætatis 130. adde ad 2109. reperies 2239: ſeu à prima promiſſione 215. Subducas enim 2024. quo anno facta promiſſio, à 2239. quo anno exiuit, relinquentur 215. ſubducas iam 215. à 430. quibus definitum fuit exilium ſeu peregrinatio, & relinquuntur 215. quo tempore manſerunt in Ægypto. Ex.12.

Anno

Inſpice hanc tabellam.

Anno Mundi.	
1949.	Natus Abraham.
2049.	Natus Iſaac.
2109.	Natus Iacob Iſaaco ſexagenario.
2239.	Deſcēdit in Ægyp. anno æt. 130.
2454.	Exitus Iſraël ex Ægypto.

Quod attinet ad 430. annos, puto exactè & præciſè poſitū ad Gal. nam Paulus cū ſcriberet ad Galatas, neceſſe habuit maximè ob Pſeudo-Iudęos ita ſcribere, vt ne in reprehenſionē incurreret. Deinde reſpexit ad numerū Ex. 12. vbi dicitur manſiſſe tot annis in Ægypto. Quòd aūt in oraculo Gen. 12. & Act. 7. 400. anni dicūtur, hoc nō inſolēs eſt, vt numerus rotūdus ponatur pro certo aliquo numero, omiſſis minutis partib. Quāuis etiā extiterint exempla, quæ habent 430. vt annotauit Beza. Sed cōſtat, ſæpè numeros poſitos eſſe nō ita expreſsè. At in Exodo hiſtoricè anni numerātur. Et Paulus adduxit argumentū à tēpore. Diligēter hîc cōſiderādū eſt, in textu Vaticinii nō dici 400. annos debuiſſe ſemen eſſe captiuum in Ægypto. Nam ſi ſcriptū eſſet, *In Ægypto*, crederem. Apertè verò ſcriptū eſt *In terra aliena*, vt & in Act. Potes ergò cōprehendere alias quoque regiones pręter Ægyptum. Ad hæc conſtat Ioſephum ſaluis adhuc reb. populi Iſraelitici deceſſiſſe, vt ne hic quidem numerus 215. integer maneat afflictionis tempori. Nam dicitur nouus Rex ſucceſſiſſe, qui non nouerit Ioſephum: nō nouiſſe autem apud Hebræos ſignificat *improbare*. Ita in N. Teſtamento Mat. 7. *Non noui vos*: certe omnes nouit. Sic Germani dicūt: Er kent mich nit mehr. Et in Chaldaica verſione dicitur, *Ioſephicas conſtitutiones eſſe antiquatas*. Itaq; non ſtatim à deſcēſu debes numerare annos afflictionis. Nam nec Iacobus, nec Ioſephus aliquid mali ſenſerūt. Ioſephus mortuus eſt 54. aº poſt mortē patris, aº mūdi 2310. Hoc eò ptinet, vt intelligas nō malè egiſſe eos, qui incœperūt, 430. illos annos à promiſſione illa 1ª facta Abrahamo. Iſaacus nō venit in Ægy-

ptum,& tamen de eo quoque dicitur vaticinium: alias exciperetur ſemen Abrahę. Cum igitur facit mentionem Deus Ægypti, tantùm nominat maximam calamitatem, κατ' ἐξοχὴν, quia tunc totus populus Iſraeliticus erat in Ægypto. Ita pertinent anni 430. ad omnes calamitates, quas pertulerũt à promiſſione facta. Sic, *Manere in Ægypto*, eſt exſpectare aditum ad terram Chanaam.

Poſſet quis obiicere: ſcriptum eſt, *Semen tuum debet eſſe in terra, non ſua*, &c. R. non eſt inſolens vt ab ipſo cuius ſemini promittitur, eius rei fiat initium. Vt illa decimatio incœpit ab Abrahamo, quę tamen debebat incipere à Leui. Abrahamus cœperat dare decimas Melchiſedeco. At demũ cõſtituit, vt Leui deberet accipere. Res nota ex epiſtola ad Hebræos, c. 7. Eſt hæc ſententia valdè probabilis; nam promiſſionem Abrahamo factam, ſtatim eſt ſubſecutum, vt cogeretur ob famem in Ægyptũ proficiſci. Itaque ſæpe fit vt Deus ab ipſis incipiat, quorum ſemini promiſit.

Porrò, quod ſupra monſtratum eſt annos habitationis in Ægypto fuiſſe 215. & totidem à prima facta promiſſione, id Funccius non putat carere myſterio. Anni præcisè 215. ſunt habitationis in Ægypto. Reliqui 215. tribuuntur iis ærumnis, quas pertulerant Abrahamus, Iſaacus, & ante deſcenſum Iacobus cum ſuis, dum etiam in promiſſa terra tanquam prorſus aliena fuerunt. Atque huc pertinent, quæ de Abrahamo & eius poſteritate ad Hebræos 11. cap. referuntur, quomodo in ſua terra exſulauerint, quo patriam perennem quæſiuerint, &c.

Hactenus dictis optimè calculus reſpondet. Diluuii annus 1657. Abrahamus natus 292. poſt diluuium. Eius anno 100. natus Iſaac. Iacob 50. anno Iſaaci Omnia in Geneſi deſcribuntur. Venit in Ægyptum annos natus 130. Si conducatur in ſummam

mam ſunt 2239. iam conſtat Abrahamum accepiſſe primam promiſſionem anno mundi 2024. & migraſſe Carris in terram Chanaam. Adde illos 400. & 30. annos, ſumma perfectiſſimè efficiet illum numerum 2454. exitus Iſraelis. Et hic numerus per partes colligi poteſt, hoc modo. A promiſſione ad Iſaacum ſunt 25. anni. Ab Iſaaco ad Iacobum 60. Iacobus annos natus 130. deſcendit in Ægyptum: contrahe, habes 215. à promiſſione ad deſcenſum. Adde 215. à deſcenſu ad exitum, habes 430. rotundè. Ergò optimè congruit calculus Funccianus cũ calculo Moſis & Pauli. Huc pertinent quæ dicuntur de Abrahamo in c. 11. ad Hebr.

Antequam vlterius pergam, hîc quædam ſunt dicenda de ſitu & amplitudine regni Babylonici, quod ſupra me facturum promiſi, vt res Babyloniorum & Chaldæorum rectius intelligantur. Et quia hæ regiones in Aſia ſitæ, primùm de Aſia dicendum aliquid foret, ſed cùm iſta in Coſmographicis deſcribantur, inde repetere potes. Monarchias in Aſia cœpiſſe, dubium non eſt. Babylonica enim monarchia in Aſia fuit. Cuius fines apparet ex Sleidano latè fuiſſe extenſos verſus Septentrionem & Ortum: quod prodeſt ad peregrinationes Patrum rectè intelligendas cognoſcere [e].

[e] *Iacob Geneſ. 32. Iordanem tranſiit. Fuit ergo lõgum iter verſus Septentrionem in Padam Aram, &c.*

Babylonis (quæ vrbs ab initio non magna fuit, quæ etiã, vt apparet primò Niniue magis culta fuit) longitudo eſt gr. 79. Sacæ verſus Orientem diſtant à Babylonis 56 gr. Tanta non eſt latitudo totius Germaniæ cum Vngaria. Neque Flandriæ in Pruſſiam vſque diſtantia longitudinis æquat huius lõgitudinis ſemiſſem. Deinde latitudo Babylonis eſt 35. gr. Sacæ aũt ponuntur 45. gr. habere. i. verſus Septentrionem integris 10. gradibus diſtare; h. e. circiter milliaribus Germanicis 150. Vide tab. 7. & 8 Aſiæ apud Ptol. (ſed de inueniendis diſtantiis locorum ſuo loco) Ergo maximum fuit, etiam primis illis temporibus, regni Babylonici incremen-

tum. Reliqua in Geographicis. Redeamus nunc ad textum.

ib. ỷ. vlt. *Poſt Moſen Iudices*] de Iudicum tempore magnę incidũt difficultates & quęſtiones, quas vt amoliamur, rurſus hîc æram cõſtituemus in ſacris literis expreſſam. 3. Reg. 6. ſcribitur, ab exitu ex Ægypto vſque ad ædificationem primam templi Salomonis effluxiſſe annos 480. Omiſſis vero Græcis, qui multum ab hoc numero aberrant (vt Clemens Alexandrinus, qui lib. 1. Stromatum 87. annis verum numerum excedit) cogitabimus quænam liqueant, quæ non: & à notis progrediemur ad ignota, hoc modo.

Quarto anno Solomonis ineunte, cœptum ædificari Templum. Deme triennium, habes 477. tunc ergò cœpit regnare Solomon. Aufer rurſus pro Dauide 40. Totidem pro Samuele & Saule; alios 40. pro Eli (hoc eſt quod dixi debere nos retrogredi.) Rurſus pro Moſis annis ab exitu alios 40. Hæc omnia conſtant ex Sacris. Hanc ſummam ſubtrahe de 477. annis, habebis rem expeditam: ſic ratiocinando reſtant anni 317. diuidendi inter Iudices & illud tempus, quo defunctus eſt Moſes. Saſoni dantur 20. Abdoni 8. Elloni 10. Iphano 7. Iepthe 6. Intetregno dãtur 18. Iairo 22. Tholę 23. Abimelecho 3. Gedeoni 40. Baroco & Deboræ 40. Aodo quem vocant *Ehud*, 80. Summa 277. annorum. Debebant eſſe 317. Ergò relinquuntur 40. qui tribuẽdi ſunt Ioſuæ, & Othon. gubernationi poſt mortem Moſis. Duo hîc ſunt, quæ hunc calculum implicant; 1. quòd non expreſſè ſubiicitur, quã diu Ioſua & Othoniel gubernarint; 2. quod Græci non ſecuti ſunt tenorem: ſed ſeorſum numerant annos tyrannidis, inter annos Iudicum comprehendendos: quod fieri non debet. Ita nimirum 87. annis amplius iuſto perficitur numerus. Quomodo diſtinguamus, quamdiu gubernarit Ioſua

non

non poſſum certò dicere. Ioſephus, cui multum tribuendum eſt, libr. 5. capite primo De antiquit. tribuit 25. annos Ioſuæ, ergò Othonieli 15. relinquuntur. Clemens Alexandrinus tribuit Ioſuæ 27. quod facit vt facilius poſſim credere Ioſepho; quia non multum ab ipſo abeſt Clemens. Vtut ſit, conſtat 40. annos regnaſſe. Ergò nulla iam reſtat difficultas, cùm conſtet ipſos regnaſſe annos 40. Non enim ſcribitur quod in afflictionibus caruerint Magiſtratu: & quod tyrannorum in Iſraelitas impreſſionibus & vexationibus certi attribuuntur anni, non tribuuntur, quaſi eo tempore non habuerint Iſraelitæ Magiſtratum. Licèt enim Deus non conceſſerit, vt poſſet ſe vindicare ille Magiſtratus de hoſtibus. Itaque ſi addas annos 8. ſub afflictione Cuſanrathaim Syri; & 18. quos Egloni Moabitæ ſeruiuit Iſraeliticus populus, & plures alios, vt facit Clemens, certè multum errabis.

P. 5. ỷ. 2, *Nunc ad Babylonicum*] Qui plura de his rebus cupit cognoſcere, præſertim de Nino & Semiramide, legat Herodotum & Diodorum Siculum Scriptorem optimum: qui in principio libri ſecundi ſcribit: Ninum maximas res geſſiſſe, ac veteres Reges nec nomen reliquiſſe, neque memoriam. Subegit autem Ninus totam ferè Aſiam.

Hîc monendum eſt, quæ in Chronologiis de rebus Sicyoniorum, Argiuorum, Italorum, Hiſpanorum, Athenienſium, Ægyptiorum, aliorumque, &c. adferuntur, eſſe meras ferè fabulas. De quibus verò aliquid certi conſtat, ea ex probatis auctoribus ſuo loco proferemus.

ib. *Vxor Semiramis*] lege librum 2. Diod. Siculi, quem auctorē etiam veteres Chriſtiani maximi fecerunt, vt eum, qui ſummo iudicio ex omnibus hiſtoriis ſuam confecerit Bibliothecam.

Græci Scriptores, vt eſt Cedrenus, Zonara, Ni-

cephorus, & alii dicunt Semiramidem fuiſſe *σύγχρονον* Abrahami: Ex quo apparet, non ita diu poſt diluuium fuiſſe regnum Babylonis confirmatum, & Ninum Nimrodi nepotem eſſe potuiſſe. Cedrenus ait *Rheam* eſſe vocatam Semiramidem, ſeu matrem Deorum. Nam maturè hanc opinionẽ & arrogantiam hominibus iniecit Diabolus, vt cũ magnas haberent diuitias, ſe pro diis venditarent: cuius etiam rei ſupra eſt facta mentio. Hoc maximè eſt obſeruandum, quod Plutarchus in Erotico (cum alii dicant eam fuiſſe vxorem [b] Nini, vt etiam vocat Sleidanus, alii *pellicem*) haud dubiè grauem aliquem ſcriptorem, forte Cteſiam, ſecutus ſcribit: Eam fuiſſe Syram patriâ, & tantum pellicẽ Nini, quam formæ cauſa adamauerit; illam verò fretam ſuâ formâ auſam fuiſſe a Nino petere, vt per vnam tantum diem ſibi ius dicere in tribunali concederet: Ninum id permiſiſſe. Cumque ipſa initio leuia quædam imperans, videret Satellites omnia iuſſa promtè expedire, atque dicto eſſe audientes, iuſſiſſe etiam vt regem coniicerent in vincula, atque tandem necarent: itaque eam eſſe ſummarerum potitam per aſtutiam. Fortaſſe Ninus tantis rebus geſtis, tandem ebrius (vt ille ait) fortunâ dulci, ſeſe voluptatibus dedidit, ſicut & alii fecere. Multi poterant maxima ſibi regna, quidam pænè totum terræ orbem ſubiicere, ſed voluptates vincere nequiuerunt. Notum eſt, quid egerit in Campania Annibalis exercitus inuictus ante, & qui Alpes inacceſſas antea ſuperaſſet.

Plutarchus in Apophthegmatis ſcribit, Semiramidem ſepulcrum ſuum ornaſſe tali inſcriptione: *Si quis rex veniat, & opus habeat pecuniis, aperiat hunc tumulum & inueniet*: Quod cum legiſſet poſtmodum Darius, ſtatim monumentum recluſiſſe dicitur, atque ibi non pecuniam, ſed tabulam repoſitam inueniſſe, in qua ſcriptum erat: *Niſi fuiſſes homo auarus, nunquam recluſiſſes opum gratia mortuorum*

[b] *Iuſtinus cẽſet fuiſſe vxorem, ſed tamẽ aſtu regnum occupaſſe dicit; mentiendo ſe puerum Ninum, cui admodũ fuerit ſimilis ſtaturâ & lineamentis. Tandem verò cũ multa præclariſſimè geſſiſſet, declaraſſe quæ ſit, atque ob facta ſua retinuiſſe imperii dignitatem.*

tuorum ſepulcra. Semiramidem cum Sardanapalo confert Plutarch. in Orat. 2. De Alexand Mag. virtute ac fortuna. De qua re paulò pòſt: cum de Sardanapalo dicetur.

Quod de Semiramidis aſtutia, videtur etiam innuere Ouid. in lib. quodam Amorum; vbi dicit fuiſſe pulcherrimam fœminam. *Qualiter in thalamos*, &c. Videtur ergò ob formam dilecta. Si autem verum eſt, vt admodum eſt probabile, illam regnum occupaſſe aſtu, fecit hoc propter filium haud dubiè, vt faceret eum hæredem regni.

ib. *Babylonem oppidum*] Quomodo Babylonem ædificarit, & quis fuerit ſitus, copioſè deſcribitur apud Herod. lib. 1.

ib. *Vrbem effecit*] Idem ſcribit Diodorus Siculus ſcriptor, cui omnes docti plurimum tribuunt. Nam ſuam hiſtoriam ex aliis ſummo cum iudicio congeſſit.

India] De India commodè dicetur in rebus Alexandri Magni.

Zameis] Is dicitur à Diodoro Siculo & Athenæo graui ſcriptore (qui & ipſe nobis quæ tradidit, ea antiquitatis & optimorum ſcriptorum teſtimonio confirmat) *Ninias*, ſeu vt alii volunt *Ninyas*, filius Nini & Semiramidis: qui dicitur inſignis fuiſſe beſtia. Ac qualis fuerit, lege apud Diodor. & Athenæum libr. 12. Dipnoſoph. In ſumma, contentus rebus à matre partis in gynæceis vixit, & malè partis malè eſt vſus.

Hîc ergò conſidera quid ſit Mundus. Mulier egit fortiter, filius nil memorabile aut laude dignum geſſit.

ib. *Bactrianos & Caſpios*] De his locus erit dicendi in hiſtoria Alexandri Magni, qui has omnes regiones peruagatus eſt, & hiſtoriam nos oportebit per chartas proſequi. Caſpium mare (quod vocant *De Bachavv* & *De Sala*) incluſum eſt terra. Fortè ita dicitur à ſecturis argentinariis. Nam,

נכסת ſignificat *pecuniam*.

ib. *Aralius*] Nil certi de hac re habemus.

ib. *Ideoq; Xerxes*] teſte Pſeudo-Beroſo. Qua in lingua Xerxes ſignificet victorem, neſcio. Vox non eſt Hebræa nec Græca. Si ſit Chaldaica, valde longè petita eſt.

Armatrites] ſi hæc certa auctoritate niterentur, obſeruanda eſſet viciſſitudo rerum, virtutum, & vitiorum, fortitudinis & ignauiæ. De hoc verò circulo & viciſſitudine dicendum erit in hiſtoria Romana: vbi alii otio dederunt ſe; alii verò plus militiam ſunt ſectati.

ib. *auſpicia*] Id fuit commune omnium Babyloniorum. Poſt defectiones à Deo ſemper primus gradus ad impietatem fuit Diuinatio. In Papatu id manifeſtum eſt. Nam certas obſeruant dies, præſertim diem Veneris, &c. Auſpicia Romani habuerunt ab Hetruſcis, Hetruſci à Lydis; hi à Babyloniis & Cilicibus.

ib. *Altadas*] Si grauis aliquis ſcriptor iſta ſcriberet, non deeſſet hoc loco materia dicendi. Sed de hac re habebimus exempla magis idonea. Si hoc ſenſit Altadas, quod hic traditur, rectè ſenſit ſecundum naturæ legem. Ac reuera ſi Principes cogitarent quid ſit gerere Magiſtratum, non ita eſſent ſoliciti de aliis ſibi populis ſubiiciendis. Vix poſſunt rectè paucis imperare.

P. 6. y. 5. *Mamitus*] Simile eſt exemplum in Numa Pompilio.

Beroſus] Quid de hoc libro ſit ſentiendum, monui ſupra. Extant multi libri falſo titulo, vt eò plus habeant auctoritatis, quod etiam huic Pſeudo-Beroſo accidiſſe exiſtimo. Ita ſub nomine Ariſtotelis multi libri prodiere, quorum ipſe auctor non fuit. Hic rurſus obſeruandæ ſunt æræ, propter ſupputationem regum Babyloniorum.

ib. *Ad Sardanapalum*] Babylonicum Regnum manſit integrum vſque ad Sardanapalum, poſtea dilace-

dilaceratum eſt[c]. Oportuit autem mutari regnum Babylonicum, vt poſſet conſtitui Monarchia Perſica: quia Deo ita placuit, vt incideret in regnũ Babylonis grauis aſſlictio populi Dei, ſicut erat prædictum, vtque in monarchia Perſica rurſus ab hac afflictione liberaretur. Quo ſignificatur eſſe monarcham aliquem, qui in variis mutationibus gubernet Eccleſiam. Itaq; non metuendum, ne pereat verbum Dei, ſi mutetur Magiſtratus. Interim obſeruandum eſt, quod Deus puniat iſtis mutationibus Principes, atque populum. Ita etiam res habet in Sardanapalo. Nam eius exitium, fuit initium regni Perſici. De tempore, quo acciderit iſta mutatio, in Oriente, Oſorius diligenter monuit (qui magna diligentia congeſſit ſuam hiſtoricam) is docet incidiſſe in primordia rerum Romanarum, licèt tum temporis nondum eſſet conſtituta Rom. Monarchia: quod etiam ex Velleio Paterculo ferè ab initio libri 1. colligi poteſt. Id tempus ferè incidit in excidium regni Samaritani. Collocatur autem Sardanapali interitus in annum mundi 3145. h. e. ante Romam conditam 68. Iam tunc inibat regnum Phocas, parer Amulii & Numitoris in Italia, in Occidente proauus Romuli. Ita ſimul ſata ſunt primordia rerum Rom. & Perſarum: ſimulque mutata eſt prima monarchia, & incœpta ſecunda quodam modo, & quartæ iacta à Deo ſemina. A templi ædificatione effluxerant iam anni 211. (Oſorium me ſequi & Paterculum dixi) à quo tempore regni Samaritani excidium diſtat annis 78. Hæque æræ ſunt obſeruandæ. Nam ab hoc Sardanapalo incipient ſe res orbis terrarum commiſcere. Subducti erant quidem Iſraelitis regibus Babyloniæ migrationibus Patrum, qui cum regnum id verſus orrum & Septentrionem extenderetur; verſus meridiem & Occaſum habitarunt: ſed poſtea ob ſcelera, quæ Deus punire voluit, rurſus ſunt commiſſi. Deus

[c] *Temporè Amaſiæ fuit Sardanapalus teſte Melanchth.*

ſemper iuſtas habet cauſas puniendi, ſed atrocia ſcelera euidenter punit, vt videre eſt in Sardanapalo hoc, item in Tarquinio, Alexandro Magno, &c. Sardanapalus à Iuſtino vocatur *Tonos Concoleros*: de quo ego nil habeo certi quod affirmem. Qualis verò fuerit hic Sardanapalus lege apud Athenæum lib. 12. & Diod. lib. 2. Hoc conſtat eum fuiſſe hominem extremi luxus. Inter cætera tamen ipſius facta hoc eſt præclarum, quod vna die duas vrbes maximas Tharſum & Anchialen condidiſſe fertur. Forte putauit deinde, quòd ſemel præclarè egerit, abundè ſe ſuo officio ſatis feciſſe.

Deſcribitur Sardanapalus ab Athenæo valde graphicè: quòd raſerit barbam, colum & lanam deſidens inter mulierculas tractarit, nec ſe vlli hominum conſpiciendum præbuerit; & vt vno dicam verbo, omnium hominum fuerit effœminatiſſimus, imò muliere, vt dicit Iuſtinus, corruptior. Cuius etiam rei eſt luculentiſſimum teſtimonium ipſius epitaphium, quod monumento inſcribi voluit, cuius ſumma (vt deſcribit Strabo lib. 14. & Arrianus libr. 2. de expedit. Alexand. M. qui fideliſſimè ſuam hiſtoriam conſcripſit, ac ob diligentiam & fidelitatem alter dictus eſt *Xenophon*) eſt hæc: Supra monumentum erat pictus homo complodens digitos ſeu edens ἀποκρότημα, ein Schnabel. vt oſtenderet res humanas eſſe nihil: Ratio fuit, quia nihil haberet præter ea, quæ edit & bibit. Verba [a] ita ſonant: *Ego ſum filius Cyndaraxis Sardanapalus, qui vna die condidi Anchialen & Tharſum. Ergo tu hoſpes, Ede, bibe, lude, cum quibus reliqua mortalium omnia non ſunt conferenda, neq; poſt mortem aliquid percipies.* Vel:

[a] *Cherilus vertit in Græcum ſermonem illud Aſſyriū Sardanapali epigramma.*

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Deliciis animum, poſt mortem nulla voluptas.

Addit Cic. in Tuſc. V. hos verſus, quos ipſe conuertit è Græco in Latinum:

Hæc habeo, quæ edi, quæq; exſaturata libido

Hauſit

Hauſit: at illa iacent multa, & præclara relicta.

Optimum ſcripſit Commentarium in hos verſus Cicero ex Ariſtotele, cum ait: *Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bouis, non in Regis ſepulchro inſcriberes?* Bene item refutat verſus: *Hæc habeo, quæ edi,* &c. inquiens: *Hæc habere ſe mortuum dicit quæ ne viuus quidem diutius habebat, quam fruebatur. Perinde enim res habet cum voluptate, ac ſi aquam comprahendas manibus, & te tenere putes.* Et 5 Tuſc. & libr. 2. De Finib. vbi ait: Corporis autem voluptas etiamſi præterita delectat, non intelligo cur Ariſtoteles Sardanapali epigramma tantopere derideat, in quo ille Rex Aſſyriæ glorietur ſe omnes ſecum lididinum voluptates abſtuliſſe. Quod enim ne viuus quidem, inquit, diutius ſentire poterat, quàm dum fruebatur, quomodo id potuit mortuo permanere? Fluit igitur voluptas corporis, & prima quæque auolat, vt aiebat, ſæpiusque relinquit cauſas pœnitendi, quàm recordandi. Exſtat elegans correctio horum verſuum Cratetis Philoſophi Cynici, vt apud quendam legi auctorem: cuius ſententia eſt: *Hæc habeo quæ didici, & cum Muſis venerabilia ſeu digna & grauia percepi: ſed multa, quæ dicuntur beata, debentur faſtui hominum.* Ceterum ob ἀκολασίαν regna euerti nil eſt noui. Ita Tarquinius regnum amiſit: ita Priamus, qui ferè toti minori Aſiæ imperauit, vt ex hiſtoria & Homero demonſtrat Strabo. Sardanapali facit mentionem D. Auguſtinus lib. 2. De ciuit. Dei cap. 20. Paterculus inter alia dicit fuiſſe eum trigeſimumtertiũ à Nino, ita vt ſemper ferè patri ſucceſſerit filius. Chronographi (vt Iuſtinus) extendũt regnum Aſſyrium vſq; ad Sardanapalum, ad annos 1300. Et certum eſt diu duraſſe id regnum.

ib. *effœminatiſſimus*] vt eum graphicè deſcribit Athenæus. Vide etiam Plutarchum in 2. orat. de Alexandri M. virt.

Plutarchi verba ſunt: Nam eadem potentia, e-

odem regno propoſito, Semiramis cum eſſet mulier, claſſes inſtruebat, legiones armabat, Babylonas condebat, rubrum mare circumuecta Æthiopes & Arabes ſubigebat. Sardanapalus virili natus ſexu, domi purpuram carpebat, inter pellices deſidens ſurſum erectis pedibus. Cui mortuo lapideum poſuerant ſimulacrum, barbarico modo ſibi ſaltantis, digitisq; ſupra caput comploſis crepitum edentis: inſcripſeruntque; *Ede, bibe, Veneri da operam, reliqua nihil ſunt.*

ib. *conſpectum*] Hoc idem ſcribit Iuſtinus; & Atheneus ait vix impetraſſe Arbacen ab Eunuchis Regis, vt ſibi conſpiciendum præberent Regem.

ib. *Medorum*] Satis procul aberant Medi, ſed tamen erant ſubiecti Babyloniis. Tharſus & Anchiale fuerunt vrbes Ciliciæ, itaque magnum fuit regnum. *Arbacem* alii vocant *Arſacem*, quia reges Parthorum vocantur *Arſacidæ*. Malo verò legere *Arbacen*; quia tum nondum fuit regnum Parthorum confirmatum.

ib. *Belochus*] [a] à Græcis dicitur *Beleſis*, vt à Diodoro Siculo & aliis. Hi duo diuiſerunt regnum, ſed ita, vt poſteà ipſi quoque congreſſi fuerint bello, & alter alterum interfecerit.

[a] *Belochus occupauit Babylonem & Niniuen.*

In ignem abiecit] [b] hæc ſententia eſt probatiſſima. Dicunt tamen quidam à Perſeo occiſum eſſe, & Perſeum condidiſſe Tharſum, ſed non credo. Notum eſt:

[b] *Plura vide de his in hiſtoria Regum Iſrael & Iuda.*

—— *& quidquid Græcia mendax*
Audet in hiſtoria. ——

Haud dubiè occaſionem dedit hominibus, vt è medio tolleretur. *Vt quidam ait*] Iuſtinus. Apud Athenæum eſt ex Cteſia ſumtum, Sardanapalum, cùm abſurdè voluptatibus indulſiſſet, quàm potuerit fortiſſimè occubuiſſe.

Priuſquam pergo in Sleidano, breuiter quædam ſunt dicenda de hiſtoria populi Iudaici (idque

que per breuem digreſſionem) de qua noſter auctor valde pauca dicit. Voluit. n. deſcribere monarchias, quæ apud populũ Iudaicum nunq̃ fuerunt, quia Deo nõ placet vt regnet in terris Eccleſia ſua, ſed voluit ſemper eam aliis parêre. Itaq; credo Sleidanum maluiſſe oſtendere quid quouis tempore acciderit populo Dei ſub Monarchiis, quàm vt recenſeret eius res geſtas. Nobis autem aliud eſt conſilium. Statuimus enim comparare hiſtorias alias maximè cùm hiſtoria populi Dei. De exitu Iſraelis eſt dictum, quòd inciderit in annum mundi 2454. Diuiſio terræ Chanaan facta anno 2494. Ab eo tempore vſque ad Samuelem debebant eſſe anni 450. vt dicitur Act. 13. Quod tamen nõ congruit cum Chronologia Bibliaca. Is locus exercuit multos doctos viros. Dicit Paulus poſt diuiſam terrã vſq; ad Samuelẽ annis circiter 450. fuiſſe datos Iudices populo Dei: deinde eos petiuiſſe regem, datum eſſe Saulẽ, &c. Lutherus pũtauit eſſe mendũ in numeris, & pro 400. annis legendũ 200. Id aũt non debemus temerè aſſerere, præſertim cũ ſit ſummus conſenſus codicum. Alii verò numerum non mutandum cenſent; ſed a promiſſione facta Abrahamo incipiũt ſupputare. Nam Paulus, quia ibi oſtendit omnia pertinuiſſe ad Chriſtum, tres metas hiſtoriæ populi Iudaici ponere videtur: quarum eſt prima, á promiſſione illa, vſq; ad impletionẽ promiſſionis, h.e. à promiſſo Iſaaco & poſteris eius, vſque ad poſſeſſionem terræ Chanaan. II. Ab eo tempore vſque ad Dauidem. III. A Dauide vſque ad Chriſtum. Ergò locus Pauli potius ambiguus eſt, quàm obſcurus. Verba illa καὶ μετὰ ταῦτα, interpretari poſſumus de omnib. iis eſſe dicta, quorum ſupra eſt facta mentio. Nã a nato Iſaaco vſq; ad diuiſionem terræ, intercesſerunt anni circiter 445. Hanc ſententiam amplector, quia non eſt tutum verba mutare. Samuel cœpit anno 2831. eſſe Iudex. Diſtributio incidit in annũ 2494. Si ergò

ſubtrahas, relinquentur 337. anni, h. e. Chronologia diſtat & à verbis 113. annis. Si autem eo modo interpreteris, vt dixi, nihil eſt obſcuritatis. Quinque enim tantum abeſſent anni. Ac valdè probabile eſt Paulum voluiſſe numerum rotundum proponere & 450. pro 445. ponere. Multa ſimilia exempla exſtant etiam apud prophanos ſcriptores, vt annotaui in libr. 1. Polybii. Ita exemplum habemus libr. 1. Strom. apud Clem. Alexand. In hiſtoriis dixi præcipuum eſſe ſynchroniſmos, qui tamen commodè non poſſunt tradi ante Ilii euerſionem: & puto hanc præcipuam eſſe cauſam, cur initia Romani Imperii ſint obſcura, quòd non fuerunt coniuncta cum hiſtoria populi Dei. In libr. 1. demum Machabæorum fit mentio Rom. liquida.

De regibus Ægypti nil adhuc poſſumus dicere; & tamen fit mentio Ægypti ſatis maturè. Nam & Abrahamus deſcendit in Ægyptum, & Iacobus, &c. Apud Herodot. multas habemus de regibus Ægypt. fabulas. Affinguntur iis multi anni, & ſi etiam annum pro menſe numeres, non potes in ordinem redigere. Si velis lege Herod. lib. 2. & Diodor. Sicul. libr. 1. Herodotus tamen potiùs videtur delectationis cauſa illa confinxiſſe. Quis fuerit rex Pharao, neſcio quo nomine appelletur, vel apud Herodotum, vel apud alios. (*Pharao* fuit primò commune regum Ægyptiorum nomen; poſtea vocati ſunt *Ptolomæi*. Sicut & reges Palæſtinæ omnes fuerunt appellati *Abimelech*, vt annotat Dauid Chimchi in Pſ. 34.) in quo *Achis*, ad quē Dauidus Saulis conſpectum fugiens (1. Sam. 21.) peruenit mutata facie; *Abimelechus* appellatur. Pſeudo-Beroſus eum vocat *Cenchren*: qui incantationibus Iudæorum circumuentus in mari perierit. Alii putarunt fuiſſe *Bochorin*. (Legite Ioſephi libros duos contra Appionem Grammaticum) Quicunque fuerit noſter Pharao, conſtat fuiſſe magnum regem,

regem,qui tantum populum potuit premere. Apud Philonem Iudæum eſt egregia explicatio miraculorum,quæ deſcripta ſunt in Sacris. Dixit omnia elementa eſſe facta inimica Ægyptiis. Si placet, lege fabulam apud Iuſtinum libr. 36. quomodo Iudæi ſint pulſi ex Ægypto ob lepram. De Moſe quis fuerit, & quomodo natus, legite Ioſephũ,qui multò plura ſcripſit,q̃ Moſes. (ſcribit ibi quomodo coronam deiecerit de capite aui, &c. quid egerit in pueritia,lib.2.cap.3.)quia Moſis cõſilium non fuit ſuam genealogiam fusè deſcribere. Multa ſunt conſideranda in tam nobili populo.Poſt liberationem ex Ægypto;habemus illuſtre exemplum, quàm nolit Deus ſibi legem præſcribi.Inuenitur ibi,quomodo ſæpe peccarit populus, quàm Deus patienter tulerit, & quàm etiam ſeuerè puniuerit: quod 40. annorum peregrinatio egregiè docet. Erant in ipſo introitu terræ promiſſæ,& poſtea ob flagitia repulſi ſunt per longos anfractus, vt videre eſt in Tilemanni Stellæ tabulis, qui omnium optimè hæc deſcripſit.Hiſtoriam diuiſionis in medio relinquo. In hiſtoria Iudicum ſpectandæ ſunt magnæ viciſſitudines. Cum afflicti fuerant,rurſum iuuit eos Deus, poſtea rurſum lapſi,& denuò liberati. Sæpè orta eſt ἀναρχία, & rurſus res rediit ad Iudices. Conſiderandum item,quomodo Deus & bonorum & malorum hominum opera vtatur ad id perficiendum, quod inſtituit, i.ad regnum Dauidis conſtituendum. In Republ. Rom. habebimus ſimile exemplũ mutatę formæ Reip.apud Polyb.lib. 6. optima eſt explicatio huius circuitus. Obiter etiam moneo, illas hiſtorias Iudicum legendas eſſe cum iudicio. Non omnium facta ſtatim ſunt culpanda, vt oſtendam in rebus quoque Themiſtoclis. Et certè ſi ſimpliciter eſſet iudicandum, dicerem Samſonem fuiſſe turpiſſimum ſcortatorem. Sed nos de illorum factis iudicare ita non debemus. Et temerarii ſunt,

qui temerè Samſonem etiam condemnatum eſſe non verentur aſſerere, cum nemo hominum norit, an Samſon & alii Deo placuerint.

Iudicibus ſucceſſerunt Reges. De regibus omnibus dicere nihil attinet. Sciēdum quod regnū per ſe non eſt mala conſtitutio; ſed quia homines ſunt ii qui regunt, ideò fit vt abuſus rem ipſam extenuet. In populo Dei non fuit per ſe malum habere regem, alias non placuiſſent multi Reges Deo. Et tamen conſtat malè feciſſe populum Iudaicum, quòd petiuerunt regem. Metuere aliàs non male potuerunt, ne filii Samuelis iam antè corrupti malè iudicaturi eſſent populum, atq; etiam hoc ſunt vſi prætextu. Sed reſpexerunt ad impiorum hominum exempla (quod ex ipſorum actione conſtat.) Nam 1. Sam. 8. cum Samuel iam ſenex ſuos filios Ioelem & Abiam Iudices conſtituiſſet, iique ambularent in lege Dei: tunc populus nolens ab ipſis iudicari, dixit: *Conſtitue nobis regem, ſicut & alia habent nationes*, &c. nec contenti Deo, ſecuti ſunt exempla impiorum: qua in re fuit manifeſta impietas. In illis tumultibus rixarum & diſputationum ferè non quærunt, quid verbo Dei ſit conſentaneum, ſed quis tandem veluti nouus Papa reliquis imperare debeat.

In Saule multa ſunt obſeruanda. Paulus vtitur vocabulo molli, [c] ſcilicet loco motum. Multa in eo reprehēdi poſſunt, quæ recitare nolo. Inter cætera notandum quanta fuerit in ipſo ingratitudo erga Deum, vt etiam Dei beneficia inuideret aliis. Debuiſſet maximis honoribus Dauidem afficere, quia Goliathum interfecerat. Quomodo inſidiatus ſit Dauidi omnes nouerunt. Addita eſt pertinacia in peccato. Faſſus eſt ipſe ſe iniuſtè agere. Item, contra expreſſum mandatum Dei non interfecit regem Agagum: itaque eſt repudiatus à Deo. Vide 1. Sam. 15.

[c] *Actor. 13.* *Ergo temerariū eſt affirmare Saulem eſſe condemnatum. Longe aliter fuit animatus Paulus qui cum audiret quoſdā Chriſtum ea potiſſimum de cauſa prædicaſſe, vt dolorem vinculis ipſius adferrent; tamē egit Deo gratias, quod vel hac occaſione Chriſtus prædicaretur. Phil. 1.*

Secu-

Secutus eſt Dauidus (vide Auguſt. in Epiſtola ad Marcellinum) qui oſtendit, quomodo & peccaretur in Deum, & quomodo reconciliari debeat Deus. Poſt eum ſecutus eſt Salomon, qui magna habuit dona Dei, ſed iis non eſt benè vſus. De Dauide non legitur, quòd ſe polluerit Idololatria. Verum conſtat ex Pſalm. quòd odio habuerit homines ſuperſtitioſos. Salomon fuit valdè ingratus. Nam & ſapientiâ fuerat ornatus, & opibus & gratiâ apud vicinos reges: ad hæc Deus dederat vt Templum exſtrueret, quem honorem denegarat Dauido. Qui volunt legere compendium eorum, quibus Deum offendit, legant cap. 11. libri 3. Reg. Ibi narratur, quot habuerit concubinas exteras, quos Deos gentium coluerit: inter cæteros mentioſit Comozi, quem conſtat fuiſſe Saturnū: & Aſtartē, quę fuit ♁. Ea fuit præcipua cauſa, cur paulatim conciderit ad interitum regnum. Primum facta eſt deceſſio, & defecerunt 10. Tribus à rege Hieroſolymitano, ſolis Iudæa & Beniaminæa cū pro rege agnoſcentibus: deinde alia ſubſecuta, quę in Bibliis deſcribuntur.

Ieroboamus addidit facinori facinus. Erat magnum ſcelus, quod cum ſciret deberi ſtirpi Dauidicæ regnum, tamen 10. tribus deficientes ſibi adiunxit: & prætendit, Prophetam prædixiſſe ſibi, futurum vt fieret Rex 10. Tribuum. Exemplum eſt prætextus plauſibilis optimum. Poſtea excogitauit nouam Idololatriam, quâ retineret 10. Tribus: non autem credidit ſimpliciter veram eſſe Prophetiam, quia non legitimè voluit imperare 10. Tribub. Si crediddiſſet oraculo, haud dubiè, non nouam religionem induxiſſet, ſed ratiocinatus eſſet: Deus puniit Solomonem propter Idololatriam, ergò volumus nos verum Deum colere. Ideò Ieroboā malè fecit, quòd ſuſcepit regnū, quia malo animo ſuſcepit, licèt à Deo ita eſſet

conſtitutum. Ita quod Iudas prodidit Chriſtum, factum eſt ex Dei decreto: ſed quia non fecerat bono animo, ideò factum damnatur.

Ideóque mox etiam Ieroboamo (cap. 14. libr. 3. Reg.) denuntiatur pœna. Et fuerat maturè præmonitus Ieroboam (lib. 3. c. 13.) ne ageret impiè. Ac prædictum fuit 300. annis antè, quod Ioſias in illa ara ſit crematurus homines, vt deſcribitur libr. 4. Reg. 23. Ergò primus gradus ad interitum regni fuit illa diuiſio. Rurſus hîc videri poteſt conſtantia Dei in ſuis conſiliis exſequendis. Noluit enim illam diuiſionem reſcindi. Et quamuis regnum eſſet diſtractum: tamen non permiſit Deus, vt rex Hieroſolym. inferret bellum Regi Iſraelitarum; & viciſſim non conceſſit Ieroboamo, vt Abiam vinceret. 2. Paral. 13. quamuis Ieroboam haberet decuplo maiorem exercitum. Deinde ſi legas ſacras literas, facilè intelliges, cur citius venerint Iſraelitæ ſub iugum, quàm Regnum Iudaicum, quia ſcilicet cœperat id regnum ab idololatria.

Roboam quoque fuit Idololatra, quod mirum videri poteſt, cùm Ieroboam perierit ob idololatras: nec defuerit etiam monitio libr. 3. Reg. cap. 14. quâ monitus eſt Roboamus reipſa. Venit enim Rex Ægypti Siſacus Hieroſolymam, & ſpoliauit templum omnibus donis & ornamentis. Apparet ideò fuiſſe ita gratum Roboam apud Siſacum cùm fugeret inſidias Salomonis & ſe abderet ad hunc Regem, quia dixerat ſe habere oraculum, quòd aliquando Rex ſit creandus. De regibus Iſraeliticis nil poſſumus dicere boni. Alter alteri ſucceſſit per vim.

Illuſtre habemus exemplum monſtri in Achabo. Videbantur omnes defecturi, vt etiam dicat Helias, ſe ſolum relictum eſſe in iſto populo integrum, &c. 4. Reg. 19.

In regibus Iudæ multa habemus exempla. Aſa lau-

laudatur & culpatur. Hoc magnum fuit, quod repurgauit cultũ Dei, & ne matri quidem pepercit, cum haberet lucos quoſdam (Priapi, ſecundum Hieronymum 3.Reg.5.) & eximiæ victoriæ contra Ægypt. pulchra eſt hiſtoria 2.Chron.16. Itaque fuit homo qui Deo fideret. Reprehenduntur in eo duo potiſſimum. 1, quòd cum videret Iſraelitas nimiũ inualeſcere, & arcem exſtruere, contulit ſe ad auxilium regis Syriæ, quem ſciebat peſſimè populo Dei velle. Antea innumerum exercitum fuderat Ægyptiorum: & iam animum deſpondet, vbi multò minus eſt periculi, 2.Chron.14. & 16. 2, Dicitur confugiſſe in aduerſa valetudine ad Medicos, h.e. plus ſpei poſuiſſe in Medicis, quàm in auxilio Dei. Alias Medicina non reprehenditur.

Prophetæ. Tempore Ioſaphat fuit Elias. Succeſſit huic Eliſæus: Eliſæũ audiuit Eſaias, hunc Ieremias, hũc Daniel, Danielem Aggæus & Zacharias.

Secutus eſt Ioſaphatus, magnus vir & domi & foris: vt in bello contra Ammonitas (2.Chron.20.) & alias coniurationes. Hoc fuit ſignum magnæ pietatis, quòd ita diligenter iudicia conſtituit, c. 19. apparet vſum commercio Achabi, quòd benè cuperet poſteritati Abrahami. At reprehenditur eo nomine 2.Chron.19. vſus etiam eſt commercio Ahaſiæ regis Iſrael, & eo nomine reprætenſus, 2. Chron.20.

Habemus etiam illuſtre exemplum prouidentiæ diuinæ in Athalia,[e] quomodo ſit ſubtractus Ioas, 4.Reg.11. quem Ioiada Pont. Max. reſtituit in regnum puerum adhuc. Ergo Deus poteſt præſtare etiam deploratis omnibus rebus quod conſtituit. Oportuit enim durare ſtirpem Dauidi, vt inde Chriſtus naſceretur ſuo tempore.

[e] *Hac Athalia totam poſteritatē Salomonis deleuit. Itaque à ſtirpe Salomonis regnũ eſt translatũ ad poſteros Nathã, qui etiam fuit filius Dauidis.*

Manahes Iſraeliticus, quem fecit Tributarium *Phulus*, ſeu *Belochus*.

[De *Belocho* & *Arbace* magna eſt diſcrepantia, quod ad nomen attinet. Dicitur *Arbaces* & *Arſaces*, & *Pharnaces*, apud Vell. Patercul.] Cœpit regnare circa annum mundi 3175. per ſcelus fuit factus rex, interfecto nimirum ſuo anteceſſore, 4.Reg.15. Si I-

ſraelitæ non fuiſſent ſepulti in Idololatria, potuiſſent cogitare, quantùm peccarint, cùm ſint facti Tributarii. Id enim nunquam alias accidit in populo Dei. Et longè aliter fuit promiſſum populo Dei, ſiquidem obtemperarent Deo. Obſeruandum ergò exemplum *Manahes*, qui fecit tributarium populum, vt poſſet commodius potiri regno.

Eo tempore ferè in Iuda boni malis ſucceſſerunt & viciſſim.

Incidit calamitas illa, quód vectigalis factus eſt populus in Oziæ tempora. In quo Ozia egregium exemplum (vide Ioſeph. & libr. Paralip.) hominis ſe nimium in rebus ſecundis efferentis. Voluit ſibi ſumere, quæ non pertinebant ad ſe, h.e. ſuffire. Itaque factus eſt leproſus. Hoc ex loco Papiſtæ ſic ratiocinantur: *Ozias punitus eſt à Deo, quia voluit ſuffire: ergò Imperatores non debent habere curam Religionis.* Sed opponimus exemplum Ioſiæ. Sleidanus autem Latinè locutus eſt, cùm dixit: *Vectigalem eſſe factum.* Aliud eſt *Vectigal*; aliud *Tributum*. *Facti ſunt potius tributarii. Vectigal* enim eſt quòd ex portoriis; foris, colligitur; &c. *Tributum*, quod imponitur in capita ſingulorum. Et vectigal æqualiter exigitur ab omnibus; ſed tributum ratione bonorum, aut maius aut minus exigitur. Sed hac de re in cenſura Catonis maioris plura dicenda.

Hic obſeruandus eſt ſynchroniſmus, quo tempore Phulus ille fuit immiſſus à Deo (vt ſcribitur 5. cap. lib. 1. Paralip.) in populum Dei. Eodem tempore regnauit Amulius, à quo iacta ſunt ſemina imperii Romani. Notum eſt, quomodo Amulius interfecerit fratrem Numitorem, & voluerit ſororem eſſe ſacrificulam, ne quis naſceretur, qui poſſet vlciſci hoc factum, atque hoc modo imperium recipere.

Sub idem tempus fuit condita Carthago, vt ſuo loco dicam, cùm erit agendum de bellis Punicis.

Scri-

Scribit Vel.Patercul. Carthaginem 65. annis eſſe conditam ante Romam. Virg.verò facit conditricem Eliſam Didonem, ad quam venerit Æneas. Multi dixerunt eſſe fabulam,& Poëtis licere multa, præterea κατὰ πρόληψιν multa dici. Nam fit mentio Carthaginis in 1.Æneid.ſtatim:& hiſtorici conſentiunt multò poſt demum conditam Carthaginem. Ergò dicendum eſt dicta hæc eſſe κατὰ πρόληψιν. Romam autem eſſe conditam anno circiter 3213.ferè conſtat, i.vt hiſtoriæ antiquæ patiuntur.Id tempus incidit in tempora Achazi, ſub quo Ieſaias vixit. Tunc filius Phuli potiebatur rerum.Troiam deletam eſſe ſub annũ Mundi 2784. quo tempore Samſon vixit, ſeries hiſtoriæ docet, & Dionyſ.Halicarnaſſæus. Si ſubtrahas minorem à maiori,429. relinquentur, inter excidium Ilii & Romæ ortum.Si credimus iam Vell.Paterculo, inueniemus inter Carthaginis initium, & excidium Ilii 364.Ergò non potuit fieri,vt Æneas venerit ad Didonem condentem mœnia Carthaginis. Dicemus ergò arcem nomine Byrſan eſſe conditam eo tempore,quæ fuit initium illius magnę Carthaginis.Nam plurimæ vrbes maximę incœperunt à leuiſſimis initiis.Et viciſſim redactæ ad minimas, vt Auguſta Rauracorum. Virgil. ergò non fuit ignarus hiſtoriæ,nec pugnat cum Paterculo. Sub idem tempus & vectigales facti Iſraelitæ, & Carthago florere cœpit, & iacta ſemina vrbis Romæ.

De *filio Oſiæ* Iothano rege Iuda, duo dicenda: 1, quid faciat verus cultus Dei.Eodem tempore fecit vectigales Ammonitas,quo propter flagitia Iſrael factus eſt ſub Manahem vectigalis. Hiſtoria deſcribitur in ſacris. 2,Quando Olympiades cœperint.Olympiades ſunt certa quædam numerãdi ſeries in hiſtoria Græca. Sunt magnæ controuerſiæ quando cœperint. Oſtendi verò retrò ſupputando poteſt,incidiſſe in Iothani tempora, annũ ſcil.

2. aut 1. Idque verum eſſe conſtat ex tribus hiſtoriis; ex morte Alexandri Magni: vrbe Roma cond. & expeditione Xerxis. Xerxes duxit exercitum in Græciam (omnibus conſentientibus) 1. anno Olympiadis 75. Roma condita eſt anno 1. Olympiadis 7. à quo numero biennio diſſentit Plutarch. in vita Romuli. Dicit enim conditam 6. Olympiad. anno 3°. De morte Alexandri conſtat mortuum Olymp. 114. quod omnes ſcribunt, & Ioſeph. in priore lib. Contra App. tanquam principium ex conſenſu omnium hiſtoricorum adducit. Exprimitur etiam apud Plutarchum, & alios hic numerus. His poſitis, facilè inueniemus principium Olympiadum incidiſſe in initium regni Iothani; pleriq; ponunt in 2. annum. Si ſequimur quod dixi, & Dionyſ. Halicar. qui ponit inter excid. Troiæ & Romã annos 432. tum fuit initium Olymp. anno Mundi 3189. Ità habemus principium Olympiadum, & principium Romæ. Quid fuerint, nolo diſputare. Qui dicunt eſſe ſpatium 5. annorum, & 4. annorum, non pugnant. Olympias continet 4. integros annos, & hoc eſt luſtrum, vt ſuo dicendum eſt loco. Cum dicimus *quinto anno fieri*, dicimus *initio fieri anni* 5. h. e. expletis annis 4. Itaque ineptè ſe inuicem reprehendunt Glareanus & alii. Quidam Phlegon ſcripſit de Olympiadibus; ſed præter initium nil ad nos peruenit. Diodorus Siculus etiam ſcripſit, ſed non exſtat. Clemens Alexand. 407. annos dicit interceſſiſſe inter excidium Troiæ & Olympiad. initium. Alii dicunt interceſſiſſe 406. Apud Suidam locus eſt, qui idem teſtatur: ſcribit in Homero annos eſſe υξ.] h. e. 460. ſed ſcribendum eſt υϛ], h. e. 406. cum his conueniunt quæ ſcribit Dionyſ. Halicarnaſ.

Incidet excidium Ilii in annum Mũdi 3781.

P. 7, ψ. 18, *Ei ſucceſſit*] *Aſſor* videtur mihi fuiſſe nomen dignitatis, vt Ptolomæorum, *&c.* nam multi ita appellati ſunt.

ib. *Iudaæ*] Quod dicitur abduxiſſe populum in

Aſſyrios, id intelligendum de populo Iſrael, non Iuda. Nam in ſacris literis fit mentio tribus Nepthalimicæ. Apparet fuiſſe irritatum à Pherach, fortè ob negata tributa. Non ergò intelligendum de regibus Iuda.

Pherach ille per vim regnare cœpit, eum interfecit Oſeas, quem abduxit rex Aſſyriorum. Adiūxit ſe Iſraeliticus ille regi Syriæ contra regem Hieroſolym. vt Ieſ. 7. 4 Reg 15. 2. Paralip. 28. deſcribitur. Ibi dicitur, quòd Deus immiſerit Syrum & Pherah, vt vexarent Achazum. Sed non ideò miſit, vt Deo illuderent. Clades fuit 120000. virorum facta in Iuda, quia dereliquerunt Deum patrū ſuorum. Ad Achazum patrem Ezechiæ, quod attinet, fuit nobilitatus flagitiis plurimis. Dicitur apud Ioſeph. maluiſſe colere quemuis Deum alium, quàm verum. Initio coluit Deos Ieroboam: deinde Syrorum, poſtea Aſſyriorum. Interea habemus exemplum miſericordiæ Dei. Sub illo ipſo Achazo prædictum fuit, de filio Dei naſcendo. Conſtat Achazum mirabiliter egiſſe. Inter alia ſcribitur, quòd filium traduxerit per ignem. Apud Etruſcos etiam tale quiddam fuit. Tranſilierunt ignem in honorem cuiuſdam Dei. Ioſephus vertit, quòd viuum combuſſerint aliquem & immolarint. Nota eſt hiſtoria de Tophet, loco in quo comburerentur pueri: Carthaginenſes quoque totos comburebant, ac ſuos filios Saturno immolabant. Adhibebant tympana & ſtrepitus Muſicorum inſtrumentorum, ne audirentur eiulatus puerorum. Quare laudatur Gelo Syracuſanorum & Siciliæ tyrannus, cum viciſſet Carthaginenſes, inter cæteras pacis conditiones, hanc etiam tulit, *ne amplius filios ſuos immolarent Saturno.*

ib. *Dona miſit*] 4. Reg. 16. Quiduis potius fecit, quàm vt confugeret ad verum Deum. Sed filius Ezechias longè aliter egit. Cum nullum eſſet auxilium, confugit ad ſolum Deum. Aſſyrio fuit val-

de gratum, ſe de auxilio ſolicitari. Ita Turcæ auxilium miſerunt aliis, & poſtea eosdem oppreſſerunt. Vox *donorum* ſignificat oblationem in ſacris literis. Apparet fuiſſe annuum quid oblatum, vt defenderet regnum Iuda.

ibid. *Salmanaſſer*] Salmanaſſerem alii Nabonaſſarem vocant. Et hîc quoque habemus æram. Ptol. lib. 3. *Almag.* numerat quosdam annos, quorum numeratio multum confert ad hiſtoriam. Ab Alexand. Mag. obitu retrorſum ſunt 424. ad Nabonaſſorem vſque. Rurſus à morte Alex. deorſum ad 3. annum Antonini Pii 463.

ib. *Samariam*] Regiam Iſraelitici regis.

ib. *Hoſeam*] Oſeas talis fuerat, quales præceſſores. Scribitur inter alia exprobratum eſſe à Salmanaſere, quòd cum tributum recepiſſet perſoluendum, non ſteterit pactis. Et quòd quæſiuerit auxilium apud regem Ægypti. De nominibus reliquorum locorum, in quæ deportatus eſt Iſrael, nolo diſputare.

ib. *abduxit*] incidit hoc in annum 3223. circiter. Ioſephus hoc loco diſſentit à recepta ratiocinatione. Scribit fuiſſe Iſraelitas anno 240. menſ. 7. die 7. poſt defectionem à Roboamo abductos ab Aſſyriis. Hoc abeſt 12. annis à recepto computo 251. Nihil commodè poſſum dicere [a].

ib. *Attribuit*] Ioſephus ait fuiſſe in locum eorum (id etiam ſacræ literæ docent) ex Perſide in Samariam, translatos Chutheos, & ab initio eſſe afflictos: quod alii interpretantur leones, alii peſtem à quibus ſint enecti. Ne enim regio maneret inculta, miſit alios in terram Iſraeliticam. Cur ita ſit abductus, cauſa exponitur in ſacris.

ib. *In Medis*] Quòd dicitur Medis imperaſſe Salmanaſſerem facile poteſt comprobari teſtimonio Ioſephi. Nam dicit Salmanaſſerem eos abduxiſſe in ſuperiorem Mediam. Vide 4. Reg. 17. 18. ſuperior Media fuit continua Armeniæ & Aſſyriæ. Hierony-

[a] *In locum Iſraelitarum abductorum in Aſſyriam, collocauit rex homines Babylonios, & Aſſyrios, qui Samariã inhabitarunt. Itaq; Samaritani dicũtur Ethnici & odio fuerunt Iudæis.*

eronymus vertit *Cyrenem*, quod mihi non videtur probabile eſſe. Eſt enim trans Ægyptum. Faciliùs acquieſco Ioſepho 2.Par.29. Eſt autem in S.literis (7.c.Act.ex Amoſo Propheta) Deum velle eos vltra Babylonem transferre. Quod congruit cum hiſtoria. nam verſus Orientem eſt vltra Babylonem Media.

P.8, ℣.1. *Sennacherib*] vide 2.Paralip.32. Hoc loco citat Ioſephus verum Beroſum de hac re. 2.Reg. 18.19.Eſ.37.

ib. *Ezechiam*] Ezechias laudatur ob pietatem. Ac duo præcipua in eo obſeruanda. 1, Quòd non prætendit religionem, vt fieret Rex. Inuitauit quidem ad ſocietatem renouati veri cultus Dei Iſraelitás, qui reſtabãt, oratione, ſed nihil minus egit, quàm vt ad ſe & ſuũ imperium eos traduceret. 2. Quòd prætextus ſuſtulit ſpecioſiſſ. ſuperſtitioſos. Inter alia eſt, quòd ſerpentem æneum confregit à Moſe erectum. Serpens ille non erat res mala per ſe; ſed quia magnus erat abuſus in ea re, cõfregit. Græci ſcribunt illum combuſſiſſe medicos libros Solomonis (fides ſit penes ipſos) quòd fecerit, quia videret multos accurrere potius ad libros illos, quàm ad Deum. Fuit omninò inſigni pietate, & ex aliis ſumſit exemplum. Auſus eſt rebellare regi Aſſyriorum, quod fuit maximum facinus. Quomodo fuerit territus, à Sennacheribo, & quanta fuerit potentia Sennacherib. non multa dicam. Gloriatur ſe viciſſe Deos aliorum populorum: & Ægypti regem per contemtum vocat *baculum arundineum confractum*. Epiſtola Rapſacæ exſtat, & in prouerb. abiit. Obiicit Samariam captam, & abductum populum Iſraeliticum. Quod multum potuit terrere, præſertim cum tantum haberet duas tribus; Et paulò ante 120000. amiſiſſet pater ex regno Iuda, vt antè dixi in Achazo. Hæc omnia contemſit, fretus auxilio Dei. Minatur etiam inter alia Rapſaces, quòd à Deo ſit miſ-

ſus; quod refutat egregiè Ieſaias, & Rex ipſe. Dicebat ille nebulo, Deum velle punire populum, ergò omnia ceſſura ex ſententia ſua. Conſiderandum etiam quid poſſit fides. Eſaias vocat ſummum præfectum Sennacherib. puerulum. Quomodo res ſit geſta, quomodo tentauerit Ezechias pacem redimere pecuniâ, & ad Deum vnicum confugerit, notum eſt ex ſacris. Fuit etiam contradictio in verbis Rapſacis. Nam dicit ſe miſſum à Deo, ac ſimul aſſerit, Deum non poſſe populum eripere ex manu Sennacharibi. Inter alia obiicitur Ezechiæ, quod ſuos Deos contemſerit, quia nimirum repurgauit templum. De morbo Ezechiæ dicit Ioſephus, non tam doluiſſe mortem ſuam, quàm quod nullum filium relinqueret. Facilè potuit cogitare populum ſuum ſecuturum veſtigia regum Iſrael. Eſtque probabile hanc eſſe cauſam; quia conſtat Manaſſem natum eſſe poſt illum morbum: quippe qui annos natus 12. iniiſſe regnum diſertè in ſacris literis perhibeatur 4. Reg. 21.

Scribit Ioſephus ſub hoc ipſum (l. 10. c. 3.) tempus, eſſe regnum Aſſyriorum mutatum euertentibus id Medis. De qua re dicam in captiuitate Babyl. Scribitur Meradach miſiſſe legatos ad Ezechiam propter oſtentum factum. Quomodo legatis oſtenderit theſauros, & prædictum fuerit de migratione Babylonica, legite ſacra.

Probabile eſt Sennacheribum fuiſſe filium eius, qui Samariam cepit. Cogitauit is; ſi pater meus Samariam cepit: ergò ego capiam Hieroſolymam. Homo fuit perditiſſimus. Præterquam enim quod fuit blaſphemus, etiam perfide egit cū Ezechia. Nam accepit ab eo mulctam, & tamen diſcedere noluit: cogitans iam etiam neruum belli eſſe ablatum.

Oportet autem Sennacheribum fuiſſe potentiſſimum. Nam Salmanaſſar ſubegit Syriam & Phœni-

Phœnicem. Sennacheribus Ægyptios & Arabes, atque Æthiopes preſſit. Herodot. hoc loco citatur à Ioſepho (lib. 12. cap. 1.) & refutatur. Illud mendacium hodie non eſt in Herodoto. Dicit eum peccare, quòd faciat Sennacheribum (in fine lib. 2.) Arabum regem, non autem Aſſyriorum. Arabes tamen ſubegit.

ib. *Percutiente angelo*] Ioſeph. interpretatur *peſtem*. Hîc obſeruandum, quomodo flagitioſo homini Sennacheribo omnia fuerint aduerſa. Scribit Herodot. bellum ipſum intuliſſe Sethoni Ægyptio, qui confugerit ad ſuum Dæmonem, & factum eſſe miraculo, vt ſit ſtatim repulſus Sennacherib ex Ægypto, cùm iã oppugnaret Peluſium. Dicuntur enim mures ſubitò erupiſſe, qui pharetras & amenta ſeu lora & ſagittas arroſerint, vt coactus ſit fugæ ſimilem abitionem moliri. Deinde expreſſum eſt interfectum eſſe eum à filiis propriis & genuinis. Herodot. ſcribit regem illum Ægypti Sethonem poſt fugatum Sennacheribum, dedicaſſe ſuam imaginem Dæmoni illi, & murem poſuiſſe in manu imaginis: cum inſcriptione hac: *In me* (dicit muſculus) *intuens aliquis pius eſto*. q. d. quia Sennacheribus omnes Deos cupit expuguare: ideò Deus reſiſtit ipſi. Ita magnus ille bellator, fuit debellatus à muribus.

Merodachi fit mentio apud Ptolom. in Almag. vocat eum, *Mardokempadon*.

P. 9. ṽ. 1, *Duodecimo*] non memini hoc me legere apud aliquem.

ib. *Ab hoc*] Neque etiam Ioſephus facit mentionem. Quare iſta valdè ſunt incerta.

Ezechiæ ſucceſſit Manaſſes, quo non poteſt excogitari homo deterior. Imitatus eſt auum, & eum ſuperauit. Achazus enim varios coluit Deos, & clauſit templum Hieroſolymitanum: Iſte nebulo polluit inſuper templum idololatriis. Item ſcribitur, quòd nihil aliud egerit, quàm vt pen-

deret à diuinationibus. Præterea ſuperauit etiam in hoc impietatem Achazi, quod fudit ſanguinem innocentem, vt Hieroſolyma tota flueret ſanguine: quod dicitur hyperbolicè, quia atrox eſt flagitium hominem innocentem tollere. Ioſephus dicit ipſum quotidiè ferè occidiſſe Prophetas. Veteres putant Eſaiam ab hoc Manaſſe interfectum ſerra, vt ſe legiſſe ſcribit D. Hieronymus. Et hæc quidem de vitiis Manaſſis. Virtus autem fuit hæc, quòd ſe conuertit ad Deum, cum mitteret in regnum eius regem Babyloniæ. Apud Suidam etiam exſtat mentio huius hiſtoriæ, qui ſcribit fuiſſe Manaſſem incluſum in æneum ſimulachrum, & abductum in Niniuen, ac deinde vixiſſe in Babylone; quod oſtendit regem hunc Babylonicum fuiſſe valde potentem. Funccius ponit captiuitatem ſub annum regni 42. quo auctore neſcio. Vix puto eſſe verum. Conſtat regnaſſe annos 52. aut plures: Et apparet poſt captiuitatem diu adhuc regnaſſe. Ergò veriſimile eſt, multò citius eſſe captum. Suidas inquit datum ei panem cinericium in carcere illo. Exſtat formula precationis Manaſſæ, cuius 2. Chron. 33. fit mentio. Ille exauditus à Deo, remiſſus domum, purum reſtituit Dei cultum. Quomodo ſe hîc implicent res Romanæ, dicendum eſt alio loco: Nunc hæc tantum moneo; Lycurgus, ſub quo cœpit florere Spartanorum Reſp. fuit σύγχρονος Ieſaiæ: quod Clemens Alexandrinus oſtendit, & Plutarch. in vita Lycurgi quædam dicit, ex quibus hoc ipſum colligitur. Non multò poſt vixit Numas, qui fuit σύγχρονος Manaſſæ. Et hîc iam incipit nobis prodeſſe Herodotus, quod ad annorum numeros attinet.

Candaules rex Lydorum incidit in hæc tempora, qui non contentus voluptatum ſuarum tacita conſcientia, vxorem ſuam nudam Gygi ſodali ſuo demonſtrauit. Quo facto formæ pulchritudine illectus Gyges Candaulem interfecit, ac vxorem

Digitized by Google

tem ipſius ſibi adiunxit; vt deſcribit Iuſtinus: & Herod. ſub initium lib. 1.

Deioces in Media tum primum rerum eſt potitus, qui callidè occupauit imperium, vt docet Herod. Et Ægypti Rex Pſammetichus tunc vixit: à quo facilè deducemus reliquos reges. Quis fuerit Baladam Merodachi pater, neſcio; & an illi duo quorum meminit Sleidanus poni debeant ante Magnum Nabuchodon. non ſum certus. Facit enim noſter auctor mentionem duorum Regum, qui præceſſerint Nabuchodonoſorem Magnum. Beroſus (vt eſt apud Ioſephum contra Appion.) facit hunc filium Nabonaſſaris, qui regnarit annos 29. Quia tamen tantum 29. ſunt anni, apparet fuiſſe intermedios aut reges, aut ſaltem interregnum. Merodach fuit præfectus in Babylone, & miſſus ab rege Aſſyrio Aſſaradone. Merodachi fit mentio Ieſ. 39.

IOSIAS, in quo illuſtre eſt exemplum Dei clementiæ, ſucceſſit Ammoni filio Manaſſis. Hic vltimus rex Iudæorum iure poteſt appellari. Hic legem Domini propè ſepultam in lucem reuocauit.

Porro in Ioſia obſeruandum eſt, à curioſitate abſtinendum eſſe. Immiſcuit enim ſe bello non neceſſario contra regem Neco, vt appellat eum Hieremias & Herodotus. Itaque interfectus eſt in Magdalo, vt Herodotus ſcribit. Stephanus de vrbibus vocat locum illum Μάγδωλον, quæ fuit vrbs Ægypti. Ab hoc Ioſia omnes hiſtoriæ ſatis commodè ſe habent. Filium habuit *Ioachazum*, vt legi poteſt: ſicuti etiam de reliquis regibus ipſi legere poteſtis, qui potius vmbræ regum quam reges fuere. In hiſtoria Ioſiæ fit mentio apud quoſdam ſeptem Sapientum. Alii malunt in Olympiadem 50. referre, h. e. in Tarquinii Priſci tempora; de qua re aliqua annotaui in Solone Plutarchi. Conſtat verò & maturè fuiſſe ſapientes & diu claruiſſe; vt non admodum pugnent iſta inter ſe, ſicut neque

pugnat, ſi dicam Melanchthonem claruiſſe circa annum Chriſti 1525. item circa annum 1560. Sed malo in Tarquinii Priſci tempus referre, propter Crœſum, vt dicam poſtea, cum quo Solon eſt congreſſus. In hoc ipſum tempus ferè inciderunt res memorabiles. Nam Ioſiæ tempore maximè floruit TVLLVS. Obiter hîc obſeruanda eſt viciſſitudo rerum. Romulus enim Romam condidit, omniaque poſuit in armis. Poſt Romulum alius eſt ſecutus, qui à rapinis quibuscunque potuit modis auocauit Romanos. Inſecutus eſt Tullus, qui eos rurſum ad arma vocauit. Obſerua item quod Roma & Alba non potuerint ſimul florere, ſicut nec Carthago & Roma. Notandum præterea, quo tempore Roma cœpit creſcere, eo tempore decreuiſſe Iudæos. Iudaicum regnum vt habuit illuſtriſſimum principium, ita paulatim venit ad interitum. Roma contra habuit initium prorſus contemnendum, nimirum à paſtoribus. Et Romulus atque Remus nati ſunt ex ſtupro, vt ſuo loco erit dicendum. Inter alia memorabilis eſt hiſtoria, quæ incidit in mortem Ioſiæ. Fuerunt Scythicę nationes iam potentes, quæ ſe mutuo pepulerunt (atque hîc primum fit mentio Scytharum [a] apud veteres hiſtoricos) hoc eſt, Cimmerii ſunt expulſi ab aliis Scythis, teſte Herod. lib 1. duce Lyctamide. Irruperunt in Paphlagoniam & in Lydiam Sardes vſq; progreſſi ſunt populando. Lydorum rex vocatus fuit *Ardis*. Strabo libr. 1. facit etiam mentionem huius hiſtoriæ. Plutarch. in Mario deſcribit Cimmerios: & dicit Cimber ſignificare Ληςάς. Habuerunt Cimbri pro inſigni leonem ferentem bipennem. Euſebius item meminit huius hiſtoriæ in ſuis Chronicis. Ex hiſtoria Ioſiæ apparet Ægyptium regem fuiſſe valde potentem, ita vt etiam ſe opponeret Aſſyriis: & ſcribit Ioſephus quòd cogitarit ſubigere Aſſyrios. Sed Deo aliter eſt viſum, qui noluit monarchiam eſſe

[a] *Quidam Scythas putant dictos à ſagittariis,* ſchitten. *Vnde Germani dicũt* ſchieſſen.

in

in Africa. Ioſephus ſcribit Threnos Hieremiæ eſſe conſcriptos in mortem Ioſiæ, quod mihi difficulter perſuaſerit.

De captiuitate Babylonica.

IN ruina populi Iudaici duo ſunt præcipuè inter alia obſeruanda. Alterum eſt, quòd homines ibi ponunt fiduciam vbi non debent, ſed ſibi finguntpræſidium. Alterũ, quod noluerunt Iudęi credere Ieremiæ rectè mouenti. Nam quamuis Ieremias diligentiſſimè admoneret reges Iudæorum ne ponerent ſpem ſuam in regem Ægypti, nil tamen potuit efficere. Semper quæſiuerunt auxilium apud Ægyptios. Ioſiæ filium ſubmouit rex Ægypti, & in eius locum ſubſtituit regem Ioachimum, qui per annos 11. potitus eſt rerum. Sub iſto Ioachimo accidit abductio quædam populi, decennio ante excidium vrbis Hieroſolymorum, à quo excidio ordimur captiuitatem Babylonicam, licèt aliqui à priori illa abductione decennio ante facta eam incipiant. In illa abductione etiam inter ceteros abductus eſt Ezechielus.

Interfecto Ioachimo ſucceſſit Ieconias ſubſtitutus à Nabuchodonoſore, qui ſe Aſſyrio ſponte dedidit, ſic ſuadentibus Prophetis. Hoc exemplum eſt laudabile. Maluit enim vltro ſe dedere, quàm in diſcrimen coniicere ſuos ſubditos. Vnde & poſtea à Deo exaltatus eſt. Nam fuit poſtea euectus ad honores, & inter præcipuos amicos Nabuchodonoſoris habitus, vt in fine Ieremiæ librorumq; Reg. eſt ſcriptum.

Ieconiæ ſubſtituit Nabuchodonoſor Zedechiã regem, qui itidem fidebat Ægyptio: & valde malus fuit homo. Noluit credere Ieremiæ, ſed ſemper habuit ipſe, vt etiam alii in ore Templum Domini (ſicut conqueritur Ieremias) putans Deum nolle id templum in cineres redigere. Præterea

cum non ſubitò euenirent, quæ prædixerat Ieremias, riſit eum, Ier. 17. Ac vt magis Ieremiam argueret mendacii, contulit inter ſe Prophetiam Ieremiæ, & Ezechielis vaticinium, inter quæ videbatur eſſe cõtradictio. Ergo concluſit vtrumq; mentiri. [Ita hodie quoque ἄλλοι quidam dicunt eſſe diſſenſiones inter nos: Ergo vtroſq; mentiri.] Ieremias dixerat regem captiuum abductũ iri in Babylonem: Ezechiel dixit, nõ fore vt videret rex Babylonem. Diabolus ſe interpoſuit interpretẽ, & vtrumq; dixit mendacia ſpargere. Sed non quæſiuit Rex in quibus conſentirent. Poſtea verò reipſa expertus eſt vtriuſq; prædictionẽ eſſe completam. Nam abductus eſt rex in Babylonem, ſed eam non vidit, quia exoculatus eſt. De iſta obſidione vide 2. Reg. vlt.

Cæterum licèt rebellauerit Zedechias & Iudæi, tamen voluit Nabuchodonoſor ſeruare reliquias populi Iudaici, & ipſis præfecit Godoliam. Deo verò aliter eſt viſum, qui ducentis annis ante Cyrum prædixerat hanc ruinam, & voluit ita punire, vt ne reliquiæ ſupereſſent. Imò noluit coloniam duci in Iudæam, ſed placuit vt per annos 70. terra etiam maneret deſolata, licèt prius in Iſraelitarũ locum fuerint deducti à Salmanaſſare Chuthæi; vt ſupra monuimus. Itaque fruſtra eſt præfectus Godolias, vt ſcribit Ioſeph. in fin. lib. 10. Antiquit. & 2. Reg. vlt. fit mentio. Eſt enim miſerè interfectus, homo aliàs lenis & manſuetus, qualis fuit Iulius Cæſar, fraude regis Ammonitarum, qui Iſmaelum quendam ſubornauit, vt eum trucidaret. Poſt mortem Godoliæ populus voluit redire ad regem Ægypti, etiam diſſuadente Hieremia, qui abſque periculo in Babylone victuros aſſeruit. Sed credere noluerunt & iuerunt in Ægyptum, quæ fuit extrema pertinacia. Itaque puniti ſunt etiam. Rex enim Aſſyrius poſtea ipſos cum rege Ægypti oppreſſit, omneſque qui non ſunt interfecti, captiui

in

in Babylonem ſunt abducti. Quæ calamitas fuit prædicta 18. annis integris.

Poſt captam Ieroſolymam Nabuchodonoſor anno regni ſui 23. quinto ab excidio Hieroſol. oppreſſit [a] Ammonitas, Moabitas & Ægyptios. Itaq; habuit maximas Aſiæ partes. Ægyptus ferè tota ſubacta fuit, ac nil præter reliquias relictum.

a Ammonitæ fuerunt poſteri Lothi, ex inceſtu orti.

Quomodo Deus interprete Daniele oſtenderit Nabuchodonoſoro monarchias, *&c.* vide apud Sleidanum. Quomodo item ſuperbia eius ſit punita, item deſcribit auctor, & Daniel. Quomodo tractatus ſit Ieremias ipſi legite. Omnia ei fuere aduerſa, populus fidem adhibere noluit etiam cum re ipſa verum prædixiſſe experirentur: Libri item eius ſunt exuſti, &c. Hic cogitare poſſumus quanta ſit cæcitas Iudæorum, cum ſcribatur nunquam defuturum, qui ſedeat ſuper ſolium Dauidis, ipſi tamen alium quendam regem mundanum exſpectandum cenſeant.

Porrò in ratione temporum quædam ſunt incerta: ac metuo ne Ioſephi liber hoc loco ſit corruptus. Plerique ponunt vrbem captam anno mũdi 3356. Ioſephus habet amplius, nimirum 3513. Item ſcribit Ioſephus regnum Dauidis duraſſe annis 494. nos tantum habemus 465. Nam vrbem ſcribunt captam anno mundi 3356. regnum Dauidis collocant in annum 2891. quos ſi a ſuperioribus ſubtrahas, reſtant 465. Annorũ ergo eſt diſtantia 29. Si in diſcrepatione æqualia vbique eſſent interualla, hoc eſt, ſi æqualiter ſuperaret aut deficeret, res videretur aliquam admittere medicinam. Clemens Alexandrinus ab noſtro calculo abeſt annis 21. Scribit ille anno primo Olymp. 48. deuaſtatam vrbem, h. e. anno Mundi 3377. Hinc ſi auferas 3356. reſtant 21. anni amplius. Sed Ioſephus diſertè ſcribit anno 18. Nabuchodonoſoris eſſe factum: quod dico, quia poſſunt anni retrorſum nu-

merari à liberatione ad captiuitatem. Templum Solomonis vſque ad incendium durauit annos 422. Nam ſecundum calculum Funccii fuit dirutum anno Mundi 3356. Hinc ſi auferas annos 2934. reſtant 422. Sed Ioſephus habet 470½, & 10. dies nimirum annos plures 48. Item ab exitu Iſraelis ex Ægypto vſque ad excidium Hieroſolymorum anni numerantur à noſtris 902. Ioſephus numerat annos 1062. Nos ponimus exitum Iſraelis de Ægypto in annum 2454. deuaſtationem Hieroſol. in annum 3356. interuallum igitur eſt 902. annorum. Clemens dicit vrbem captam anno 452½. poſt regni Dauidici initium. Ibi eſſet ſumma minor quam noſtra. Sed ait 482. fore annos, 6. menſes, 10. dies, ſi quis exactius computet. Cum autem nec Ioſephus nec Clemens poſſint certi quid aſſerere, nec nos poterimus. De 70. tamen illis annis ad liberationem vſque, in quod Perſicæ monarchiæ tempus inciderint, certò conſtat. Ergò ſurſum verſus pergere nobis licet.

De Nabuchodonoſore Magno eiuſque potentia iam dictum eſt. Regnauit annos 43. teſte Ioſepho & Beroſo. Eius conſtat (vt ante dictum) ſummam fuiſſe potentiam, ac tantam, quanta vix vllius fuit hominis. Habuit Ægyptum, & ſecundum Metaſthenem (quem citat Ioſephus) prælatus eſt à gentibus ob rerum geſtarum & peregrinationum magnitudinem ipſi Herculi. Subegit (eodem teſte) Iberiam, & Africę partem. An per Iberiam debeas intelligere Hiſpaniam, an verò eam regionem, quæ eſt circa mare Caſpium, non pronunciare poſſum. Malo tamen de Hiſpania intelligere; quia proxima Africæ eſt Hiſpania. In ſacris literis multa habentur de hac re: Apud Hieremiam multa reſtāt vaticinia. Etiam Tyrum occupauit, etiam Ieremias eo nomine mercedem ei pollicetur. cap. 27. 29. & 46. Quantam ei tribuat potentiam Beroſus, & quam

& quam vrbi Babyloniæ addiderit ſplendorem, item, quomodo exſtruxerit hortum penſilem in gratiam vxoris, legite ipſi apud Ioſephum.

Hic incidunt, Synchroniſmi.

Conſtat captam Hieroſolymam regnante Romæ Tarquinio Priſco. Tum temporis rex Medorum fuit Cyaxares, pater Aſtyagis. Eodem tempore rex Lydorum fuit Halyaltes. De rege Ægypti poteſt dubitari, quis tum regnarit. Ego verò ſequor Clementem; *Apagemq;* pono, quem Clemens ϰαφρηώ vocat.

Ruina Monarchiæ primæ.

SVnt multa incerta à morte Nabuchodonoſoris vſque ad liberationem populi Dei, in quibus nil habeo ego certi. Ceterum eos non audio, qui aliunde eos annos incipiunt, quàm vt habet recepta opinio. Fuiſſe annos 70. captiuitatis, & 18. anno Nabuchodonoſoris incepiſſe notũ eſt. Exſtant vaticinia Ierem. c. 25. 29. de 70. annis captiuit. Deinde tempus quo fuerunt dimiſſi diſertè exprimitur, nimirum translata Monarchia ad Cyrum. Poſt Nabuchodonoſorem, qui fuerint reges, dubium eſt. Euilmerodachum ſucceſſiſſe Nabuchodonoſoro Magno teſtatur Ioſephus. Huic Funccius tribuit annos 30. Huic ſubiungit 3. alios reges, ſicut vulgo ſolent. Sed Sleidanus ab hac ſententia recedit. Primus ſecundum Funccium eſt Regaſſar, cui tribuit 3. annos, ſecundus eſt Labaſſardach, quem dicit 6. annos regnaſſe: tertium ponit Balthaſarum, cui tribuit 5. annos. De annis autem Nabuchodonoſoris 43. debentur captiuitati Iudæorum 25. quibus ſi reliquorum Regum anni addantur, faciunt præciſè vſque ad Cyrum annos 69. vt primo anno Cyri fuerint anni 70. In Ioſepho plures ſunt anni, quàm vel ratio vel ipſemet Ioſephus ferat. Nam fatetur Ioſephus anno 18. Na-

buchodonoſ. exacto fuiſſe Hieroſolymitanum excidium, fatetur item regnaſſe Nabuchodonoſ. annos 43. fatetur quoque diſertè duraſſe captiuitatem annos 70. Itaque concludo certò, mendum eſſe in numeris: qui tales à Ioſepho aſſignantur. Euilmerodacho tribuit annos 18. (Funccius 30.) Nigliſaro ſeu *Regaſaro* 40. (Func. 3.) Labaſſardacho 9. mêſes (Func. 6. annos.) Balthaſaro Naboandelo 17. (Func. 5.) Quæ certè non poſſunt conciliari. Nam anni proueniunt 1000. cùm tantum requirantur 70. Fortaſſe in annis Nigliſſari pro *τέσσαρα* vitio libri ſcriptum eſt *τεσσαράκοντα*, h. e. pro 4. 40. ſi ita legeremus, haberemus annos 65.

P. 12. ℣. 17, *His duobus omiſſis*] Sleidanus putat medios reges inter Euilmerodach & Balthaſarum omitti poſſe: Ego nullam eſſe contradictionem reor numerare vel omittere, quia illi duo, *Regaſſar* & *Labaſſardachus* non diu tenuerunt imperium. Sæpe dicitur aliquis filius, qui fuit nepos, propterea quod intermedius nullius fuit momenti. Sic Ioachimus filius dicitur Ioſiæ, quod non eſt verum, cum fuerit nepos. Itaque ſi medios ſerues illos duos, quibus tribuuntur 9. duntaxat anni, & Euilmerodachi filios fuiſſe credas, puto eos numerari poſſe ob ſtirpem, licèt nihil geſſerint. Non ergò multum diſſentiunt hac in re Ioſephus & Fûccius, niſi quod in Euilmerodachi annis quadriennium Ioſepho deeſt; forte propter vitiatos libros. Poteſt etiam fieri, vt totum id adſcribatur Balthaſaro temporis, quod his duobus & Balthaſaro tribuitur, vt fiant anni Balthaſari 14.

P. 12, ℣ 28, *Hieremiæ præſertim*] cap. 27. ℣. 7. Sed, vt dixi, poteſt iſta accedere interpretatio quam iam attuli. Præterea Dan 5. appellatur huius Balthaſaris pater Nebucadneſar, quod certè falſum eſt, niſi ſumas eum loco aui. Eſt enim poſſibile, vt fuerint 3. illi poſtremi reges, fratres, qui 14. annos geſſerint imperium, vltimuſque ex iis ſit nobilitatus, eo

quòd

quod ipſo regnante Monarchia corruit. Ioſephus diſertis verbis reginam illam, à qua Danielus indicatus eſt regi, vocat *μάμμην*, auiam Balthaſari.

MONARCHIA II.

IN Cyro initium numeratur Monarchiæ ſecundæ. Vt paulò poſt dicetur. Ita autem Deo placuit, vt cadente monarchia Chaldaica, & oriente Perſica, ſuum populum liberaret. Non ſum neſcius aliquos (in qua ſententia etiam eſt Clemens Alexandrinus) Dario Hyſtaſpis liberationem adſcribere Sed falsò. Aut forte mendum eſt, ac legēdum pro *Hyſtaſpis*, *Aſtyagis*: quod vt coniecturam dico. Scribitur cap. 5. Dan. poſt illud oſtentum manus interfectum eſſe Balthaſarem, & ad Darium imperium translatum. Hanc rem nemo melius explicat quàm Xenophon & Ioſephus. Nam Herodotus, ſi vſpiam eſt mentitus, hîc mendacia narrauit. Ioſephus (ſicut & ſacræ literæ) dicit Darium hunc natum fuiſſe 62. annos, neque apud Xenophontem quæ leguntur, diſcrepant. Ioſephus eum facit Cyri conſobrinum, *συγγενῆ*, atque Dario & Cyro tribuit excidium Babylonis, diſertéque ſcribit Darium fuiſſe filium Aſtyagis, & addit Darium à Græcis aliter eſſe appellatum. Id nomen exprimit Xenophon 1. & 7. Pædię, nimirum Cyaxares Aſtyagis F. Cyri ſocer. Neq; hoc nouum eſt aut inuſitatum eidem fuiſſe apud diuerſas nationes nomina diuerſa. Ita & rex Iudæ Ozias dictus eſt Aſarias: Et ſimilia paſſim occurrunt exempla in aliis hiſtoriis.

Herodotus ſcribit Aſtyagen debellatum eſſe à Cyro: ſed credo nugas eſſe Fabulatur Aſtyagen vidiſſe ſomnium (vt etiam Iuſtinus deſcribit) mirabile, nimirum enatam ex naturalibus filiæ vitem, cuius palmite tota ſit obumbrata Aſia. Aſtyagen ergo conuocaſſe ariolos, & cognouiſſe ſignificari nepotem, qui ei ademturus ſit regnum. Ter-

ritum ergo Aſtyagem dediſſe filiam ſuam viro obſcuro Cambyſi, ne forte nepotis nobilitas animum extolleret. Tandem etiam natum ex Mandane filia Cyrum Harpago traditum vt occideretur; qui non occiderit, ſed expoſuerit. Nutritum ergo primum eſſe à cane, deinde à paſtoris vxore; quæ ſuum infantem loco Cyri expoſuerit, &c. Id vbi poſtea cognouerit Aſtyages, in vltionem propoſuiſſe Harpago filium eius epulandum. Ob hanc cauſam Harpagum vbi Cyrus adoleuiſſet, hortatum per literas Cyrum, vt hanc iniuriam aui vlciſceretur: & Cyrum opera Sybaris ſerui; & Harpagi, qui exercitum Aſtyagis Cyro prodiderat, Aſtyagi bellum intuliſſe & viciſſe, *&c.* Hoc quidem certum eſt, Cambyſem genuiſſe Cyrum ex Mandane Aſtyagis filia, ſed quòd educatus ſit ab Harpago, & Aſtyagem bello vicerit, puto eſſe falſiſſimũ. Apparet Aſtyagem dediſſe Cyro magnam partem ſuæ ditionis, nimirum Perſiam, & Cyaxari, ſeu Dario Mediam. Itaque bellum Aſtyagis præter Herodotum nemo deſcribit. Si vera eſſet hiſtoria, mirarer ego quid interim egiſſet Darius. Veriſimile eſt certè, ipſum non paſſurum fuiſſe patrem Aſtyagem ſic à nepote tractari.

P. 13, ỹ. 17. *bello laceſſitus à rege Aſſyriorum*] Ioſephus ſcribit quòd bellum ſuſceperit Darius contra Babylonium, & totum imperium (quia ſenio iam eſſet confectus) Cyro ſororis ſuæ Mandanæ filio commiſerit, cui deinde filiam ſuam in vxorem dederit, vt elegantiſſim deſcribit Xenophon.

ib. *vrbe capta potentiſſima*] Xenophon libr. 7. Pædias ſcribit ſubitò captam Babylonem, oppidanis diem feſtum & conuiuia agitantibus; quod cum ſacra hiſtoria non diſcrepare videtur. Sed tantum fluuium in riuos diuidi, & ſic per eum tráſitum parari potuiſſe, vrbemq; capi, credere eſt omnino difficile.

P. 14. ỹ. 4 *& hoc quidem eſt alterius*] Cyro tribuitur

tur principium Imperii Perſici, quia Cyaxares fuit ſenio iam confectus, & vnum tantum adhuc vixit annum, resque tota maximè Cyri opera eſt confecta. Hoc fuit prædictum 200. annis ante; ab Ieſaia, c. 44. 45.

ib. *Vſq; ad Ionium mare*] Intelligendum eſt id mare, quod Ioniam & Aſiam minorem alluit. Potentia Cyri fuit maxima, vt etiam deſcribit Sleidanus. Sed præter Lydiam & alias enumeratas ab eo Regiones, Ægyptum quoque habuit magna ex parte.

ib. *Cepiſſet Crœſum*] Quæ de Crœſo dicuntur & regno Lydorum, legi poſſunt apud Herod. vel Xenophontem. Summa eſt: Crœſus Lydorum Rex Babyloniis, cum aduerſus eos bellum gereret Cyrus, in auxilium venit, deceptus oraculo Apollinis; quibus debellatis; ſollicitus de regno ſuo domum refugit. Cyrus poſt victoriam compoſitis rebus in Babylonia, bellum transfert in Lydiam contra Crœſum, vbi Crœſi exercitum nullo negotio fundit. Crœſus ipſe capitur, & ad mortem ducitur, ſed vitæ parcitur hac occaſione vt ſcribit libr. 1. Herod. Cum in rogum impoſitus ter clamaſſet Ô *Solon*: Cyrus rogauitquid ſibi vellet. Tũ narrauit Solonis colloquium, *qui neminem ante vita finem beatum eſſe dixerit*: ac ſtultitiam ſuam deplorauit, quod aduerſus Cyrum mouiſſet bellum. Crœſo igitur & vita & vrbes quædam donantur, vt regiam quodammodo nihilominus vitam degeret. Quæ clementia non minus victori quam victo profuit. Nam vniuerſa ferè Græcia amore fuit Crœſi in Cyrum concitata; & haud dubiè ſi quid grauius in Crœſum ſtatuiſſet, tanquam ſummam iniuriam vlciſci tentaſſent. Cyrus poſtea Lydios fortes ac bellicoſos, luxuriâ & mollicie debellauit, idque conſilio Crœſi iuſſis Lydiis lenocinia per artes ludicras exercere. Subactus autem eſt Crœſus Olymp. 58. vt dicit Solinus.

ib. *Bellum geſſit cum Scythis*] Quæ hîc dicuntur de Cyro à Scythis, quos *Maſſagetas* vocat Herod. interfecto, valde ſunt controuerſa. Vix credibile eſt [a] expeditionem talem ſuſceptam eſſe à Cyro. Maſſagetas duplices faciunt, alteros inter Hircanos ad mare Caſpium & Margianos, ad Araxis oſtia, de quibus vide 7. tab. Aſ. Eur. apud Ptol. Alios ponunt vicinos Sacis. Maſſagetæ perpetuo mutarunt loca. Lucanus libr. 2. Pharſ. ponit ad Iſtrum. Ita Heneti fuerunt apud Venetos, alii in extrema Aquitania, nunc in ditione Megapolenſi.

[a] Nam Geographi cauſſa rationes non admittunt.

Sed vt dixi, de morte Cyri nil certi conſtat. Herodotus dicit eum à Maſſagetis interfectum: Xenophon verò nil tale habet; imo lib. 8. παιδείας facit differentem in lecto iam moriturum. Præterea Cteſias & Herodotus inter ſe diſſentiunt, eſtq; veriſimile vtrumque ſtrenuè mentitum, & ſecum mendacio contendiſſe mutuo. Cteſias iure putauit ſibi credi quod eſſet medicus Cyri fratris Artaxerxis. Vult autem Cteſias, non à Maſſagetis interfectum; nec etiam in hoſtium manus veniſſe, ſed bellum intuliſſe non Maſſagetis, verum Derbicibus populo Aſiæ, ac in eo bello vulnus accepiſſe, & elatum in caſtra mortuum eſſe. In ſumma, certi nil habemus de morte Cyri.

Sicut autem Herodotus deſcribit, res ita habet: Bello illato Maſſagetis regina Thomyris vadum Araxis fluminis Perſas tranſire permiſit, vt difficilius prælio ſuperati aufugerent. Cyrus cum videret virtutem iſtius fœminæ, Crœſi vſus eſt conſilio, & ſtratagemate tali: Metu ſimulato quaſi refugiens caſtra deſeruit relicto vino, & aliis cibariis epuliſq; neceſſariis. Regina Thomyris eo intellecto adoleſcentulum filium ad inſequendum Cyrum mittit, qui cum ad caſtra veniſſet, vino ſe & exercitū inebriauit. Quo cognito Cyrus per noctem reuerſus ſecuros omnes oppreſſit, ac interfecit. Simili ratione etiam victus eſt olim Annibalis exercitus: ſic etiam victi

Lydii, vt ſuperius eſt dictum. Poſt interfectum filium, regina prælio congreſſa cum Cyro, ſimili ipſum arte vicit. Nam ſimulata diffidentia ob acceptum vulnus, Cyrum in anguſtias vſque refugiens perduxit, vbi compoſitis in monte inſidiis, totum exercitum Cyri ad 200000. cecidit: ita quidem vt ne nuncius quidem cædis (vt ſcribit Iuſtinus) ſuperfuerit. Cyri caput in vtrem plenum ſanguine eſt coniectum, cum hac exprobratione: *Satia te ſanguine quem ſitiſti.* In iſta fabula etiam hoc ſcribitur, quod miſerit Thomyris nuncios ad Cyrum, qui referret, eum veneno infeciſſe Scythas, quo Perſæ impleti exhalent mala verba.

ib. *Initio regni*] Dux reductionis fuit Zorobabel, nepos Iecon iæ, vt conſtat ex Eſdra.

ib. *Eſaiam*] c. 44. 45. Circa hoc tempus vixit Pythagoras olymp. nimirum 62. teſte Clem. Alex.

ib. *Sæculis*] h.e. 200. annis.

ib. *Xenophon*] libr. 8. Cyri Pædias.

ib. *Ciceronem*] in Catone Maiore.

ib. *annis triginta*] teſte Cteſia & Iuſtino. Secundum Herod. regnauit annis 29. Cyrus in maxima apud Perſas fuit auctoritate, maximoq; pretio & honore. Scribit enim Plutarch. in lib. de præceptis gerendæ Reip. Perſas amaſſe naſum aduncum, quia Cyrus fuiſſet γρυπός. Et apud Plutarch. in Menexeno fit valde honorifica mentio Cyri, & tribuitur ei quod Perſas liberauerit, & à Medis transtulerit in libertatem.

CAMBYSES.

PAtri optimo ſucceſſit filius deterrimus & ſceleratiſſimus. Perſæ dixerunt Cyrum fuiſſe *regem*, Cambyſem *Dominum* & Darium *cauponem*. Atrociſſimis autem flagitiis nobilitatus eſt Cambyſes, inter quæ potiſſima ſunt, ſacrilegium, parricidium & inceſtus. Sacrilegus fuit, quòd Ægyptiorum templa diruit, & Apin bouem Ægyptiis ſacrum confodit. Qua in re non peccaſſet, ſi

religionem veram cognitam habuiſſet, ac eius ſtudio id feciſſet. Sed cum crederet ſingulas gentes ſuos habere Deos, tamen omnes Deos ſe inferiores voluit, omnibusq; ſe antepoſuit. Itaque ne à Chriſtianis quidem poteſt defendi Cambyſes. Deinde fuit parricida. Nam fratrem ſuum Smerdim interfecit: qua in re Cteſias & Herodotus diſſentiunt. Cteſias enim ſcribit fratrem habuiſſe nomine *Tangoxarcem*, de quo opprimendo inductus ſit à Sphendadato quodam nobile aulico eunucho, qui malè fuerat a Cambyſis fratre tractatus. Is aulicus dixit Regi fratrem de eius cogitare nece. Itaque rex euocatum fratrem interfecit poto ſanguine Tauri, quo dicitur etiã Themiſtocles interiiſſe. Poſtea dicit Cteſias alium eſſe miſſum; qui pro fratre; cui admodum fuerit ſimilis corpore, regnaret, ignorante id matre Cambyſis Amyræ, quæ vbi rem cognouerit; nec auctor ei ad ſupplicium à filio dederetur, præ dolore ſe quoque occiderit. Herodotus aliam refert cauſam. Dicit, dum in Ægypto rem gereret, imaginatum eſſe propter quietem; Smerdim ſedere in ſolio regis. Erant autem duo Smerdes; alter frater germanus; alter eunuchus Magus. Ipſe ſomnium de fratre eſt interpretatus, moxque ex amicis quendam Comarim, vel vt alii volunt, Prexaſpem miſit, qui fratrem interficeret. Quo facto cognouit regem in itinere mortuum eſſe. Ergo interfector fratrem ſuum loco Smerdis, ad quem pertinuiſſet imperium ſubſtituit vt regnaret. Nomen fuit ipſi Oropaſtes; vt poſtea dicendum erit. Ita videmus quo modo Diabolus imponat hominibus ob ambiguitatem; ſicut eſt legere apud Euſeb. lib. 5. præpar. Euang.

Nec contentus Cambyſes hoc fratris parricidio poſtea etiam ſororem ſuam (quam loco vxoris habuit) deflentem fratris Smerdis necem interfecit, ac parricidium parricidio iunxit, vt

poſtea

poſtea dicam. Fuit præterea vt dixi, inceſtuoſus. Nam ſororem ſuam germanam duxit vxorẽ: quã poſtea trucidauit, cum lactucam capitatam præberet Cambyſi, & folia decerperet: ac poſtea lugeret ob canem leoni obiectum, quibus deplorauit necem fratris ſui Smerdis. Cum videret catulum canis obiectũ catulo leonis vinci, & ab altero catulo canis fratre, qui abrupto loro ſuccurrerat, ſeruatum eſſe plorauit. Rex eo viſo, quæſiuit quid fleret: Reſpondit, *Niſi tu interfeciſſes meum fratrem, poſſet is etiam mihi ſuccurrere, ſicut hic canis alteri ſubuenit.* Alii dicunt præbuiſſe eam Regi lactucam capitatam, & folia decerpſiſſe, ac quæſiuiſſe vtro modo melior eſſet, integra ne an decerptis foliis. Reſpondiſſe regem, *meliorem eſſe integram.* Ad hoc dixiſſe reginam: *Etiam melius eſſet te meum fratrem non interfeciſſe, & familia noſtra partes diruiſſe.*

Sæuitia quoque vſus eſt in omnes. Ac mirabiliter ſæuiendi rationem in conſiliarios quæſiuiſſe dicitur, & rogaſſe, *Num eſſet permiſſum Regi habere ſororem ſuam vxorem.* Cogitauit, aut dicent licere, aut negabunt. Si negabunt, interficiam eos; quia læſerint maieſtatem. Sin affimabunt, facilè meum inceſtum defendam. Conſiliarii ſunt vſi prudentiâ amicâ, & cautelâ, quali vti poſſunt, qui malunt tuta, quam iuſta ſequi. Dixerunt, *ſe non inuenire de hac re legem, ſed inuenire legem, quod omnia liceant Regi.* Sed debuiſſent ſimpliciter reſpondere, *Non licere.* Omnia quidem licere regibus, verum eſt, ſed non quæ contra naturam ſunt. Apud Sophoclem in Antigone eſt ſententia de lege naturæ. Huiuſmodi conſiliarios debebant Principes grauiſſimè punire.

Iniuſtiſſimum fuiſſe vel ex eo patet, quod patris decretum de ædificando templo Hieroſolymitano violauit, & impediuit, 1. Eſd. 4. Item Ioſeph. libr. 11. c. 2. & 3.

Sæuitiam præterea in optimos viros exercuit atrocem. Nam iuſſit præſtantiſſimos quoſque viuos defodi in terram capite, vt reliqua corporis pars proſtaret. Quam ſæuitiam cum reprehenderet Crœſus, iuſſit eum mox occidi. Sed qui id iuſſi fuerant, cum ſcirent futurum vt breui Cambyſem huius facti pœniteret, Crœſo pepercerunt. Paucis diebus poſt luxit mortem Crœſi; cumq; dicerent ſuperſtitem eſſe, gauiſus fuit eo nuncio, ſed illos quibus mandatum fuit vt Crœſum occiderent, interfici iuſſit.

Quanta etiam fuerit ſæuitia in Prexaſpen, notum eſt. Cùm enim is à Cambyſe interrogaretur, quid de ſe ſentirent ſubditi, reſpondit: *benè ſentire ſubditos de Cambyſe in aliis, ſed reprehendere eius temulentiam.* Cambyſes iratus hoc reſponſo, dixit, *ſe oſtenſurum ſibi mentem etiam inter pocula integram eſſe*: ac iuſſit in conuiuium adduci filium Prexaſpis, quem ad limen collocatum iuſſit ſiniſtram manum capiti imponere, & arcum intendit ac ad cor pueri ſagittam direxit, quod ſi non vulnerarit, ſe rectè à Prexaſpe accuſatum iri. Cum verò cor tetigiſſet, ſpiculum in corde hærens, patri monſtrauit rogans, *num certam manum haberet*: Pater ſibi metuens, artem laudare coactus fuit.

Vnicum ipſius refertur factum laudabile apud Herod. lib. 5 quod tamen non fecit ex habitu virtutis. Præſidem Siſamnem, qui pecunia corruptus iniuſtam ſententiam tulerat, iuſſit excoriari, cutemque inſtrauit tribunali, poſtea filium Siſamnis Otanem in eam ſedem collocauit, iubens, vt ipſe iuſtior eſſet, ſi nollet idem ſupplicium ſubire.

De morte Cambyſis & imperii tempore non conuenit inter Cteſiam & Herodotum. Ille enim ſcribit in Eclogis regnaſſe annos octodecim,

cim, quod contra omnem eſt hiſtoriam. Hic ſeptem annos, quinque menſes numerat, qui numerus optimè congruit. Deinde narrat Cteſias, cum vellet cultro lignum ſecare, fortè vulnus ſibi inflixiſſe in muſculum, ex quo vulnere vndecima poſt die mortuus ſit in Babylone: Herodotus verò vita defunctum vult cum domum properaret ex Ægypto.

Hoc loco notandum quam miſerè ſit deceptus Cambyſes ſecunda vice à diabolo ob ambiguitatem. Prius enim cum ſomniaret Smerdem ſedere ſupra ſolium regiũ, id de fratre eſt interpretatus, cum potius de Mago debuiſſet intelligere. Nunc ſimili ratione fallitur. Nam acceperat oraculum, quod apud Ecbatana eſſet moriturus. Hoc ipſe intellexit de vrbe Medorum ampliſſima: ſed intelligendum erat de vrbe quadam Ægypti (Syriæ) valde obſcura. Cùm enim illic tranſire vellet, gladius è vagina exiit, & eum vulnerauit, ex quo vulnere occubuit. Priuſquam moreretur, deplorauit necem fratris, ac ſe ταχύτερον ἢ σοφώτερον dixit feciſſe.

Cùm rex Cambyſes eſſet mortuus in Ægypto, Magi in Perſia regnum affectarunt, ac quoque fraude per ſeptem menſes obtinuerunt. Nam Magus ille miſſus à Cambyſe vt Smerdem interficeret, audita regis morte, pro Smerde ſubiecit fratrem ſuum Oropaſten loco regis, quem Smerdem eſſe mentitus fuerat. Erat enim Oropaſtes Smerdi & oris & corporis lineamentis perſimilis. (Hunc Oropaſten quoque vocant aliqui *Smerdi*.) Ac res eò fuit occultior, quod apud Perſas regis perſona ſub ſpeciem maieſtatis occulitur. Vt aũt maiorem populi fauorem ſibi reliquisq; Magis cõciliaret rex iſte Pſeudo-Smerdes, ſtatim vectigal

Perſis remiſit in triennium. Quæ res ſuſpecta fuit Perſiæ principibus, ac inprimis Otani. Itaque interrogauit filiam ſuam, quæ vna fuit ex regis concubinis, num Cambyſis frater ſit rex. Filia reſpondit, ſe neſcire, quia ſingulæ concubinæ ſeorſum recluderentur. Otanes ergò iuſſit, vt dormienti regi aures attrectaret. Nam ſciuit Margo aures eſſe à Cambyſe præciſas. Filia exſequitur mandatum, ac renunciat regem auribus carere. Eo cognito, rem Otanes indicat reliquis Perſiæ principibus, qui ſtatim de liberanda patria conſilium ineunt, vt mox dicam. Porrò de voce *Magi*, nil diſputare poſſum. Neſcio an vox illa Hebraica, à qua nomen hoc deducunt, ſit vſurpata à Perſis. Hoc tamen conſtat, Magos fuiſſe gentem in Media, vt disertè dicit Herodot. lib. 3. & 1. Vocis huius fit mentio apud Plat. in Alcibiade, Cic. 1. De diuin, 5. De fin. vbi ſcribit fuiſſe ſapientes. Poſtea id nomen redditum eſt inuiſum, ſicut nomen Aſtrologi, Sophiſtæ, *&c.* Quanto autem in periculo hoc tempore fuerit regnum Perſicum, quiuis iudicare poteſt. Cambyſes enim nullam habuit prolem, & interfecerat fratrem ac ſororem. Magi præterea iam regnum inuaſerant, & per aliquot menſes obtinuerant, adque Medos omnino (cum ipſi eſſent Medi) transferre ſtatuerant. Itaque omnino videbatur regnum rediturum ad Medos. Sed Deus mirabiliter regnum conſeruauit Perſis, per ſeptem principes Perſarum: inter quos, cū Otanes fraudem Pſeudo-Smerdis (vt dictum eſt) animaduertiſſet, rem ad ſex alios retulit, qui inito cōſilio Magos ſtatim eſſe interficiendos ſtatuerūt. Itaque occultato ſub veſte ferro, ad regiam perueniunt, & Magos adoriuntur, qui ſtrenuè ſe quoque defendentes, duos ex Perſis interficiunt. Sed Perſæ ſuperiores tandem euadunt. Inter principū iſtorum factum, hoc cumprimis eſt memorabile, quod Gobryas amplexus Magum, cunctantib. ſociis

ciis ne Gobryam pro Mago fortè interficerent; quia res in obſcuro agebatur; vel per ſuum corpus ferrum adigi iuſſit, modò non Magus elabatur. Sed fortuna regente Magus eſt occiſus, illęſo Gobrya. Occiſis Magis interfectores de alio creando Magiſtratu quamprimum conſultarunt. Ac licèt diſſentirent, poſtremò tamen in ſententiam Darii conceſſerunt, vt dicendum eſt in Dario.

P.15, ℣.8, *Quos de legibus Plato*] Quantæ fuerint virtutes Cyri, eſt ſupra oſtenſum. Ferè autem fit vt maximi viri maximè peccent. Idem fecit Cyrus, qui in extrinſeca intentus, domi fuit cæcus; vnde non immeritò reprehenditur à Platone libr.3. De Rep. quod cum curaret vt ſuis plurimum relinqueret, non in id etiam incumberet, vt eos faceret optimos. Lege Odam Horat. 24. libri 3.

Indignoq; pecuniam Hæredi properet, &c. Obſeruandus autem eſt hîc ſynchroniſmus. Cambyſis æqualis fuit Polycrates tyrannus Sami, qui (ſi non fabula eſt) homo fuit feliciſſimus. Scribit Herodotus fuiſſe ei jus hoſpitii cum Amaſide rege Ægypti. Exſtat exempla, vbi inter ceteros ſcribit, Amaſidi, vt aliquid ſibi concitet mali, aut det conſilium, quomodo aduerſi quid poſſit aduocare. Suaſit Amaſis, vt abiiceret annulum quē habebat chariſſimum, in mare. Polycrates ſecutus eſt conſilium, & annulum proiecit; ſed intra ſeptimum diem venit piſcator afferens ad aulam piſcem, quē cum exenteraret coquus, reperit annulum. Hoc ſignificauit Amaſidi. Quam ob cauſam renunciauit Amaſis amicitiam, cogitans extremè tandem infelicem futurum, quod & factum eſt. Lege Cic. lib.3. Tuſc. quæſt. In crucem ad extremum eſt actus fœdâ proditione Oroëtis Sardium præfecti. Dicitur filia Polycratis vidiſſe per quietem patrē in alto à Sole vngi, & ablui à Ioue, quod & accidit. Nam defluxit pinguedo à corpore, quam pluuia abluit. Inter alia Polycratis dicta eſt etiam hoc:

Nemini parcendum eſſe, ne amicis quidem; quia amicus multo maiorem gratiam ſit relaturus, ſi quid ei eripiatur, ac poſtea reddatur, quam ſi nihil auferatur.

Metaſthenes in catalogo regum Perſicorum omittit Cambyſen, ac poſt Cyrum nominat Artaxerxem Aſſuerum, qui alio nomine dicitur *Darius filius Hiſtaſpis* Cauſa huius rei videtur eſſe hęc: quia Cambyſes regnauit viuente patre. Cum enim non liceret extra regnum proficiſci regem cum exercitu, niſi domi prius rege creato: Cyrus ducturus exercitum in Scythas, filium Cambyſen creat regem. Melanchth.

P. 15, ℣. 15, DARIVS *filius Hiſtaſp.*] Quo mortuo Cambyſe Magi regnum ad ſe transferre fuerint conati, ſupra commemoratum eſt. Interfectis aũt Magis, deliberatio inſtituta eſt à principibus Perſiæ, de forma gubernationis inſtituenda. Suntque tres orationes apud Herodot. de optimo ſtatu Reip. Otani placuit democratia porrò vtendum apud Perſas. Eam ſententiam refutat Megabyzus, oſtendens incommoda illius politiæ. Suadet autem ipſe Ariſtocratiam inſtituendam. Darius verò contendit patrias leges de retinendo regio ſtatu non abolendas. Hæc ſententia à ceteris eſt approbata. Ne autem certamina orirētur propter regni adeptionem, conuenit vt manè Principes in ſuburbio conuenirent equis inſidentes, & cuius equus primus hinnitum ederet, is rex eſſet. Darius ergo noctu ex cōſilio Oetani equorum curatoris in loco conuentus equum ſuum ad equam admittit. Manè deſiderio equæ primus hinniuit Darii equus. Acceſſit etiam cæleſte ſignum, fulgur & tonitrua ſereno cælo. Deſilientes ergo ceteri ex equis, Darium regem ſalutant, & ei fauſta precantur.

Hic Darius ſecundum doctorum ſententiam eſt Aſſuerus, maritus Eſter. Vxorem habuit filiam Cyri Atoſſam, teſte Herod. Et concubinam maximè

mè dilectam Artiſtonam, quam ſcriptura vocat *Eſter*. Filia Cyri Atoſſa vocatur in ſacris literis, *Vaſti regina*. Lege libr. Eſter. Huius Darii tempore Eccleſia Iudaica in ſummis fuit anguſtiis. Nam impedita fuerat adhuc ædificatio templi, & Hamā per calumniam impetrauerat edictum de tota gente Iudæorum delenda: quod conſilium interceſſione Eſter eſt impeditum, vt deſcribitur in ſacris.

ib. *Zopyri*] Babylonem poſt longam obſidionē vicesimo menſe recepit opera & aſtutia Zopyri, qui ſibi nares & aures præcīdit ipſe: ac Babylonem venit ſimulans ſe à Perſarum rege ita malè acceptū, quod hortator fuiſſet relinquēdæ obſidionis. Hæc credentes Babylonii præfecerunt eum exercitui. Primum lenibus præliis vicit Perſas, ac tandem vrbē Dario tradidit. Ideo ſummo ſemper fuit in honore apud Darium, ita vt aliquando Darius pomum Punicum in manu tenens, diceret: *non ſe optare maiorem theſaurum, quam vt tot haberet Zopyros, quot grana ſint illius pomi.* Poſt captam Babylonem mouit paulò poſt bellum Scythicum: nā infuſos in Aſiam Getas (à quibus Gotti ſunt oriundi) Cimmerios, (à quibus Cimbri) & Sauromatas remouere conatus eſt. Sed Getæ quidem ſe dediderunt, at Scythas non vicit, teſte Herodoto. Quia item Perſica monarchia Macedoniam attingebat, hanc quoque ſuo imperio adiicere conabantur, præſertim cum ibi venæ metallicæ eſſent. Ergo miſſi ſunt legati Perſici ad Amyntam regem Macedonum, petentes, vt terram & aquam traderet Dario. Amyntas placidè reſpondet, & Perſas in conuiuium vocat. Perſæ petunt etiam nobiles mulieres adduci, & inter conuiuas collocari; ac ebrii immodeſtius attrectarunt ſinus mulierum. Filius ergo Amyntæ Alexander, proauus Alexandri Magni id ægrè ferens, petit vt concederent Perſæ mulieres aliquantiſper ſurgere, ac confirmat

Zopyrus quoq; fuit vnus ex interfectorib.

Pœna laſciuia. mox redituras. Interea ſubornat adoleſcẽtes, quibus induit earum veſtes, & ſub veſtibus arma occultare iubet, quibus Perſas contrectantes confodiant. Idque factum eſt, & Perſæ ſuæ laſciuiæ iuſtas dederunt pœnas.

Cauſa. I ib. *Bellum deinde ſuſcepit in Athenienſes*] Cauſa belli præcipua fuit, quod Athenienſes iuuerunt Ionas contra Perſas. Nam defecerant Iones à Perſis, (De Ionia vide tab. 1. Aſiæ) & incenderunt Sardes, qua in re auxilia habueruut Athenienſium. Defectionis auctor fuit Iſtiæus, qui in Perſia intellexit Darium velle Ionas in Phœnicum regionem. (De Phœnicia vide tab. 4. Aſ.) transferre, & Phœnices in Ioniã collocare. Ionici belli dux fuit *Ariſtagoras.* Ariſtagoras Mileſius. Sed Iones ad Epheſum cæſi ſunt, & Ariſtagoras fugiens in Thraciam interfectus eſt, Herod. libr. 5. Et Hiſtiæus Melite capta cruci affixus. Herodot. libr. 6. Durauit bellum Io-*2. Hippias.* nium ſex annos. Athenienſes deſeruerũt poſt cędem Ionum ad Epheſum, Ionas. Et hæc vna fuit cauſa belli contra Athenienſes. Acceſſit altera cauſa hæc: Hippias Piſiſtrati filius, qui Athenis tyrannidem tenuerat, pulſus eſt, & hoc tempore exul apud Darium fuerat. Frater etiam Hippiæ Hipparchus interfectus fuit propter libidines. Hippias petit à Dario ſe in patriam reduci. Itaque Darius miſit 100000 peditum & 10000. equitum. Sed Miltiades occurrit Perſis cum 10000. ciuibus, & 1000. Platæenſibus ad Marathonem vrbem Atticę, non longè ab Athenis ſitam: & Perſas fudit, anno quinto ante mortem Darii, vt teſtatur Herodot. libr. 7. Hippias in eo prælio teſte Cic. ad Attic. & Iuſtino, interfectus eſt. Suidas narrat in Lemno poſtea morbo exſtinctum eſſe.

Miltiades. *Ingratitudinis exemplũ.* In Miltiade exemplum habemus ingratitudinis ſummæ hominum. Nam cum Perſas profligaſſet, & ante Lemnum adieciſſet imperio ciuitatis Atticæ, ab inuidis accuſatus eſt, & publicè damna-

tus,

tus, vt 50. talenta, i. 30000. coronatorum penderet. Ductus igitur eſt in carcerem, donec ſatisfaceret, & paulò pòſt in carcere mortuus eſt. Pro patre in carcerem deſcendit filius Cymon: vt cadauer ad ſepulturam redimeret. qui liberatus eſt ab affine ditiſſimo, cui ſoror Cymonis collocata fuit. Is pecuniam illam numerauit Reip. *Cymon.*

XERXES IV. REX.

Xerxes poſt mortem Darii regnauit, licèt eſſet iunior. Et frater Artabazanes maior natu: quoniam pater dum bellum in Græcia gereret, voluit domi regnare Xerxem. Cauſa fuit, quod Xerxes natus fuerat ex filia Cyri Atoſſa, cuius propter patrem fuerat ſumma auctoritas, ſed Artobazanes ex alia coniuge natus fuerat, non regina, imo & ex patre priuato, vt ſcribit Iuſtinus. Scribunt autem hiſtorici, fratres non propterea mutuam beneuolentiam mutaſſe. Metaſthenes & Philo omittunt Xerxen, & poſt Darium nominant Longimanũ, quia diſcedente Xerxe in Græciam domi regnauit filius Artaxerxes Longimanus. Et pauló poſt Xerxes poſt cladem in Græcis acceptam interfectus eſt. Et hi ſcriptores occidentis hiſtorias non ſcripſerunt.

Cladem patris Xerxes vindicaturus, ſuaſore Mardonio Gobryæ nobilis Perſæ filio cognato, exercitum duxit in Græciam hominum 1000000: quarum nullus alius duxiſſe legitur, excepto Tamerlano Tartaro, qui peruaſtauit Aſiam, & Baiazetum Turcum in cauea circumduxit. Hunc ſcribũt habuiſſe 400000. equites, & 60000. pedites. *Exercitus maximus in hiſtoriis.*

Xerxis autem exercitus intra biennium quater eſt victus. 1, ad Thermopylas; 2. & 3. in mari ad Artemiſium & Salaminem; 4, ad Plateas.

Bella Xerxis. 1, ad Thermopyl.

Xerxes cum exercitu pedeſtri ex Cappodocia (regione Aſiæ. Vide 1. tab. Aſiæ, & in minorib.

tabulis, tabulã Aſiæ minoris) mouit, & per Bithyniam ac Phrygiã (de quib. vide eaſdem tabul.) venit Sardos (vide eaſ. tabulas) vbi per hyemem commoratus eſt. Interea mittit legatos in Græciam petentes terrã & aquã. Græci famâ imminentis belli auditâ, omnes priuatas ſimultates obliuione delet, & ſyncretiſmo facto, mittunt legatos auxilium petentes à Syracuſarum rege Gelone, à Cretenſib. & Corcyreis. Exacta hieme, Helleſpontum tranſit (vide eaſdem tabulas verſus Occaſum) & per Thraciam, Macedoniam & Theſſaliam pergit ad Thermopylas (de his omnibus vide tabulam Europæ 10. & in minoribus tabulis Græciæ) fauces, vbi aditus eſt ad Phocenſem regionem ex Theſſalia, vbi eſt Sperchius fluuius (vide iiſdem in tabulis). Eum aditum ad Thermopylas cuſtodiendum decreuerunt Græci. Cuſtodiuit ibi exiguus exercitus fauces, 300. Lacedæmonii, 400. Thebani, & ex aliis locis Græciæ circiter 3000: Sed ante pugnam Phocenſes primum, deinde alii diſceſſerunt, & manſerunt ſoli Lacedæmonii cum rege ſuo Leonida, Thebani & Theſpienſes. Hic paruus numerus trucidauit 20000. in. exercitu Xerxis; ſed ipſi ſimul interfecti ſunt omnes præter duos.

Pugnatum eſt per triduum; teſte Iuſtino.

Nec alia ſimilis pugna exſtat in hiſtoriis præter Helueticum factum ad Baſileam, cum Papa in Germaniam miſiſſet Delphinũ. In exercitu Gallico trucidata ſunt quoq; 20000. ab Heluetiorũ 3000 Pugna ad Thermopylas facta eſt tempore ſolſtitii æſtiui, circa menſem Iunium. Simonides epitaphium ſcripſit iis, qui ad Thermopylas occiderunt Lacedæmoniis, quod Cic. 1. Tuſculanarum, quæſt. ſic vertit:

Dic hoſpes Spartæ, nos te hic vidiſſe, iacentes
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

II. Pr-

II. Pugna Xerxis.

Iſdem ferè diebus pugnatum eſt ad Artemiſium in Theſſalia, non procul à Pagaſis in mari Nam decreuerant Græci claſſem ad Artemiſium mittendam eſſe, vbi reſciuerunt claſſem Xerxis ad Magneſiam naufragio diſiectam eſſe, teſte Herodoto. Partem ibi quoque exercitus amiſit Xerxes. Sed tamen pugna illa non fuit magna.

III. Pugna ad Salaminem.

CVm Perſæ ſuperiores eſſent in pugna ad Thermopylas, tota Grecia terrore perculſa eſt, vt multæ vrbes ſtatim ſe Xerxi dederent; & quidem Phocenſes & Thebani ſe Perſis adiungerent. Miſit etiam legatos ad Athenienſes, vt ſe dederent. Sed noluerunt Athenienſes vllas accipere conditiones deditionis. Inprimis Themiſtocles ſuaſit, vt patriæ libertatem tuerentur, quia honeſtius ſit in libertate mori, quam in ſeruitute viuere. Ciuis verò quidam Athenienſis, quem Herodotus Lycidam, Demoſthenes *Cyrſilum* nominat, auctor erat, vt conditiones oblatas acciperent. Itaque reliqui ciues Athenienſes eum lapidibus obruerunt, & mulieres Atticæ ipſius vxorem lapidibus necarunt, quod libertati Græcorum inſidiarentur. *Lycidas. Studium libertatis tuendæ.*

Decretum verò eſt à Græcis, vt anguſtias maris circa Salaminam inſulam occuparent, ne à multitudine nauium Perſicarum circumueniri poſſent: ſicque nauali pugna reſiſtendum Xerxi. Occaſionem præbuit oraculum Delphicum, quod Athenienſibus conſulentibus oraculum reſpondit, ipſos victoriam in ligneis muris habituros. Id Themiſtocles de nauium præſidio interpretatus eſt; & hortatus vt vrbe relicta & vxoribus ac liberis aliò depoſitis, naues etiam con-

ſcenderent, quia vrbs tantæ multitudini non poſſet diu reſiſtere. Id factum eſt, & imitatæ ſunt hoc factum reliquæ vrbes Sparta & Corinthus.

Ad Salaminem igitur inſulam (de qua vide Ptol. tab.10. Europ. Et in minor. tab. Græciæ) pugnatum eſt duce Themiſtocle & Græca claſſis nauium 378. Toto die prælians Perſicam multo maiorem ita diſſipauit, vt perierint plurimæ naues, & reliquæ fuga euaſerint. Xerxes pręlio non interfuit, ſed cum paucis nauibus in litore ſpectator conflictus fuit. Scribitur de hoc Xerxe, quod fuerit primus in fuga, vltimus in prælio. Xerxes poſt pugnam

Vide Iuſtin. Helleſpontum (territus à Themiſtocle, qui ſignificauit, Græcos pontem, quem per mare fecerat, interrupturos) tranſiit nauicula non ſine diſcrimine vitæ, & rediit in Aſiam. Scribit Herodotus pugnam Salaminiam factam eſſe eadem æſtate circa autumnum. Melanchthon verò dicit viciſſe Græcam claſſem die 16. Martii anni ſequentis poſtquam ſuperiori anno in Europam veniſſet.

IV. *Bellum ad Plateas.*

XErxes poſt pugnam Salaminiam fugiens, reliquit in Græcia Mardonium cũ 300000. militibus. Hic exercitus imminẽte hyeme in Theſſalia hibernat. Sequenti anno Mardonius Thebas cum exercitu venit (nam Thebani ad Perſas defecerant) & miſit legatum ad Athenienſes Murichidem. Cumque Lycidas de eius poſtulatis ad populum ferendum eſſe ſuaderęt, lapidibus obrutus eſt, vt ante deſcripſimus. Incendit etiam Mardonius vrbem Athenarum & ſolo ęquat.

Poſtea ad Plateas vrbem Bœotiæ ſupra Athenas verſus Septentrionem (vide eaſdem tabul.) confligens ducibus Pauſania Spartano, & Ariſtide Athenienſi (nam Themiſtocli iam erat imperium abrogatum, quod à Spartanis dona accepiſſe fereba-

tur)

tur Perſicus exercitus 300000. hominum cæſus eſt, & Mardonius ſuaſor belli lapide coniecto in caput à viro Spartano interfectus eſt.

P. 16. ℣. 6. *Lacedæmoniis*] i. Spartanis, duce Leonida.

ib. *terra quoque*] ad Plateas, ducibus Pauſania & Ariſtide.

ib. *reuertit*] traiecto Helleſponto nauicula.

ib. *Seſtum*] vt deſcribit Herodot. in fine lib. vlt. duce Xantippo.

ib. *ſuas vxores*] ex Salamine & Trœzene reducunt, teſte Thucyd. initio lib. 1.

Reſtaurant] Themiſtoclis conſilio, vt ait Thucyd.

Cicero] in Bruto.

℣. vl. *Eum Cic.*] 1. De legib. Herodotus vbi deſinit Prophetica hiſtoria, incipit ac deſcribit res geſtas Cyri, Cambyſis, Darii Hiſtaſpis, & Xerxis.

P. 17. ℣. 2. *fabulas eſſe dicit*] Scripſit etiam Plut. libr. περὶ κακοηθείας Ἡροδότου, de improbitate Herod.

ib. *indigne quidem*] teſte Thucyd. lib. 1. Cum mœnia maiora complexi fuiſſent, ſuſpecti eſſe Lacedæmoniis cœperunt; reputantibus plurimum incrementi daturam ciuitatem munitam. Mittunt ergo legatos qui monerent, ne munimenta hoſtibus & receptacula futuri belli extruant. Sed Athenienſes animaduertentes, ſpei vrbis inuiderũt, perrexeruntq; in opere ſuo.

ib. *Cyprum capiunt*] duce Pauſania, & Ariſtide ac Cimone Athenienſibus. Cyprus eſt deſcripta à Ptol. 4. tab. Aſ. & in minor. in Aſia minore, ad meridiem. Vide Thucyd.

ib. *Byzantium*] Hodie *Conſtantinopolis* eſt. Vide tab. 9. Europæ, ad Boſphorum Thracicum, in minor. tab. in tab. Vngariæ. Tenebatur Perſicis præſidiis, à quibus vrbem vt & ceteros in Cypro & Helleſponto liberat Pauſanias cum ſociis Athenienſibus.

Potentiæ nõ fidendum. In hiſtoria Xerxis 1. obſeruetur, non eſſe fidendũ potentiæ. Nam totus exercitus Xerxis ferè innumerabilis eſt diſſipatus & cæſus. Ita noſtra ætate Viennam relinquere Turca coactus eſt, qui cum exercitu 200000. venerat in Germaniam. 2. Studium concordiæ propter ſalutem communem Nam facto ſyncretiſmo omnes deponunt ſimultates. Et Athenienſes initio belli cedunt Lacedæmoniis, iiſque ſummam imperii concedunt. Deinde in bello Plateenſi paſſi ſunt Arcades ante ſe collocari. 3. Exempla præſtantium virorum, de quibus etiam Sleidanus monet.

Pauſanias. ib. *Pauſanias*] qui dux fuit ad Plateas. Is initiò fuit modeſtiſſimus in victoria, adeò vt cum quidam Perſicorum ducum capita cruci affigenda vellent, ſicut ipſi Leonidæ caput contumelia affecerat, reſponderit, *ſe mortuos nulla contumelia affecturum.* A captiua etiam nobili muliere abſtinuit, eamq; ſuis remiſit. Poſtea cum Byzantium occupaſſet inſolentior factus, Xerxis filiam petit per literas coniugẽ, & permittit ſe Spartam & reliquã Græciam ipſi ſubiecturum. Cumque ſociis tyrannicè imperaret, accuſatus à ſociis Spartam reuocatur, ſed à crimine proditionis abſoluitur. Thucyd. lib. 1. Rurſus deinde clam Byzantium redit, & cum Perſis conſilia communicat. Quare ſecundò Spartam reuocatur, & in carcerem ab Ephoris cõiicitur. Sed cum ſe iuri ſiſteret, rurſum dimiſſus eſt. Tandem proditus ab Argilio, cui literas in Perſiam perferendas tradiderat, cum Ephori eum denuo comprehenſuri eſſent, confugit in templũ. Palladis, in quo fame necatus eſt. Et mater Alcithea, cum fores muro obſtruerentur, primum lapidem in ea obſtructione locauit. Thucid.

Themiſtocles. Ingratitudo ib. *Themiſtocles*] ab ingratis ciuib. Athenis anno 10. poſt prælium ad Salaminem eiectus eſt, teſte Thucyd. Nocuit ipſi odium Lacedæmoniorum, qui præferebant Cimonem, & quod minus mode-

ſtè

ſtè viuebat. Præterea Lacedæmonii Athenienſibus nunciarunt, Themiſtoclem ſocium fuiſſe conſiliorum Pauſaniæ. Itaq; ex Pelopõneſo fugit in Corcyram inſulam, inde in Epirum & ad regem Moloſſorum ante ſibi inimicum, cuius filium manu tenens ſupplex Admeto factus eſt (id erat genus efficaciſſimum ſupplicandi & repulſæ ſecurum, vt teſtatur Plutarch. in Themiſtocle) ac ab eo receptus. Sed cum timeret Græcos poſcentes eum ſibi dedi, curauit eum in Aſiam tranſuehi. Ibi vixit apud Artaxerxen: promiſitq; ſe ducem fore contra Græcos. Cum verò rex ei exercitum & pecuniam decreuiſſet, deſperatione tantæ rei, & præcipuè metu Cimonis omiſit expeditionem, & mortẽ ſibi conſciuit hauſto taurino ſanguine. Vixit annos 65. Plura de Themiſtocle vide apud Plut. in Parallelis.

Celebrantur alii duo duces Athenienſium, Ariſtides, & Cimon filius Miltiadæ; qui tanta moderatione ſunt vſi in Græcia, vt Græciæ ciuitates relictis Spartanis ſe Athenienſibus adiungere voluerint. Sed de his poſtea plura.

ib. *Peloponneſus*] de quo bello infra.

ib. *Ariſtophanes*] In Acharnenſibus.

P. 18. ℣. 1. *Vt Cicero narrat*] 1. Offic.

ib. *Is re male*] Xerxes poſt bellum Salaminium in Aſiam reuerſus amori operam dedit. Nam relicta vxore Ameſtri inceſtam conſuetudinem habuit cum vxore fratris Maſiſtæ, & eiuſdem filia, & fratrem Maſiſten de vindicta cogitantem interfecit. Secuta eſt mox pœna. Nam à cubiculario ſubordinato ab Artabano, qui diſſuaſerat bellũ Græcum, domi interfectus eſt.

De rebus Græcorum.

ANte bellum* Troianum nil eſt clarius Argonautica expeditione; ad quam præcipui totius Græciæ principes conuenerant & in Colchicam (vide tabulam 3. Aſiæ & in min. tab. Aſiæ) ad vellus aureũ[a] i. ad venas metallicas. Expeditio hæc

* *Hæc antiquiſſima ferè ſunt fabuloſa, teſte Plutarcho.*

a *Aureum vellus videtur eſſe regnũ Aëtæ regis Colchici.*

incidit in tempora Iair Iudicis, qui proximè anteceſſit Iephthen. Interfuerunt expeditioni Iaſon, Hercules, Caſtor & Pollux, Orpheus, Telamon Aiacis pater, & alii [b]. Secuta eſt expeditio Thebana, eodem ferè tempore. Duxerat ignarus matrem Iocaſtam OEdipus, ex qua procreati ſunt Polynices & Eteocles, qui de regno dimicantes mutuis vulneribus ſunt interfecti. Mater ſeipſum interemit, pater hiatu terræ abſorptus. Euripides in Phœniſſis deſcribit. Polynices vt hoſtis patriæ à rege Creonte inſepult⁹ abiicitur, & ſoror Antigone, quæ contra leges fratrem ſepelierat, à Creonte viua ſepelitur. Vide Antigonen Sophocl.

b Abduxerunt etiam ſecum Medeam filiam regis inſignẽ veneficam.

Poſtea bellum Troianum exortum eſt propter raptam à Paride Helenam. [c] Incidit in tempus Elonis Iudicis, qui iudicauit populum Iſraeliticum ante Abdonem & Samſonem. Conſtat ex Dionyſio Halicarnaſſæo, Diodoro Siculo, Strabone, Velleio Paterculo, Euſebio & aliis, qui vrbem Romam annis 430. poſt Troiæ excidium conditam ſcribunt. Eſt autem condita 750. annis ante natum Chriſtum, hoc eſt, anno mundi 3212. Detrahe 430. remanent 2782. quo Troia euerſa eſt: hoc eſt initio gubernationis Iudicis Abdonis. Decem autem annis ante incœpit bellum: ergo initium fuit anno 2772. quo Elon iudex fuit. Ita quidem Chytræus: qui numerus probatur hoc modo.

c Helena tandem in Rhodo inſula de arbore ſuſpenſa eſt, teſte Pauſania in Lacon.

Series annorum ab initio mundi ad mortem & reſurrectionem Chriſti.

ANni 1656. à condito mundo vſque ad diluuiũ. *Geneſis* 5.

350. a diluuio vſque ad mortem Noachi. *Gen.* 9.

17. à morte Noachi vſque ad vocationem Abrahæ. *Gen.* 12.

430. à vocatione Abrahæ vſque ad vocationem Iſraelitarũ ex Ægypto. *Ex.* 12. *Gal.* 3.

480. ab exitu ex Ægypto vſque ad 4. annum Solomonis & cxſtructum templum Ieroſolymitarū. 1. *Reg. 6.*

423. à templi prima ſtructura vſq; ad deſolationem ſub Nabuchodonoſore, 2. *Reg. & Chronic. vlt.*

70. à deſolatione anni captiuitatis Babylonicæ, vſq; ad liberationem per Cyrum, *Ierem.* 25. *& alibi.*

80. à liberatione per Cyrum, per annos 58. Zorobabelis vſq; ad 22. annum Rheſa Medullam ducis, & 7. Darii Longimani, qui alias Artaxerxes, ab Eſra *Artaſaſtha* nominatur, quo Eſdra cum Nehemia plateas & muros vrbis reædificant, & omnia inſtaurant ac componunt, *Eſd.* 8.

490. Ab anno 7 Darii Longimani, vſq; ad Chriſti mortem & reſurrectionem, qui Danieli ſub 70. hebdomadibus ab Angelo manifeſtantur.

Incipiendæ ab hoc 7. anno Darii Longimani, ſecundum Funccium. Dum enim tandem omnia ſunt rectè compoſita & inſtituta, diuiduntur in tres claſſes. Prima 7. hebdomadas, hoc eſt, annos 49. comprehendit, in quibus multa impedimenta fuerunt ſuſtinenda & ſuperanda, vt Angelus prædixerat. Deinde 62. aliæ hebdomades, quæ conficiunt annos 434. Adde tertiam claſſem, nempe vnam hebdomadam, in qua mortuus eſt Chriſtus, hoc eſt, annos 7. Erit ſumma horum annorum omnium *3996* A quibus ſi ſubtraxeris annos Chriſti à natiuitate ad mortem, nempe 34. retinebis à condito mundo ad natum Chriſtum 3962. Adde à nato Chriſto ad hunc annum 1586. habebis annos 5548.

Conſtat igitur anno mundi 3963. natum Chriſtum. Annis autem 750. ante Chriſtum natum Roma condita; hoc eſt, anno mundi 3212. tempore Achas regis Iuda. Melanchthon ſequitur Virgilii auctoritatem. Is ab initio regni Albani ad Romæ initium ſtatuit annos 300: in 1. Æneid. Ergo ſecundum Virgilium à capta Troia ad initium Romæ

Homerus. *Heſiodus.* erat anni 360. Et ſic incideret Troiæ excidium in annum 2852. Sed rectius multò numeratur 2782. propter cauſas adductas. Belli Troiani deſcriptio exſtat apud Homerum annis 150. poſt bellum Troianum, & 280. annis ante Romam conditam, annis 100. ante Heſiodum.

Thales. *Pythagoras.* *Solon.* Thales & Pythagoras circa Crœſi & Cyri tempora vixerunt: item Solon Athenienſis ciuis.

Olympiades. Olympiadum initium anno 405. poſt excidium Troiæ capiendum eſſe Diodorus Siculus teſtatur. Ergo incidit in annum mundi 3187. vel 3188. qui eſt ſecũdus annus Ioathan Regis Iudæ. Fuit σύγχρονος regis Aſſyriorum Phuli, qui Manahæ regi Iſrael tributum impoſuit.

Archilochus Archilochus poeta vixit tempore Romuli, teſte Cic. 1. Tuſc. & tempore Gygis Lydorum regis, teſte Herodoto. Circa tempus Manaſſis & Ezechiæ regnum Iudæ, hoc eſt annos mundi 3230. 3246.

Arion Muſicus floret tempore Iechoniæ regis Iuda, qui captus eſt à Nabuchodonoſore.

Septem Sapientes tempore Cyaxaris.

Alii viri docti. Bias, Pittacus, Cleobulus, Chilon, Periander, Solon, Epimenides, Anacharſis. tempore Nabuchodonoſoris.

Pythagoras, Phocylides, Theognis, Anaximander, Zeno Eleeates, dialecticus; Parmenides, Epicharmus Siculus. Vixerũt tempore Cyri.

Simonides, Anacreon, viuunt tempore Cambyſis.

Empedocles, Anaxagoras, tempore Darii.

Euripides, natus die victoriæ Salaminię.

In bello cum Xerxe geſto anno imperii ipſius 16. vel 17. Cimon filius Miltiadis dux Athenienſium vrbem Eiona ad Strymonem flumen (vide tab. 10. Europæ in fine verſus ſeptentrionem, non longè ab Amphipoli) expugnat, quam Boges dux Perſicus præſidio tenebat. Thucyd.

Anno 18. Xerxis Scyron inſulam Cimon occu-

pat. Primò omnium in Græcia regnum tenuerunt Sicyonii: deinde potentiſſimi fuerunt Athenienſes; poſtea Spartani, deinde Thebani, donec tandem Macedonibus ſunt ſubiecti: vide de bello Peloponneſiaco.

Athenienſes ante Solonem abſque legibus vixerunt, vt ait Iuſtinus. Plutarchus tamen ait vſos Draconis legibus rigidioribus. Poſtea verò Solonis legibus ſunt vſi. Ac à tempore Xerxis vſque ad bellum Peloponneſiacum in Græcia maximè creuit potentia Athenienſium. Et Demoſth. inquit Athenas tenuiſſe principatum inter Græcos annos 73. numerans annos à Cimonis victoriis vſque ad Lyſandrum Lacedæmonium, qui Athenas cepit. Interea tamen etiam potentes fuerunt Lacedæmonii, & crebra bella geſſerunt: de quib. paulo poſt.

Habuit vrbs Athenarum priſcis temporibus reges. Numerantur inter alios Cecrops, Cranaus filius, poſt hunc Amphytrion, longo tempore poſt Erichteus: Item, Ægeus pater Theſei, Theſeus, Demophoon filius. Tandem etiam Codrus, qui tempore Dauidis regis Iuda vixit. Annis 534. ante Cyri monarchiam.

Circa annum mundi 3416. 8. annis ante imperium Cyri I. Regis Perſiæ, Piſiſtratus occupauit tyrannidem Athenis. Nam cum inter Megarenſes & Athenienſes propè ad interitum armis dimicatum fuiſſet, de proprietate inſulæ Salaminæ, ac ſuaſu Solonis bellum aduerſus Megarenſes decretum eſſet, inſula deuictis hoſtibus Athenienſibus eſt ſubiecta, teſte Iuſtino. Piſiſtrati tùm ducis opera ſunt vſi. Is igitur quaſi ſibi, non patriæ viciſſet, tyrannidē per dolum occupat. Quippe ſe ipſum vulnerauit, & aduocata concione vulnera populo oſtendit; deque crudelitate principum à quib. hoc ſe paſſum ſimulabat, queritur amore plebis inuiſum ſe ſenatui affirmans. Itaq; *Piſiſtratus.*

obtinet ad cuſtodiam corporis ſui ſatellitum auxilium, per quos occupata tyrannide per annos 34.regnauit. Poſtea filius Piſiſtrati Hipparchus tempore Darii Hyſtaſpis ab Ariſtogitone & Armodio, cuius pudicitiæ inſidiatus fuerat, necatus eſt. Et frater Hippias poſt necem Hipparchi anno 4.propter tyrannidem Athenis pellitur. Anno 20. ante prælium Marathonium, teſte Thucyd.libr.*6*. cum Piſiſtratidæ *36*. annos Athenis regnaſſent.

PoſteaCliſtenes Alcmæonides Periclis auus maternus cum Iſagora de principatu Athenarum cõtendit, & 10.trib.inſtituit. Deinde cum Lacedæmoniis, Bœotiis & Æginetis bellum gerunt Athenienſes tempore eo, quo Darius miſit legatos ad Amyntam regem Macedoniæ. Lacedæmonii reuocant Hippiam, ſed repugnante Soſicle Corinthio nil actum fuit.

Miltiades Lemnum Athenienſib.ſubiicit.

Samii ante expeditionem Darii in Græciam coloniam in Meſſenem Siciliæ vrbem ducunt.

Ariſtides. Ariſtides in exilium eiicitur, cum bellum decerneretur à Xerxe in Græcos. Effectum eſt Themiſtoclis arte, qui clamitauit eum regnum affectare. Itaque oſtraciſmo relegatus eſt, ſed anno tertio poſt, cum Xerxis exercitus in Græciam irrumperet, reuocatus eſt. Tandem inops eſt mortuus, vt ex domeſtico ſumptu iuſta ei perſolui non potuerint, vt teſtis eſt Plutarchus. Plura vide apud Plutarch.

Circa initium regni Artaxerxis Cimon dux Athenienſium ad Pamphyliæ fluuium Eurymedontem (vide tabul.1.Aſ.& in min. tab. Aſ. min.) Perſas profligauit nauali & terreſtri prælio. Quam victoriam ſecuta eſt celebris illa pax, quâ omnibus in Aſia ciuitatibus Græcis *αὐτονομία* & libertas conceſſa eſt, vt ſcribit Plutarch.in vita Cimonis. Legatio-

gationis Atticæ ad Artaxerxem princeps fuit Callias filius Hipponici.

Tempore illo Thaſii ab Athenienſibus deficiunt. Sed tres annos ab Athenienſibus obſeſſi deditionem faciunt, & omnibus nauibus & venis metallicis priuantur, Thucyd. Illo tempore Εἵλωτες, ſeu ſerui Lacedæmonii Ithomen in Meſſenia occupant (Meſſenia eſt in Peloponeſo. Vide tabul. 10. Europ.) Lacedæmonii bellum cum Meſſeniis & εἵλωσι gerētes, auxilia Athenienſium accerſunt; ſed cum Athenienſium fidem ſuſpectam haberent, ea auxilia ſtatim iterum dimittit. Id primum initium diſſenſionis inter Athenienſes & Lacedæmonios, quæ paulatim aucta eſt, donec bellum Peloponneſiacum inflammaretur.

Cauſa belli fuit, vt refert Iuſtinus, quod ſtuprarunt virgines ſuas. Sæpius autem renouatum eſt. Primū bellū inter Lacedæmonios & Meſſenios inchoatum eſt anno 2. Olympiad. nonæ, hoc eſt, an° 3. Ezechiæ regis Iuda, & durauit annos 19. Meſſenii in hoſtium poteſtatem venerunt, & has conditiones acceperunt à victoribus, ne vnquam à Spartanis deficerent, aut nouis rebus ſtuderent. Item, vt dimidiam partem fructuum quotannis Reipubl. Spartanæ penderēt. Sed cum Meſſenii intolerabili ſeruitute premerentur, hortante Ariſtomene, à dominis defecerunt: annō 39. à fine prioris belli. Alterum bellum confectum eſt anno primo Olympiadis 28. quo Meſſene funditus deleta eſt, & exules Meſſenii ex tota Peloponneſo pulſi nouam ſedem quæſiuerunt, & in Sicilia vrbem Meſſanam condiderunt. Interea domi Athenienſes cum Corinthiis & Æginetis bellum gerunt, & Æginam vectigalem faciunt.

Circa hęc tempora Cimon in exilium eiectus eſt, quod nimium videretur fauere Lacedæmoniis. Nam orto terræmotu Spartæ, Meſſenii vt ruinæ reliquias diriperēt, arma in Spartanos ſuſceperūt;

Lacedæmonii verò aliis etiam impediti, ab Athenienſibus auxilium petierũt. Cimone multum ſuadente, Spartanis ſuppetias tulerunt Athenienſes. Itaq; occaſionem adepti aduerſarii Cimonem criminati ſunt, & effecerunt vt per oſtracum relegaretur, quæ eſt pœna decennalis. Poſtea verò cum Athenienſes ad Tanagram vincerentur à Lacedæmoniis, auctore Pericle in patriam reuocatus eſt. Vide Plutarch.

Pugnæ ad Tanagram, cauſa fuit, quod Lacedæmonii Delphos à Phocenſibus liberaturi, opem tulerunt Dorienſium Metropoli contra Phocenſes, & ea re Athenienſes offenderunt. Itaq; intercludũt eos Athenienſes, ne in Peloponneſum redire poſſent. ſed magno prælio vincũtur Athenienſes ad Tanagram Bœotiæ (De Bœotia vide tabul. 10. Europ. & in min. tab. Græciæ.) Poſt prælium ad Tanagram ſexageſimo ſecundo die Athenienſes rurſum vincunt Bœotios, & totã Bœotiã occupãt.

Tolmides. Tolmides dux claſſis Atticæ, aliquot vrbes Lacedæmoniorum occupat; poſtea induciæ fiunt quinquennales. Bœotii cædunt Tolmidem ad Coroneam, & Athenienſes ex tota Bœotia pellunt. Eubœa & Megara deficiunt ab Athenienſibus. Sed à Pericle tota Eubœa Athenienſib. ſubiicitur, circa annum mundi 3520.

Poſtea pax 30. annorum inter Athenienſes & Lacedæmonios & cæteros confœderatos ſancita. Sexto anno pacis bellum Samium cœpit, in quo Samus in Athenienſium poteſtatem venit. De Samo vide tab. 1. Aſ. 57. 37. Anno 8. fœderis bellum ortũ eſt inter Corinthios & Corcyræos de Epidamno colonia motum. In eo bello Athenienſes auxilia miſerunt Corcyræis. Facilè impetrarunt auxilium; quia Athenienſes potentes in mari, ſperabant confœderatione Corcyrẽſium (qui etiam in mari plurimum poterant) dominos ſe fore totius Græciæ:

ſed

ſed Corcyræi ſunt victi. De Corcyra tab. 10. Eur. 46, 38. De Corinth. ibid. 51. 37.

Bellum Peloponneſiacum.

CAuſa belli Peloponneſiaci non fuit magni momenti. Prima occaſio fuit, quod in bello cum εἵλωσι Lacedæmonii auxilia Athenienſium domum remiſerunt. Deinde quod iuuerunt Corcyræos aduerſus Corinthios, prætere a vt ſuam potentiam augerent. Commune fuerat fœdus Græcorum, ne qui aliis bella inferrent, ſed vt controuerſiæ communi iudicio dirimerentur. Inciderunt verò inter Megarenſes & Athenienſes de luco incenſo contentiones, propter quem Attica ciuitas edictum propoſuit in Megarenſes, vt à portu Attico abſtinerent, ne liceret eis ingredi in terram Atticam. [Megara vicina Atticæ. tab. 10. Eur. 52. 37.] De hac iniuria cum Megarenſes apud Lacedæmonios queſti eſſent, petũt Lacedæmonii, vt edictum illud tollatur. Pericles diſſuadet, & exemplum dicit non tolerandum: poſtea enim Lacedæmonios maiora imperaturos eſſe, ſi nunc in re parua cederent. Ita rem adducit ad bellum.

Sunt autem anni a fuga Xerxis vſque ad initium belli Peloponneſiaci 50. Et hoc tempore maximè potens erat Reſp. Athenienſis: quam Demoſthenes ait tenuiſſe principatum inter Græcos annos 73. numerant annos à Cimonis victoriis vſque ad Lyſandrum Lacedæmonium.

Anno autem 14. fœderis tricennalis decretum eſt bellum aduerſus Athenienſes. Varia fuit fortuna huius belli. Nam aliquoties fuerunt victi & victores Athenienſes ac Lacedæmonii. Lacedæmonii in auxilium vocarunt Perſas.

Quomodo in Siciliam profecti ſint, & quare deſcribit Sleidanus: nimirum, vt Leontinis auxilium

ferrent ſeu Catanenſibus. de quibus vide tab. 7. Europ. 39. 38. & hac ratione totam Siciliam occupârunt. Catanenſes enim cum Syracuſanos graues paterentur, auxilium ab Athenienſibus petiere. Pace poſtea facta, cum fides pacis a Syracuſanis non ſeruaretur, denuo auxilia petuntur ab Athenienſibus. Et claſſis ingens decernitur, creantur duces Nicias & Alcibiades ac Lamachus. Non multò poſt Alcibiades reuocatus eſt Athenas ad iudicium, quod myſteria Cereris enunciaſſet, ſed redire noluit, ac cum ſe condemnatum cognouit, Lacedæmoniis ſe adiunxit, vbi auctor fuit, vt Syracuſanis auxilium mitterent, & ciuitatibus quæ ab Athenienſibus defecerant, opem ferrent. Ipſe quoque multum damni Athenienſibus dabat. Sed Spartani principes ipſius gloriæ inuidẽtes, etiam inſidias ei ſtruebant. Itaque Perſarum animos à Lacedæmoniis abalienauit, & tandem ad Athenienſes reuocatus, rediit. Antequam rediret, occurrit Lacedæmoniis, & magno prælio vicit Mindarum ducem Laconicæ claſſis, & Pharnabazum ducem Perſicum, ad Abydum (tab. 1. Aſ. 56. 41.) & poſtea ad Cyzicum (tab. 1. Aſ. ibid.) teſte Xenoph. in Hellenic. Poſtea Byzantium recepit. Ac tandem Athenas rediit. Sed tertio menſe poſt, rurſus profectus eſt aduerſus Lacedæmonios & eos mari vicit: deinde profectus eſt ad Helleſpontum, iuſſitque ne pugnarent cum Lyſandro. Sed Athenienſes contra mandata pugnantes victi ſunt. Quæ cauſa fuit, vt denuò Alcibiadi imperium abrogaretur. Itaq; priuatus in poſſeſſionibus ſuis ad Helleſpontum vixit.

Alcibiades.

Anno belli Peloponneſiaci 27. 16. Mart. anno mundi 3563.

Non multò poſt Lyſander vicit Athenienſes ad Ægos-Potamos Thraciæ, non procul à Byzantio, ac captis dehinc Athenis, poſt obſidionem ſex mẽſium, muros Athenienſium diruit, cum magna multitudo fame exſtincta eſſet. Sed vrbem non deleuit, vt contendebant Thebani & Corinthii.

Quia

Quia verò Lacedæmonii metuebant Alcibiadem, ſcribunt ad Pharnabazum, vt eum interficeret. Miſſi igitur aliquot milites domum incenderunt, in qua erat Alcibiades, & erumpentem interfecerunt. Vide plura apud Plutarch. Captis Athenis Reip. forma eſt mutata ſub Artaxerxe Miremone, ac triginta viri Athenienſes cõſtituti, qui imperarent, quorum imperium cum eſſet crudelius, triginta tyranni dicti ſunt. Inter eos Critias ſæuiſſimus fuit, qui Theramenem vnum ex 30. virum bonum & miſericordem ſuſtulit. Hic Theramenes vt erat aſtutus, & aliquot mutationes rexerat, cogitauit hanc ſæuitiam non poſſe eſſe diuturnam. Itaque moderationem ſuaſit Sed Critias metuens ne aduerſus 30. aliquid moliretur, eum interfici iuſſit, & confugientem ad aram, inde abſtrahi iuſſit, ac venenum bibendum exhiberi curauit. Id vbi ebibiſſet, & aliquantulum effudiſſet, *Hoc Critiæ*, inquit, *propino*. Vide Cic. 1. Tuſc.

Cum iam 8. menſes imperium tenuiſſent 30. tyranni, Thraſybulus exul recuperat Athenas conniuente Pauſania rege Spartano, qui crudelitatem improbabat; ob quod factum accuſatus Spartæ, abſolutus eſt. Thraſybulus cum reliquis exulibus rediit, & eiectis tyrannis leges veteres & Reip. priſtinam formam reſtituit. Vt autem ciuitas eſſet tranquilla; decretum eſt factum de *ἀμνηςία*. Lacedæmonii captis Athenis mandauerant ne Thebani Atticis exulibus præberent hoſpitium. Sed Thebani noluerunt parere huic mandato.

Hæc de imperio Attico.

Imperium Laconicum.

SParta ſine muris fuit. Vſa eſt legibus Lycurgi. Vide Plutarch. in Lycurgo, Lyſandro, Ageſilao, Agida & Cleomede. Reges habuit aliquot. Tandem in bello Peloponneſiaco Lyſander Spartanus vicit

Athenienſes, à qua victoria tenuerunt Spartani in Græcia imperium per annos 29. vſque ad pugnam Leuctricam, in qua Thebani fuerunt victores.

A pugna ad Ægos-Potamos Ageſilaus rex Spartanus & Lyſander duxerunt exercitum in Aſiam, ac Perſicam potentiam debilitare coacti ſunt. Et Ageſilaus ſæpius vicit Perſas.

Interea tumultus orti ſunt inter Phocenſes & Locros. Cumque Thebani defenderent vicinos Locros, accuſatur à Phocenſibus apud Thebanos. Spartani, qui alias oderant Thebanos, & eò magis quod exulibus Athenienſibus hoſpitium præbuiſſent contra edictum Spartanorum, decernunt bellum aduerſus Thebanos. Thebani auxilium petunt ab Athenienſibus & Thraſybulo auctore; qui memor erat beneficiorum à Thebanis collocatorum, impetrant. Lyſander oppugnauit Haliartum, & in oppugnatione erumpentibus Thebanis, in pugna interfectus eſt. Spartani creſcente potentia Thebanorum reuocant ex Aſia Ageſilaum; qui diſcedens claſſi præfecit Piſandrum vxoris fratrem.

Erat eò tempore Conon exul Athenienſis apud Euagoram regem Cypri, qui fugerat ex pugna ad Ægos-Potamos. Hic mittitur ab Euagora & rege Perſico contra Lacedæmonios, & ad Cnidum vincit claſſem Laconicam & Piſandrum interficit. Ita Lacedęmonii maius imperium denuò amiſerunt.

Ageſilaus ad vrbem Coroneam in Bœotia dimicans vulneratus eſt.

Inclinatione facta Laconicæ potentiæ in Aſia, rediit Athenas Conon, & ſuis ſumptibus muros refici curauit. Et cum Lacedæmonii claſſem reparent, miſſus eſt Thraſybulus ad impediendos Lacedæmonios, qui Byzantium recepit. Sed cum ad Aſpendum milites eius populati eſſent agros, Aſpendii noctu erumpentes, ſubito tumultu Thraſybulum interfecerunt.

Cre-

Creſcente rurſum potentia Athenienſium, Lacedæmonii accuſant Atticam ciuitatem & Cononem apud Tiribazum ducem Perſicum, & monẽt periculoſam eſſe hanc potentiã. Athenienſes mittunt legatos ad Tiribazum placandum. In his fuit Conon, qui contra ius gẽtium captus in carcere interiit. Accuſator fuit Antalcidas legatus Spartanus, qui impetrauit à rege Perſico, vt pacẽ imperaret omnibus Græciæ ciuitatibus, & bellum denunciaret pacem violantibus. Huius edicti regii defenſores ſe oſtẽdunt Lacedæmonii. Itaq; omnes Græciæ ciuitates in hanc pacem iurant; quæ dicitur *Pax Antalcidæ*. Sed aſtutè Spartani hoc prætextu ſuam potentiam augent, & fraude Cadmeam Thebarum arcem occupant, & quos volunt Thebis expellunt, duce Phœbida. Pelopidas verò & Epaminondas ac alii exules Thebani fœdere clam facto, in arcem irrumpunt, & Laconicum præſidium inde eiiciunt. Tandem rex Cleombrotus Spartanus cũ exercitu in Bœotiam veniens, non procul à Leuctra (oppido noto à latrocinio filiarum Scedaſi perpetrato à quibusdam nobilib. Spartanis) ab Epaminonda cæſus eſt die 5. Iunii, anno 29. poſt captas Athenas, ante initium regni Alexandri M. 36. tempore Artaxerxis Mnemonis.

Cum Archidamus filius Ageſilai mitteretur cum exercitu Laconico in Bœotiam poſt pugnam Leuctricam, accerſunt Thebani Iaſonem Phereum ex Theſſalia, qui pacem fecit inter Thebanos & Lacedæmonios. *Imperium Thebanum.*

Cumq; in Theſſalia contra tyrannos aliquæ ciuitates à Thebanis auxilium peterent, profectus eò Pelopidas à tyranno Alexandro Phereo captus eſt, ſed ab Epaminonda rurſum liberatus: poſteà tamen Pelopidas cum Alexandri exercitu pugnãs, in acie interfectus eſt. *Pelopidas.*

Interea Mantinæi exules freti pace Antalcidæ patriam inſtaurare conabãtur. Fuerat autem Mãtinea præcipua vrbs Arcadiæ, vicina Laconicę, quę

ſæpe ſe hoſtibus Lacedæmoniorum adiunxit, ideoque tanquam arx hoſtilium copiarum fuit à Spartanis euerſa. Eam inſtaurationem Ageſilaus impedire conatus eſt. Itaque Marinæi accerſunt Thebanos. Epaminondas igitur eò miſſus eſt. Sed cum Athenienſes & Siculi auxilium ferrent, rediit Thebas, poſtea denuo ad Arcades eſt miſſus, & ad Mantineam prælium cum Archidamo filio Ageſilai committit, ac victor occumbit. Cum mortuo Epaminonda vires Reip. Thebanæ atque Athenienſis ceciderunt. Præcipua tamen tunc fuit potentia Thebanorum, quæ durauit vſque ad bellum ſacrum, poſt quod imperium translatum eſt ad Macedonas.

Bellum ſacrum, & finis Politiæ Thebanæ.

INter pugnam ad Mantineam & initium belli Sacri anni ſunt 15. Durauit annos 10. Occaſio belli fuit. In iudicio Amphictyonico damnati erãt Phocenſes, vt magnam mulctam penderent. Hãc mulctam cum dare nollent, clam incitati à Spartanis, qui ipſi quoque magnam debuerunt mulctam. Philomelus Phocenſis collecto exercitu columnas Amphictyonum euertit, in quibus decreta mulctæ ſcripta erant; & templum Delphicum ſpoliat, auferens 60. tonnas auri ex templo: quæ opes cõflatæ erant ex donariis magnorum principum. Vt igitur opem ferrent iudicio Amphictyonico, & templo Delphico vicini Locri, Thebani, & Theſſali, bellũ Phocenſib. inferũt. Philomelus primus dux, victor trib. præliis, quarto victus ſeſe de rupe præcipitauit. Secundus dux fuit Onomarchus, qui poſt multa prælia à Philippo rege Macedoni fuit cruci affixus. Nam Thebani cum infirmiores eſſent, quam vt id bellum ſuſtinerent, Philippum Alexandri Magni patrem ad belli ſocietatem accerſiuerunt. Tertius Phayllus, cui Lacedæmonii, Athe-

Athenienſes & Theſſali opem miſerant, tribus prælijs victus, phthiſi mortuus eſt. Quartus Phallænus Onomarchi filius fuit. Sed cum Thebani non poſſent ſuſtinere ſumptus belli, ab Ocho petunt pecuniam 180000. coronatorum, & Philippus Macedo militem ſuppeditauit. Sed pace facta Phocenſes in ſeruitutem ſunt redacti, & omnia oppida deſtructa: Iudiciũ aũt Amphictyonum reſtitutum, & Philippo ac ſucceſſorib. duo ſuffragia in eo decreta. Ita rediit in Macedoniam Philippus. Poſtea Phallæcus in Creta militans, fulmine ictus periit. Finis belli ſacri fuit anno Ochi regis Perſici XIX.

Res Macedonica.

Cum initas pacis conditiones cum Philippo rege non ſeruarent Athenienſes & Thebani, coactus eſt Philippus inuadere totam Græciam. De qua re in hiſtoria Alexandri Magni. Nunc redibimus ad reges Perſicos.

V. Rex Perſarum Artaxerxes Longimanus.

HIc Artaxerxes dicitur alias *Darius Longimanus.* In oriente tenuit regnum abſente Xerxe. Ideo eum Græci numerant poſt Xerxen. Dictus eſt Longimanus μακρόχειρ, quod dextra longior fuerit ſiniſtra. Iudæi tradunt ipſum fuiſſe filium Darii Hiſtaſpis & Eſther, quia munificus fuerit erga Eccleſiam. Habuit etiam in aula Perſica Esdram & Nehemiam Iudæos. Iuſſit inſtaurari templum Ieroſolymitanum iuxta edictum Cyri, quod anno 8. fuit abſolutum. Anno 7. regni ſui miſit Eſdram cum magna multitudine Iudæorum & cum ampliſſimis donis Ieroſolymam ad inſtaurandam politiam. Anno 20. miſit Nehemiam pincernam in Iudæam ad conſtituendam Rempubl. Vide libros Eſdræ.

ib. *ad hunc Themiſtoclis*] Supra hiſtoriam illam commemorauimus.

ib. *Magneſia*] vide tab. 10. Europæ 51.39.

A Longimano] hic fuit 6. rex Perſarum.

Darius Nothus ſextus rex Perſarum.

Hic fuit maritus ſororis Artaxerxis, cui nomen fuit *Paryſatis*. Fuit mirabilis fœmina, de qua multa Plutarchus in Artaxerxe. Ex ea nati ſunt Cyrus minor, & Artaxerxes Mnemon.

Vt Leontinis adeſſem] Hiſtoria breuiter ſupra à nobis eſt deſcripta.

P. 19. ỷ. 18, *poſt Codrum*] regem Athenienſem, qui pro ſalute patriæ certiſſimæ ſe morti obiecit. Nã oraculum redditum erat, ſi Codrus non interficeretur, hoſtes fore victores. Itaque fefellit hoſtes habitu pauperis, & per iurgia in ſe necẽ prouocauit. Vide Herodotum libr. 1. & libr. 5. Vixit tempore regis Dauidis. Meminit iurgiorum Codri Virgil. Ecloga 5.

ib. *Polydorum Spartanum*] qui bellum geſſit cum Meſſeniis & Argiuis. Meminit ipſius etiam Plutarch. in Lacon. apophthegm.

ib. *Ariſtomenem*] qui tertium centum de Lacedæmoniis hoſtib. viros in pugna interfecit. Meminit ipſius Plutarch. in vita Romuli.

ib. *Miltiades*] de eo ſupra dictum, quomodo Perſas vicerit, & tandem in carcere perierit.

Leonidas] qui cęſus eſt ad Thermopylas, vt ſupra commemorauimus.

ib. *Themiſtocles*] de quo multa diximus. Vide Plutarch. in vitis.

ib. *Pericles*] & de hoc quoque dictum eſt. Vide Plutarch.

ib. *Ariſtides*] Etiam de hoc dictum eſt. Vide Plutarch.

ib.

ib. *Pauſanias*] dux fuit ad Plateas. Vide ſupra. & Plutarch.

ib. *Xantippus*] hoc duce Athenienſes nauigarũt in Helleſpõtum. Vide Herod. & Thucyd. ſub finem belli cum Xerxe.

ib. *Leotychidas*] dux Spartanus, iudicatus fuit filius Alcibiadis, quem genuerit dum Spartæ fuiſſet exul.

ib. *Cimon*] de hoc ſupra dictum eſt. Vide Plutarch. Filius fuit Miltiadis.

ib. *Conon*] Athenienſis dux, qui vicit Lacedæmonios ad Cnidum, & muros Athenienſes rurſus exſtruxit ſuis ſumptib. de quo vide ſupra.

ib. *Epaminondas*] Thebanus, qui ad Mantineā occubuit. Vide ſupra.

ib. *Leoſthenes*] dux Atticus, de quo in bello Lamaico, infra dicetur.

Aratus Sicyonius] eius in bellis Macedonicis fiet mentio. Philippus Perſei pater ipſum necauit. Dux fuit Achæorum.

ib. *Philopœmen*] dux fuit Achæorum & bellum geſſit cum regib. Syriæ. De quo poſtea.

P. 20. ℣. 13. *Dario filii*] ſequitur Artaxerxes Mnemon.

ARTAXERXES MNEmon VII. rex Perſarum.

Ne inter fratres de regno certamina orirentur, Darius Nothus Artaxerxen maiorem natu filium regem conſtituit, & Cyro tradidit Lydiam & Ioniam. Dictus eſt *Mnemon*, à memoriæ præſtantia, quia fuit 20. linguarum peritus, teſte Plinio libro ſeptimo. Mater fuit Artaxerxis Paryſatis omnium fœminarum peſſima, de qua multa apud Plutarchum in Artaxerxe. Artaxerxes maximis virtutibus fuit exornatus, ſed defœdauit ſuas virtutes probris libidinum. Nā cum Atoſſa filia inceſtam conſuetudinem habuit: & A-

ſpaſiam concubinam Cyri poſt mortem fratris ad ſe tranſtulit: Et cum eam filio Dario tradidiſſet, petenti eam eo die, quo ipſum regem creauerat, paulò poſt traditam repetiuit. Vnde tragicæ calamitates ſunt ortæ. Nam filius retecta coniuratione aduerſus patrem vnà cum coniuratis ſupplicio eſt affectus. Iuſtinus ſcripſit Artaxerxen è concubinis multis 115.filios ſuſcepiſſe. Idem de Hermotimo Arabum rege ſcribit, quod de pellicibus 600 filios ſuſceperit.

ib. *Ioniam Lydianeq;*] amœniſſimum & fertiliſſimum tractum. Ei parti minoris Aſiæ præfuit Crœſus captus à Cyro.

Ciceronem] de Seneċt. In Cyro eſt exemplum πολυπραγμοσύνης.

ib. *A Mnemone*] Sequitur 8.rex.

ARTAXERXES OCHVS Perſarum rex VIII.

ARtaxerxes Mnemon tres habuit filios, ex quibus Ochus natu minimus cum regnum appeteret, fratrem Arſeniam interfecit: alter frater metu perculſus ſibi mortem conſciuit. Itaque regnum occupauit, cui præfuit 26.annos. Gubernatio ipſius plena fuit crudelitatis. Initio gubernationis Sidonem Phœniciæ proditione cepit ac magnam tyrannidem exercuit. Iudæos etiam grauiter adflixit, templum Ieroſolymitanum ſpoliauit, penſiones annuas templo eripuit donatas à Cyro & Longimano, & indixit tributa populo, &c. Tandem Alexander Magnus reſtituit Iudæis αὐτονομίαν & pacem, & tributa remiſit. Ochus à Bagoa Eunuchus interfectus eſt.

ib. *A Mnemone*] IX.rex.

ARSA-

Arsames IX. rex Perſarum.

Bagoas poſt interfectum Ochum regem facit Arſamen, Ochi filium. Cui cum annos 4. regnaſſet, eum quoque interfecit Bagoas, metuens ne vindicaret cædem paternam. Hic finis eſt familiæ Cyri.

ib. *Hunc excepit*] vltimus rex Perſarum Darius.

Darius X. & vltimus rex Perſarum.

INterfecto Arſame Bagoas ad principem Armeniæ regnum transtulit, qui non fuit ex poſteritate Cyri, ac nomen tribuit Darii. Hic Darius vltimus ab Alexandro victus & regnum & vitam amiſit, vt dicetur.

DE REGIBVS MACEDONICIS.

HErcules, Hyllus, Cleodæus, Ariſtomachus, Temenus, Perdiccas. Hic I. in Macedonia rex factus eſt. Argæus, Philippus, Acropus, Alcetas, Amyntas, Alexãder, Perdiccas, Archelaus, Amyntas, Philippus, Alexander Magnus.

Ariſtomachus pater fuit Ariſtodemi & Temeni. Ab Ariſtodemi liberis Procle & Euryſthene reges Spartani originem ducunt. A Temeno familia regum Macedonicorum eſt propagata.

Philippus pater Alexandri Magni.

ANno regni 15. ſub fine belli S. de quo ſupra diximus à Thebanis vocatus eſt: & tum Phocenſes in ſeruitutem ſunt redacti. Theſſaliam ferè totam ſubegit. Anno 23. ad Chæronæam vicit Thebanos & Athenienſes. Nam ceperat a-

Digitized by Google

grum Phocenſem. Itaque ſuaſor fuit Demosthenes, vt Athenienſes & Thebani ſe coniūgerent ad Græciæ defenſionem. Quod factum fuit, & 7. Iulii pugnatū ad Chęronæam vrbem Bœotiæ. Victor Thebarum vrbi præſidium, & Græciæ iugum ſeruitutis impoſuit, cum ſe prius mutuis bellis attriuiſſent Græci.

Anno 24. regni Philippus celebratis filiæ Cleopatræ nuptiis, cum ſtatuam ſuam inter deorum ſtatuas collocaſſet, à Pauſania nobili adoleſcente ſatellite ſuo interfectus eſt, quod iniuria affecto in aula, nullam opē roganti tuliſſet. Etſi Diodorus Sic. ſcribat incitatū fuiſſe ab Hermocrate Sophiſta ad cædē, qui dixerit inclareſcere poſſe Pauſaniam, εἰ τὸ μέγιστον πράξοι τι αὐτὸς.

ALEXANDER MAGNVS & 3. Monarchia.

Anno mūdi 3628. Alexander ſucceſſit Philippo patri. Nullus eſt regum Ethnicorum maioribus virtutib. ornatus, ante captā Babylonem. Primo anno regni, cum iuuenem multæ gentes excutere conarentur, ac reb. nouis ſtuderent, omnes in ordinē redegit. Illyrios & Sirmium regem Triballorum ingenti prælio ſuperauit. Thebas etiam euertit. Nam Thebani Macedonica præſidia ex arce Cadmea eiecerāt, & cum fidem daret publicā deſerturis Thebas, Thebani proclamant omnes debere tyranno ſe opponere, &c. ita deleuit Thebas, occiſis 6000, & 30000. ſub haſta venditis. Poſt Thebanum excidium petiit ab Athenienſib. vt dederent oratores Demoſthenem & Lycurgum, qui bellum ſuaſerant. Sed orator Demades miſſus pacē petiit, & rogauit ne cogerentur exules Thebanos expellere: quæ omnia impetrauit.

Secun-

Digitized by Google

Secundo anno, cum pax in Græcia eſſet conſtituta, communi decreto nominatus eſt Alexander dux Græcorum contra Perſas. Traiecit igitur in Aſiã, & cum Satrapis Darii ad Granicum Phrygiæ flumen dimicãs, diuinitus per Clitum ſeruatus eſt. Poſtea omnes prouincias & vrbes Aſiæ vſque ad Ciliciam occupauit.

Tertio anno vicit Darium in pugna ad Iſſum Ciliciæ, & coniugem ac filias Darii cepit, quas regio more alendas curauit, nec vlla contumelia affecit.

Quarto anno cum Aſiam & Ciliciam magno labore domuiſſet, Tyrum obſedit, ac auxilium & tributum à Iaddo Pontifice populi Iudæi petiit, omniaque exegit, quæ Dario ſoluerint Iudæi. Reſpondit Iaddus, *ſe Dario viuente, cui iurauerit, aliũ Dominum non agnoſcere.* Alexander inflãmatus hoc reſponſo, expugnatâ Tyro, Palæſtinam cum infeſto exercitu ingreditur, & Hieroſolymę phalanges admouit. Iaddus per ſomnium à Deo monitus cum cœtu ſacerdotum & ſeniorum proceſſit ei obuiam ornatus veſte pontificia, & pacem ab irato victore petiit. Ibi Alexander de equo deſcendẽs pontificem reuerenter ſalutat, & pacem promittit. Hæc enim ſpecies in ſomnis apparuerat Alexãdro pollicens ſucceſſus. Alexander ingreſſus in vrbem peracto ſacrificio templum donariis ornauit & decedens *αὐτονομίαν* Iudæis conceſſit. Ita Ioſephus lib. 11. c. vlt. antiquar. narrat. de reb. Iudaicis.

Quintus annus in ædificatione Alexandriæ, & in peregrinatione ad Iouem Hammonem, quem Arabes & Ægyptii coluerunt, conſumptus eſt.

Sexto anno ad Arbelam in Aſſyriam venit, & ibi cum Dario conflixit ac eum ſuperauit, die vigeſimo ſexto Auguſti, quo die Monarchia Perſica translata eſt ad Græcos. Darius fugit in Medos, ſed Alexander rectâ acceſſit ad Babylonem & Suſa, quæ vrbes vltro deditionem fecerunt.

poſtea partem exercitus duxit in Medos, vt Darium perſequeretur, quem Beſſus præfectus Bactrianorum, cum intelligeret Alexandrum prope eſſe, interfecit. Alexander videns regium corpus ſine honore iacere cruentum, ſepeliri regio honore Darium curat.

Septimo anno poſt captam Babylonem, & direptam Perſepolin, Alexander remiſſa priore animi intentione, dedit ſe obſcœnis voluptatibus helluationib. &c. interfecit ebrius optimos quosque, ſe etiã pro numine haberi voluit. Eodẽ anno Philotã ob futiles ſuſpiciones è medio ſuſtulit: & Parmenonem patrem optimum ſenem interfici curauit: quæ res abalienauit animos omnium ab Alexandro.

Anno octauo Beſſum interfectorem Darii duab. arborib. incuruatis alligatum, iisdemque in altum tendentib. diſcerpſit. Sæuiit etiam ebrius in Clitũ, à quo in pugna ad Granicum ſeruatus erat.

Nono anno Alexander expeditionem aduerſus Indos ſuſcepit, & in pugna Porum Indiæ regem cepit, quẽ reſtituit in integrum; quia interrogatus quomodo tractari vellet, *pro regia dignitate*, reſpondit. Eodem anno Harpalus cuſtos theſaurorum Alexandri fugiẽs in Creta interfectus eſt. Annus decimus inſignis eſt morte Hepheſtionis, qui propter aſſentationem Alexandro fuit gratiſſimus.

Annus XI. nihil habet inſigne, niſi prædictionem Chaldæorum de morte Alexandri, quod genus ſapientum erat in Babylone. Anno duodecimo Alexander in funus Hepheſtionis effudit 72. thonnas auri. Et cum crapulis ſibi accerſiuiſſet febrem ardẽtem die 28. Iunii mortuus eſt anno ætatis 32. anno ante Chriſtum natum 324.

Calamitates ſecutæ.

Caſſander Antipatri filius, qui adoleſcens apud Alexandrum educatus fuerat, interfecit primum Olym-

Olympiadem Alerandri matrem; deinde Roxanē yxorem, & eiusfilium Alexādrum, & alterum filiū Herculem ex Barſine natum. Hanc gratiam alumnus principi benè merito reddidit. Hæc Pauſanias. Sororem Cleopatram præfectus Sardium interfecit, vt Antigono gratificaretur.

Alexander Magnus exemplum eſt inconſtantiæ rerum humanarum. Nunc ad textum redeamus.

ib. *Thebis euerſis*] vt ante commemorauimus.

P. 21. ỳ. 8. *trucidatur à ſuis*] à Beſſo, vt indicauimus paulò ante.

in Indiam] anno nono ſui imperii.

ib. *Vt ait Cic.*] lib. 1. de diuinat.

P. 22. ỳ. 3. *trecentis viginti duobus*] anno v. c. 428.

ib. *Ariſtoteli*] teſte Plin. lib. 8. c. 15.

ib. *traditur*] Athenæus lib. 9. & 12.

ib. *Xenocrati*] Cic. Tuſc. 5.

ib. *ait Cic.*] lib. 13. ad Att. epiſt. 28.

P. 23. ỳ. 17. *memoria*] Athenæus libr. 12. c. 2. lib. 4. c. 5.

ib. *vt ait Cic.*] Verrina 5.

ib. *biberat*] Cic. 5. Tuſc.

ib. *A morte Alexandri*] Nunc de poſteris Alex.

De Succeſſoribus Alexandri, breuis hiſtoria.

Poſt mortem Alexandri Arridæus frater Alexandri rex cōſtituitur, & adiungitur ipſi Perdiccas tutor. Ptolomæo autem Ægyptus; Antipatro Macedonia; Antigono Aſia minor, Seleuco Syria & Babylonia obtigit: ita tamen vt omnes regem agnoſcerent Aridæum. Sperans autem Perdiccas ſe imperio potiturum, coniugium petiuit Cleopatræ ſororis Alexandri, & inſidias ſtruxit Antigono, quem putabat obſiſtere poſſe, ne regnum inuaderet totum. Antigonus fugit ad Antipatrum in Macedoniam, cum quibus etiam fœdus facit Ptolomæus. Adiunxit etiam ſibi Antipater Craterum, cui dedit filiam Philam. Perdiccas mi ſit Eume-

nem, qui ſcriba fuit apud Philippum & Alexandrum, contra fœderatos Antipatrum, Antigonū, *&c.* & ipſe duxit exercitum in Ægyptū. Sed deſertus à ſuis Perdiccas interficitur à ſuis equitibus, anno tertio poſt mortem Alexandri. Ita primus autor ſeditionis dedit pœnas. Mox & frater Perdiccæ Alcetas interfectus eſt, & eius ſoror.

Bellum Lamiacum. Anno proximo a morte Alexādri Attica ciuitas ſomnians veterem libertatem & Græciæ principatum, tumultuata eſt, & contra Macedonas bellum mouerunt. Antipater igitur & Craterus ingrediuntur in Theſſaliam. Sed duce Leoſthene Attici Antipatrum vincunt, & in vrbem Lamiam fugere cogunt. Leoſthenes ante vrbem lapide ictus periit. Ita Antipater obſidione liberatus eſt. Poſtea cum Craterus exercitum adduxiſſet ex Aſia, magno prælio vicit Athenienſes ad Cranonem vrbem Theſſaliæ. Petentibus deinde Athenienſibus pacem, eam quidem promiſit, ſed certis conditionibus, vt reciperēt præſidium Macedonicum & dederentur. Demoſthenes & Hyperides oratores bellum ſuadentes vterque profugit, ſed Hyperides in fuga captus eſt, & ad Antipatrum miſſus eſt, ac poſtquam lingua fuit exciſa, trucidatus eſt. *Demoſthenis mors.* Demoſthenes templum quoddam ingreſſus eſt, ac cum egredi iuberetur, quaſi ſcripturus in librum incumbens, venenum ex calamo hauſit. 16. die Octobris: cum paulò ante reuocatus eſſet ab exilio. *Exilium Demoſthenis.* Cauſa exilii fuit, quod ab Harpalo theſaurario Alexandri Magni cum furtis in Græciam fugiente magnam vim auri accepit, & hoſpitium Athenis petiuit.

Paulo poſt mortem Demoſthenis mortuus eſt Antipater. Caſſander filius occupat Macedoniam, & eam tenuit annis 18 Cum verò Olympias mater Alexandri poſt mortem Perdiccæ, Crateri, & Antipatri conaretur regnum paruis Alexandri filiis tra-

tradere, Caſſander occupata vrbe Pydna, in qua erat Olympias, eam trucidari curauit, & coniuges ac filios Alexandri veneno ſuſtulit, Roxanem, quę peperit Alexandrum, & Berſenem, quæ peperit Herculem.

Caſſander deinde licèt eſſet ſocius Antigoni, ei hoſtis factus eſt cum in Aſia Lyciam peteret. Fecerat Caſſander ſocietatē cum Lyſimacho, Ptolomæo, & Seleuco, qui creſcentē Antigoni potētiam metuebāt. Antigonus accuſauit Caſſandrum apud exercitum, quod interfeciſſet Olympiadem, coniuges & filios Alexandri. Expulſi ſunt igitur Caſſandri exercitus ex Aſia, & Caſſander non multò poſt phthiriaſi mortuus eſt. Caſſander habuit filios, Antipatrum & Alexandrum. Antipater occidit matrem: & à fratre Alexandro eſt interfectus. Alexander poſtea à Demetrio filio Antigoni occiſus eſt.

Pulſo Caſſandro ex Aſia, Antigonus Seleucum & Ptolomęum bello adortus eſt, qui ſe Caſſandro adiunxerant. Initio aliquot præliis victor euaſit: ſed tandem à Seleuci equitatu interficitur, cum attigiſſet annum 80.

Filius Antigoni Demetrius amiſſa Aſia regnū Macedoniæ, exſtincta Caſſandri poſteritate retinuit. Sed cum recuperare Aſiam conaretur, à Seleuco genero captus mortuus eſt. Poſtea Seleucus interfectus eſt à Ptolomæo Cerauno.

Tandem poſt tot ingentia bella, Ptolomæi poſteritas retinuit Ægyptum vsque ad C. Iulii tēpora. Seleuci filius Antiochus poſſedit Aſiā & Syriā. Sed poſteri Aſiam amiſerūt occupatam partim ab Eumene Bithynio, partim à Galatis. De Macedoniæ poſſeſſione diutius certatum eſt, ſed ad extremum poſteritas Demetrii, qui fuit Antigoni filius, tenuit Macedoniam, donec eam Romani occuparunt.

ASIÆ REGES.

1 Antigonus, à Seleuci equitatu interfectus. Filius fuit nothus Alexandri M.

2. Demetrius, qui amiſit Aſiam & Macedoniam occupauit, mortuus apud Seleucum, qui Aſiam obtinuit donec ab Eumene Bithynio & Galatis occupata eſt.

MACEDONICI REGES.

Antipater, præfectus non Rex: Athenienſes vicit. Caſſander filius phthiriaſi mortuus.

1. Rex fuit Antigonus primus Aſiæ minoris rex.

2. Demetrius primus, filius Antigoni, qui Caſſandri filium Alexandrum interfecit.

3. Antigonus ſecundus natus ex Phile, filia Antipatri, quæ nupta fuerat Cratero primum, deinde Demetrio Antigoni filio. Fuit hic moderatiſſimus princeps, & Græciæ pacem reſtituit. Vnde dictus eſt Antigonus Εὐεργέτης.

4. Demetrius ſecundus, non diu regnauit.

5. Philippus poſterior, qui bellum mouens Athenienſibus, Romanorum ſupplicibus vincitur à T. Q. Flaminio Romano, qui Græcis libertatem amiſſam reſtituit: de qua re infra.

6. Perſeus, captus a Romanis: filius Philippi, de quo infra. L. Æmilius Paulus illum in triumpho duxit, & Macedoniam fecit prouinciam populi Romani.

SYRIÆ REGES.

1. Seleucus, qui Antigonum Aſiæ regem vicit, deinde Demetrium captiuum detinuit. Lyſimachum etiam interfecit: ſed tandem circumuentus inſidiis à Ptolomæo Cerauno fratre Ptolomæi Philadelphi interfectus eſt.

II. Antiochus Soter.

Filius rex Syriæ, Babylonis & Aſiæ regnaſſe dicitur annos 19.

III. An-

III. Antiochus Θεὸς.

Primam habuit coniugem Laodicen, ex qua ſuſcepit duos filios, Seleucum Callinicum, & Antiochum cognomento Hieracem. Deinde Ptolomæus Philadelphus vt per eam occaſionem recuperaret ciuitates in Syria amiſſas, dedit Antiocho Theo filiam Berenicem. Per mortem Antiochi ſuadet Laodice, prior vxor repudiata, vt natu maior filius Seleucus nō pateretur ſibi eripi regnum. Itaque obſedit vrbem, in qua erat Berenice cum filio paruo, cumque perſuaſiſſet vt deditionem faceret, deditam interfecit cum filio contra datam fidem.

IV. Seleucus Callinicus & frater Antiochus Hierax.

Seleucus Callinicus nouercam interfecit. Itaq; Ptolomæus Euerg tes vt ſororis necem vlciſceretur, bellum Seleuco intulit, & magnam partem Syriæ ademit. Antiochus Hierax erat in Aſia Ab eo auxilium petiit Seleucus. Sed cum veniret cum copiis, Seleucus fratri diffidens, cum Euergete pacem fecit. Quare frater Hierax bellum infert Seleuco, & Syria eiicit. Interea Eumenes Bithynius Aſiam vacuam occupat, & paſſim in ea Galatæ vagantur, duce Brenno. Hierax ergò in Aſiam redit, ſed magnis acceptis cladibus fugit, & tandem hinc inde fugiens interfectus eſt. Seleucus eodem ferè tempore equo excuſſus, exſtinctus eſt.

V. Antiochus Magnus.

Filius fuit Seleuci, fratremque habuit Seleucum maiorē natu, qui initio ſui regni eſt interfectus a ſuis in tranſitu Tauri, vt narrat Polybius.

Primum bellum geſſit cum Molone duce, qui ab ipſo defecerat, & eum in crucem egit. Deinde Syriæ ciuitates, quas Ægyptii, priore bello

occupauerant, recepit. Hinc ortum eſt bellum inter Antiochum Magnum, & Ptolomæum Philopatorem: quod geſtum in Syria fuit. Sed Ptolomæus victor euaſit, & amiſſas ciuitates recuperauit. Antiocho verò pacem conceſſit.

Poſtea cum mortuus eſſet Philopator, relicto Ptolomæo Epiphane filio impubere, rurſus bellum mouit. Sed Ægyptii tutelam petierant à Romanis. Itaque Romani iuſſerunt eum ab Ægypto abſtinere. Vnde bellum ortum eſt, in quo victus Antiochus ceſſit tota Aſia citra Taurum montem, vt infra etiam dicetur. Coactus eſt & obſides dare Antiochum Epiphanem, & Demetrium. Paulò pòſt ſpoliaturus templum Beli in Syria, à ſuis interfectus eſt.

Ptolomæus Philopator venit Ieroſolymam victor viſurus templũ: ſed ſubita conſternatione diuinitus repreſſus Iudęis iraſci cœpit, & in eos ſæuiit in Ægypto: vt liber Maccab. recitat. Epiphanes etiã miſit Scopam Ducem in Iudæam, qui occupauit aliquot oppida. Sed Antiochus Magnus ad Iordanem ei occurrit, eumque vicit. Tumque Iudæi Antiocho Magno ſe dediderunt, qui tributa eis indixit; quod primum fuit initium ſeruitutis Iudaicæ ſub regibus Syriæ.

VII. Antiochus Epiphanes.

Antiocho Magno tres fuerunt filii: Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes, Demetrius. Seleucus Philopator[a] poſt patrem non diu regnauit, ideò non nominatur tanquã VI. Alii duo fratres Romæ obſides erant. Cum autem Antiochus Epiphanes audiuiſſet patrem mortuum eſſe, clam ex vrbe Roma fugiens regnum Syriæ occupauit. Hic crudeliſſimè afflixit Iudæos, & propter mores tyrannicos *Epimanes* dictus eſt.

[a] *Hic Heliodorum miſit Ieroſolymã, vt templum ſpoliaret. 2. Maccbab. 3.*

Initio regni mortuo Ptolomæo Epiphane venit in Ægyptum quaſi tutor futurus cognati pupilli; quia Cleopatra mater pupilli ſoror erat Anti-

ochi Epiphanis. Itaq; præſidia in vrbibus, Ægypti collocat, & clàm id agit, vt vrbes hoc prætextu occupatas retineret. Inde rediens venit Ieroſolymam à Iaſone inuitatus, cui pontificatum dedit pro ingenti pecunia. In hoc primo itinere templum ſpoliauit. Poſt biennium Antiochus rurſus duxit exercitum in Ægyptum; quia pupillus Ptolomæus Philometor iam adoleuerat, & cognita fraude auunculi præſidia Syriaca ex vrbibus expulerat, & à Romanis auxilium petierat. Itaque venit legatus Romanus Popilius, qui iuſſit Antiochum Ægypto abſtinere, vt infra dicetur. Ita coactus eſt diſcedere. Venit igitur egens Hieroſolymam, facultates locupletum diripit, profanat teplum ſtatuâ Iouis Olympii in eo collocatâ; proponit crudelia edicta de abolenda religione vera, & in retrectantes magnam exercet ſęuitiam, vt deſcribitur in libris Maccabæorum. Eam calamitatem prædixerat Daniel.c.12. Tandem in Perſidem profectus ad diripiendum in Perſepoli templum Dianæ, in quo theſauri Alexandri repoſiti, ferebantur, ſucceſſuq; fruſtratus, animi dolore in morbum incidit, & curru excuſſus in morbum lethalem incidit, ex quo miſerè periit, vt deſcribitur 2. Maccab. 9.

VIII. Antiochus Eupator.

Hic cum regnaſſet duos annos interfectus eſt à Demetrio patruo, 1. Macch. 7.

IX. Demetrius Soter filius Seleuci Philopatoris 6. regis.

Hic reuerſus ex vrbe Roma Syriam occupauit, & mox fratris filium regnantem, Antiochum Eupatorem interfici curauit. Aliquanto poſt interficitur ab Alexandro, qui ſe filium Antiochi Epiphanis nominauit 1. Macch. 10. Hic Demetrius miſit Nicanorem aduerſus Iudæos, ſed Nicanor cum ſuis copiis interiit victus à Iuda Maccabæo.

X. Alexander, Epiphanis nothus.

Alexander victor petit filiã Ptolomæi Philometoris regis Ægypti Cleopatram, eamque ducit: ſed cum inſidiaretur Ptolomæi Philometoris regno, filium & regnum ei eripuit; & tradidit Demetrio Nicanori. Alexander fugit in Arabiam. Sed à Zabdiele Arabo ac hoſpite Alexandri truncatus eſt capite 1. Mach. 11. Demetrius duos habuit filios Demetrium Nicanorem, & Antiochum Sedetem.

XI. Demetrius Nicanor.

Demetrius Nicanor, filius Demetrii filii Antiochi Epiphanis, interfecit Alexandrum. Poſtea frater Antiochus Sedetes adiutus à duce Tryphone Demetrium regno expulit. 1. Mach. 11.

XI. Antiochus Sedetes.

Hic interfectus eſt operâ Tryphonis, 1. Mach. 13.

XIII. Tryphon Tyrannus.

Hic vbi Demetrium Nicanorem regno expulit, & Sedetem interfecit, regnum inuaſit; ac Iudæos afflixit: Ionatham Maccabæum contra fidẽ datam interfecit cum filiis. 1. Mach. 13. poſtquam triennium regnaſſet, rurſus expulſus à ſuis eſt interfectus.

XIV. & XV. Antiochus Gryphus & Antiochus Cyzicenus.

Demetrius Nicanor reliquit filium Antiochũ Gryphum, & Antiochus Sedetes habuit filium Antiochum Cycizenum. Hi duo dimicarunt de regno Syriæ: & vterque interfectus eſt.

XVI. XVII.

Regum modo dictorum filii de regno quoque dimicarunt. At cum poſtremi reges vires ſuas attriuiſſent, Tigranes Armeniæ Rex Syriam occupauit. Lucullus deinde deuicto Tigrane Romanorum imperio eam adiunxit, coronidem ei rei imponente Pompeio Magno

De

De Syria Regibus quadam.

Ante tempora Dauidis πολυκοιρανία fuit in Syria, 2. Sam. 8. Regnante autem Dauide, Syria magna ex parte regno Iſraelis fuit ſubiecta.

Sub finem vitæ Salomonis ſuſcitauit Deus Razon Syriæ regem, qui Damaſcum regni ſui metropolin voluit eſſe, 1 Reg. 11.

In hiſtoria regum Iudæ & Iſraelis Syriæ aliquot regum fit mentio, nempe *Benhadad*, *Hazaël*, *Raſim*, 1. Sam. 7. Tandem deuicti ſunt Syriæ reges ab Aſſyriis.

REGES ÆGYPTI.

Notandum reges Ægyptiis *Pharaones* dictos. Fabuloſa multa de his narrantur. Exſtant quædam nomina apud Herodot. & alios. In ſacris etiam literis quorundam fit mentio. Sub Amenophe Pharaone dicitur fuiſſe illa grauiſſima ſeruitus Iſraelitarum. Regem qui in mari rubro ſubmerſus periit, alii *Cenchrem*, alii *Bochorin* vocant. 1. Reg. 11. mẽtio fit regis *Seſac*, quẽ alii *Smerden* vocãt. Necho 4. Reg. 23. 2. Paral. 35. interfecit Ioſiam in Mageddo. Hophra Ierem. 44. dicitur *Apryes*. Hic interfecit Ieremiam. Pſammenitus à Cambyſe interfectus eſt. Herod.

Reges Ægypti poſt Alexandrum
fuerunt numero 12.

1. *Ptolomæus Lagi.*

Hic interfecit Perdiccam, vt ſupra commemorauimus. Poſtea Cyrenaicam, & magnam partem Syriæ adiecit ſuo regno. Mortuus eſt poſt mortem Alexandri exactis ferè annis 40.

2. *Ptolomæus Philadelphus.*

Hic à Ptolomæo Lagi, patre prælatus eſt filio maiori natu. Recuperauit Cyrenaicam. Poſtea ſtudia doctrinarum inſtituit & auxit, inſtructa bibliotheca copioſiſſima. Cum audiſſet Iudæos prædicare ſuæ gentis antiquitatem & doctrinam, Vetus

Teſtamẽtum curauit transferri in ſermonem Græcum: quæ verſio dicitur 70. interpretum. Impendit in eam rem 2. tonnas auri.

3. *Ptolomæus Euergetes.*

Hic intulit bellum Callinico vt ſupra diximus, vt vlciſceretur necem ſororis Berenices. Occupatis multis in Syria vrbibus cum Callinico pacem fecit. Impoſuit Iudæis tributum, ſed cum non ſoluerent, facilè placatus eſt à Ioſepho duce, cuius mentio fit Luc. 3.

4. *Ptolomæus Philopator.*

Sic appellatus eſt ironicè, quia patrem, matrẽ & fratrem interfecit. Bellum geſſit cum Antiocho Magno, vt ſupra diximus, eumque vicit. Grauis fuit Iudæis. Ingreſſurus templum ſubito terrore conſternatus eſt, & ſemiuiuus ex templo exportatus. Itaque Alexandriam reuerſus crudelia edicta propoſuit in Iudæos, multos elephantis conculcandos obiecit. Interfecta coniuge nefandis ſe libidinibus contaminauit, & veneno periit.

5. *Ptolomæus Epiphanes.*

Huic bellum intulit Antiochus Magnus. Sed Ægyptii rogarunt Senatum Romanum, vt tutelam regis ſuſciperet, ſicuti ſupra indicauimus, vt autem Romanos eluderet, pacem fecit cum rege Ægyptio, datâ ei filiâ Cleopatrâ. Sub hoc rege Iudæi grauiter afflicti ſunt: primum à Scopa Ægyptio, deinde ab Antiocho.

6. *Ptolomæus Philometor.*

Huius tutelam ſuſcipere ſe ſimulauit Antiochus Epiphanes Syriæ rex, auunculus Philometoris, vt regnum occuparet, iuſſus eſt à Popilio legato Romano excedere Ægypto, vt ſupra narrauimus.

7. *Ptolomæus Euergetes alter: qui teſte Strabone, eſt Phyſcon.*

Hic

Hic reſtituit in regnum Syriæ Demetrium Nicanorem.

8. *Ptolomæus Phyſcon.*

Ita dictus eſt a farcimine, propter tumidum ventrem. Frater fuit Philometoris. Teſte Strabone dictus eſt *Euergetes*, ironicè; quia omnes crudelitate & obſcœnitate vicit. Duxit ſororem, & in die nuptiali puerum filium fratris in complexu matris interfecit. Aliquanto poſt duxit filiam coniugis ex priore marito fratre natam; erat autem ei filiolus: hunc interfectum & diſſectum miſit matri in die natali inter epulas. Alexandriæ quoq; quotidianis cædibus penè vaſtitatem effecit. Quare Romani legatos miſerunt Alexandriam, inter quos fuit Scipio poſterior & Polybius, imperantes vt deſineret graſſari in ſubditos; quia defenſurus eũ Senatus non eſſet, ſi propter crudelitatem excuteretur. Breui poſt eiectus eſt regno ab Alexandrinis.

9. vel potius 8. Ptolomæus Alexander.

Frater Phyſconis regnauit pulſo fratre Lathuro. Tandem Alexander matrem interfecit, & eo pulſo reuocatus eſt in Ægyptum Lathurus.

10. *vel potius 9. Ptolomæus Lathurus.*

Ita nominatur, quia clam exul tentarit reditum. Mater ipſum expulit, quia putauit minus obtemperantem futurum. Exul hæc geſſit. Cum Iudæi viderent ſe nactos occaſionem vicinas vrbes occupandi propter diſcordias, bellum vicinis mouerunt. Vicini accerſunt Lathurum, qui in Iudæam irruptionẽ fecit, cepitq; in Sabbato quoddã Galilææ oppidũ. Poſtea vicit Iudæos prælio, populatus eſt villas, trucidauit 30000. hominũ & coegit captiuos veſci carnibus interfectorum. Spectatores fuerunt Simeon, Zacharias, & alii multi: quo tempore in Iudæa parricidiis certabant Ariſtobulus, Antigonus. & Alexander fratres. Improbitate & crudelitate omnes alios Reges

Exulauit in Cypro.

ſuperauit. Iudæi à Ptolomæi matre auxilia petiuerunt, quæ miſit exercitum, vt ab Ægypto arceret. Ita denuò fugit in Cyprum. Poſtea verò reuocatus in Ægyptum fuit, cum Alexander matrem interfeciſſet.

11. *aut potius* 10. *Ptolom. Auletes.*

Tibicen dictus; quia tibiis certaret cum artificibus. Hic regno propter ignauiam & crudelitatem eſt pulſus. Pater fuit Cleopatræ, quæ nupſit Antonio. Tandem per Gabinium reductus eſt in regnũ interfecto Archelao, qui interea regnauerat. De hac re infra dicitur.

12. *aut potius* 11. *Ptolomæus Dionyſius.*

Filius Auletæ fuit, frater Cleopatræ. Hic Pompeium fugientem iuſſit interfici. De quo infra. Poſtea Iulio Cæſari quoque inſidias ſtruxit in bello Alexandrino, ſed victo exercitu regis, rex fugiẽs in mari euerſa cymba periit. Poſtea dedit Iulius regnum Cleopatræ ſorori. Vide Plutarch.

CLEOPATRA regnum obtinuit, quæ nupſit Antonio Triumuiro: quem vicit Auguſtus in bello Actiaco, & tandem Alexandriæ eô redegit, vt ſeipſos interfecerint. De qua re infra. Ita Ægyptus populi Romani prouincia eſt facta.

DVCES IVDÆORVM POST reditum ex Babylone.

GVbernatio populi Dei fuit triplex. Ciuilis, miſta, & Eccleſiaſtica. Ciuilem gubernationem obtinuerunt duces è proſapia Dauidis ortum ducentes numero 15. vel 16.

Ieconias conſilio Ieremiæ obtemperans deditionem fecit, & in exilio honoratus eſt.

1. Sealthiel filius Ieconiæ primus fuit Dux in reditu.

2. Zorobabel vel *Serubabel*, filius Sealthielis, 1. Ezræ 2. Agg. 1.

3. Reſa

3. Reſa Moſollam filius Serubabelis. Huius temporibus Eſdras & Nehemias, è Perſide ad rectè conſtituendam Rempubl. in Iudæa ab Artaxerxe Longimano miſſi ſunt, 1. Ezr. 7. Nehem. 1.

4. Ioannes Reſæ filius.

5. Iudas Hircanus primus. Fortè ita dictus, quia eius tempore Ochus transtulit partem Iudæorum in Hircaniam. Præfuit Iudææ, cum Alexander vicit Darium.

6. Ioſeph primus.

Poſt Alexandrum Magnum,

7. Abner Semei.

8. Eli Matathia.

9. Aſar Mahat.

10. Nahid Artaxad. Huius tempore 70. interpretes in Ægyptum ſunt vocati.

11. Haggai Eli. Lucas eum vocat *Esli.*

12. Maslot Nahum.

13. Amos Syrach.

14. Matathia Siloah.

15. Ioſeph iunior. Hic placauit Ptolomæũ Euergeten, cum Iudæi non ſoluerent tributum. De quo ante dictum.

16 Ianna ſecundus Hircanus. Hic fuit vltimus dux Iudæorum è poſteritate Dauidis. Interfectus eſt mandato Antiochi Epiphanis.

Poſt hunc ſummi Sacerdotes omnium rerum gubernationem ad ſe traxerunt. Horum ſcelera Antiochum Epiphanem, quem cum Maccabęi reprimerent, ipſi principatum tenuerunt, oriundi ex tribu Leui.

SERIES PRINCIPVM ET REgum ex Maccabæis ortorum.

MAccabæi nomen habent ex literis pictis in vexillo. Fuerunt Principes, quia repulerant tyrannos Syriæ; orti verò ſunt ex tribu Leui.

1, Eſt Matathias ſacerdos, de vico Ioiarib pater Maccabæorum. Hic contra Antiochi Epiphanis duces arma ſumpſit.

2, Iudas Maccabæus, qui 4. duces Antiochi Epiphanis vicit, Apollonium, Seronem, Gorgiam & Lyſiam. Vicit & Nicanorem, vt ſupra narrauimus. Poſtea fecit fœdus cum Romanis. Ex quo poſtea tempore fuit infelix, & tandem in acie cecidit. Vide ſupra.

3, Ionathan Iudæ frater. Is cum duobus filiis à Tryphone Syriaco per fraudem interfectus eſt, vt ſupra narrauimus.

4, Simon frater Iudæ & Ionathæ. Repulit Tryphonem & Antiochum Gryphum. Tandem à genero Ptolomæo interfectus eſt.

5, Iohannes Hircanus. Repulit Antonium Gryphum obſidentem Ieroſolymam: deſtruxit Samariam, & cepit oppida in finibus Syriæ & Idumææ. Sub eo ortæ ſunt tres ſectæ, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſæorum.

Reges ex familia Maccabaa.

1, Ariſtobulus filius Ioan. Hircani principatum in regnum mutauit. Fratrem Antigonum interfecit: ſed ex dolore conſcientię paulò pòſt mortuus eſt. Interfecit & matrem, exiſtimans eam cum fratre Antigono inhiare regno.

2, Alexander Iamneus filius Hircani minimus natu. Sub eo Ptolomæus Lathurus 30000. Iudæorum trucidauit.

3, Alexandra coniux ſucceſſit. Huius temporib. Tigranes Syriam occupauit: & Iudæam ingreſſus muneribus à regina eſt placatus.

Alexandri filii fuerunt duo, Hircanus & Ariſtobulus.

4, Hircanus maior natu filius, fratrem habuit Ariſtobulum, cuius filii fuerunt Alexander & Antigonus. Alexāder in bello ciuili inter Pompeium & Cęſarē, fuit Alexandriæ ſecuri percuſſus. Antigo-

tigonus ab Antonio capitali ſupplicio affectus eſt. Hircanus Herodis iuſſu interfectus eſt. Poſt Maccabæos Iudæam regendam dedit Iulius Cæſar Antipatro Idumæo, qui fuit pater Herodis. Ita regnũ ad peregrinos ac gentes eſt translatum.

Porrò licèt Hircanus maior natu erat, tamen Ariſtobulus collecto exercitu regnum inuaſit viuente matre. Defenderunt initio Hircanum Antipater Idumæus, & Aretas rex Arabum. Poſtea cũ Scaurus Pompeii legatus corruptus pecunia iuuaret Ariſtobulum, miſit Hircanus legatos ad Pompeium, qui cognito negotio Ieroſolymam occupauit cum exercitu die Sabbato, & templum profanauit, ac Hircano tradidit ſummum ſacerdotium: Ariſtobulum verò & filios Alexandrum & Antigonum abduxit Romam captiuos.

5, Ariſtobulus frater Hircanum regno expulit. Sed poſtea Hircanus reſtitutus eſt, cum captiuus teneretur Ariſtobulus: ſed ita vt regium nomen ſibi non vſurparet.

6, Alexander Ariſtobuli filius clam aufugit, & rediens in Iudæam potens eſt factus. Sed à Gabinio in Syria captus eſt, & tempore belli ciuilis Pompeiani, cum ſeditiones moliretur, à Scipione Alexãdriæ ſecuri percuſſus eſt.

7, Antigonus à Iulio poſt bellum ciuile dimiſſus Parthorum auxiliis recuperare Iudæam conatus eſt, præſertim mortuo Antipatro Idumæo. Senex Hircanus ſummus ſacerdos, & patruus, ab eo captus eſt, cui vtramq; aurem præcidit, & in Parthiam ſubduxit. Sed poſtq̃ regnauit annos 5. Soſias Ieroſolymâ captâ Antigonum tradidit Antonio, qui ipſum capitali ſupplicio affecit. Hircanũ verò ſecundum patruũ Antigoni reuocatũ ex Parthia Herodes interfecit octogenariũ, anno ante natum Chriſtum 34. Atq; hic eſt exitus familiæ Maccabæorum, quæ diſſidiis domeſticis, & ambitione ſeipſam totam peſſumdedit.

Herodis poſteritas.

Cum Iulius in bello Alexandrino multum eſſet adiutus ab Antipatro Idumæo, Cæſar Antipatro tradidit Iudæam regendam ſine regio nomine. Is veneno ſublatus eſt à Iudæo Malcho; qua indignè ferebant Iudæi peregrinos principes regere.

Herodes I.

Filius Antipatri viuo patre Galilæam rexit. Et cum ſperarent Iudæi, ipſius filios excuti poſſe à regno, vocarunt è Parthia Antigonum exulem: quia ope Parthorum occupauit Ieroſolymam. Sed vicit rurſus Herodes, ac Tetrarcha ab Antonio nominatus eſt: & paulò poſt rex Iudęæ appellatus Octauio & Antonio dominantib. Vir fuit crudelis & omnibus inuiſus. Occidit ſummum Senatum populi Iudaici, quem nominabant 72. ſeniores. Anno 33. regni ipſius, natus eſt Chriſtus.

Herodi ſucceſſerunt 3. filii: Archelaus, Herodes ſecundus, & Philippus.

Archelaus

Ob crudelitatem accuſatus eſt Romę à Iudæis, & ab Auguſto Viennam relegatus, cum regnaſſet annos nouem.

Herodes 2. Antipas *dictus.*

Interfecit Iohannem Baptiſtam. A C. Caligula propter ſuſpicionem initi fœderis cum rege Parthorum ad exilium perpetuum deportari Lugdunum in Galliam iuſſus eſt. Comitē habuit Herodiadem.

Philippus.

Tenuit Trachonitidem, & condidit vrbem Cæſaream. Huius vxorem Herodiadem cum filia Salome frater Herodes Antipas abduxit.

Herodes 3. Agrippa *dictus.*

Filius Ariſtobuli interfecti à primo Herode. Hunc Tiberius Romæ carceri incluſit, quod familiaris eſſet C. Caligulæ, quem Tiberius noluit

eſſe ſucceſſorem. Poſtea Tiberius eum liberauit ex carcere, & regem fecit. Tradidit ei Trachonitidē: Claudius addidit Samariam & Iudæam. Regnauit annos 7. punitus à Deo poſtquam interfecit Iacobum Apoſtolum, vt deſcribitur Act. 12.

Herodes 4.

Filius Herodis Agrippæ. Cum eſſet adoleſcens & ortæ eſſent ſeditiones, Iudæa per Romanos magiſtratus eſt adminiſtrata. Sed Claudius tradidit ipſi Chalcidem Syriæ & Trachonitidem. Nero adiecit aliqua oppida Iudææ. Fit eius mentio Actor. 21. Ipſius tempore Ieroſolyma deleta eſt. Regnauit autem annos 27. Hic finis eſt familiæ Herodis.

Nunc ad textum redeamus.

Ptolomæum] Ægypti ducem. *Laomedontem*] prouinciȩ Syriæ, teſte Iuſtino. *Antigonum*] Aſiæ minoris. *Caſſandrum*] Cariæ. *Leonatum*] minoris Phrygiæ. *Eumenem*] Cappadociæ & Paphlagoniæ. *Pythonem*] coloniarum in Indiis conditarum. *Lyſimachum*] Thraciæ & regionum Pontici maris.

P. 24, ℣. 1, *Antipatrum*] Macedoniæ.

Seleucus] qui Syriam deinde adeptus eſt. Multo plures recenſet Iuſtinus; & addit quas regiones occuparint ſinguli.

Oppreſſis omnibus] Sicut ſupra commemorauimus 31. in ſerie regum Macedonicorum.

Philadelphus] De quo etiam ſupra diximus.

Roma igitur vrbis] Hoc demonſtrauimus ſupra in ſerie annorum mundi vſque ad Chriſtum natum.

P. 25, ℣. 1, *Plutarcho*] in Romulo.

Homerus] ſcribunt vixiſſe ipſum poſt bellum Troianum cum eſſent exacti anni 150.

Cic.] in Bruto.

Tenuis autem] Nam quia ex Rhea Veſtali virgi-

ne nati erant, Numitoris Albani regis filiā, Amulius partum enecaturus, ne fortè regnū adipiſcerentur, in profluentem iuſſit proiici; ſed beneficio Fauſtuli paſtoris Regis sūt ſeruati & educati. Poſtea Romulus Amulio interfecto auum Numitorem, quem Amulius in exilium egerat, reſtituit. Et Romulus atque Remus de condenda noua vrbe conſilium ineunt. Et iam rem augurio cōmiſiſſent, vter eam excitaret, Romulo 12. vultures apparuerunt. Itaque is auſpicatus eſt vrbem quam vallo ſatis munitam iudicauit primam. Et cùm deeſſent incolæ, lucum fecit aſylum: & ſtatim Latini, Tuſcique paſtores aliique confluxerunt: ex quibus fecit populum Rom. Et cum matrimonia nō impetrarent à finitimis, manu capta ſunt in ludis equeſtrib. vnde ſtatim bella orta.

Principio] Regum nomina ſunt.

1, Romulus imperauit annis 38.

2, Numa, annos 43.

3, Tullus Hoſtilius, 32.

4, Ancus Martius, 24.

5, Tarquinius Priſcus, 37.

6, Seruius Tullius, 44.

7, Tarquinius Superbus, 25. Hic pulſus eſt regno propter filii ſcelus, qui Lucretiam per vim compreſſerat. De his vide Flor. & vitas Plutarch.

Solonem] Cic. in Bruto.

Pythagoram] Cic. 1. & 4. Tuſc. quæſt.

P. 26. ÿ. 1. *Athenas*] Cic. in Bruto.

Brutus] De mutatione Reip. magiſtratuum, vide infra. Recenſentur à quibuſdam 4. ætates imperii Rom. primum infantiā egit ſub regib. annis 244. Adoleuit ſub Coſſ. & dictatorum magiſtratū, annis 245. ad primum vſque bellum Punicum. Maturuit virilitate ſuâ annis 221. vſque ad Cæſaris Auguſti primum conſulatū, poſtea paulatim conſenuit. Cæterum quod ſcribitur de Bruto, ita dictus eſt à ſtultitia quam ſimulauit, vt tutus eſſet à Tar-

à Tarquinio: quam ſimulationem depoſuit quãdo patriæ libertas & pudicitia erãt vindicanda.

Tarquinio] marito Lucretiæ.

Cicero] libr. 3. Officiorum.

Hetruria conſpiraſſet] Nam Tarquinios eiectos Porſena Etruſcorum rex armis ſummaque vi conatur reducere. Sed Veientes & Tarquinienſes à Romanis ad Vrſum ſiluam victi ſunt an. V. C. 245. Anno ſequenti Horatius Cocles cum hoſtes ſolus ſubmouere non poſſet, ponte ſublicio reſciſſo tranat Tiberim. Mutius Scæuola manum ardentibus focis iniicit, inquiens, *vt ſcias, quem virum effugeris*, (inſidias enim ſtruxerat regi) *idem trecẽti iurauimus*. Clœlia etiam quæ fuit data obſes inter alios pacis, oblata occaſione equo conſcenſo Tiberin tranauit, reliquas ſecum natantes adiuuit: quæ vbi Porſennæ eſſent redditæ, honorificè ſunt remiſſæ. Anno V. C. 274. Reip. nomine contra Veientes ſuo periculo 306. Fabii mouerũt; qui ad Crameram flumen cæſi ſunt. Sed ea clades poſtea ingentib. victoriis Romanorum eſt expiata.

P. 27, ℣. 2, *mutata Reip.*] vti paulò deinde dicetur.

Decemuiri] Cauſa fuit, quod plebs quotidianis tumultibus inſurgebat ob creandos de ſuo corpore Magiſtratus, ob ferendam legem de ſoluendo à nexibus fœneratorem; de connubio, vt inire liceret cum Patribus: ob ferendam legem Agrariam, &c. Placuit igitur populo ne quis inuidiæ locus eſſet, externas leges in vrbem inducere. Itaque mittuntur Athenas Legati tres, qui Solonis leges deſcriberent, & iura ac mores aliarum ciuitatum perdiſcerent. Quod factum eſt. Pro legibus ergò promulgandis Decemviri creantur, quibus plena & ſum-

ma poteſtas datur, vt ab his prouocare non liceat.

Abriperet] Nam aiebat ſeruam eſſe, & pro tribunali hoc ipſum conatur obtinere. Reſiſtunt Ilicius ſponſus & Numitorius auus, ſed ſummouentur à lictoribus. Pater vocatus in vrbem, etiam venit poſtero die ad tribunal ſordidatus. Appius Claudius contendit rurſus eſſe ſeruam domi ſuæ natam, in domo Virginii abſtractam, & pro filia ipſius ſuppoſitam. Pater in Appium comprehendi iubentem virginem, manus intentat; & ſeductam filiam percontandi prætextu cultro interemit. Rei indignitate omnes commoti concurrunt, & abrogandum curant hunc Magiſtratum.

Tribuni militum] Tribuni militum fuerunt duorum generum. Quidam *Rutili* appellati, qui tantum in militia præerant. Alii *Comitiati*, qui Comitiis deſignabantur, & cum poteſtate conſulari præerant. Nam plebs volebat ex ſuo quoque corpore coſſ. creari. Itaque factum eſt, vt rogatione Camilli tam ex plebe, quam ex patribus crearentur patres, ſed de Coſſ. nihil immutaretur. Vario autem numero ſunt conſtituti. Penes illos igitur poteſtas eadem fuit, quæ apud Coſſ. nomina tantum variata, vt ratio plebis haberetur.

Dictator] Dictatoris ſumma fuit poteſtas, cui licebat in caput ciuis animaduertere, neque ab eius ſententia licebat prouocare. Inſignia habebat regia, & lictores duodecim. Semeſtris erat, nec vnquam creabatur, niſi in ſummo Reipublicæ periculo, vt in extremo periculo extremum remedium adhiberetur. Omnes alii magiſtratus ceſſabant, exceptis tribunis pl. Dictator creabat Magiſtrum EQVITVM: at ſicut Dictatori fuit ius ſummum in populum, ita magiſtro equitum in omnes equites fuit ius & accen-

ſos. Solus dictator Magiſtrum equitum dicebat & ſoli dictatori paruit. Reliqua paulò inferius.

DE MONARCHIA ROM.

Roma condita eſt anno mundi 3212. aut ſecundum alios, 3213. Ab initio vrbis Romæ ad natum Chriſtum anni ſunt 750. Variè autem fuit gubernata Reſp. Rom. primum per reges, annis 244. Deinde exactis regibus propter libidinem filii Tarquinii Superbi, mutata eſt Reip. forma, & coſſ. creati, qui imperium adminiſtrarunt per annos 57. hoc eſt, vſque ad annum V. C. 302. quo tempore *Decemuiri* ſunt creati. Nam ob turbulẽtum vrbis ſtatum legati in Græciam ſunt miſſi, qui leges illinc adferrent, quibus deinde ciuitas vteretur: quod factum eſt. Occaſionem ſcribendarum legum præbuerunt ſæuitia fœneratorum, & nobilitatis ſuperbia, quę iudicia eludebat. Decemuiratus hic propter libidinem Appii Claudii anno tertio rurſum abrogatus eſt: at rediit imperium ad coſſ. circiter annum 305. qui poſtea imperarunt annis 5. hoc eſt, ad annum 310. ita tamẽ vt tribuni militum bini ſummæ quoque rerum vno anno præeſſent. Poſtea anno 311. rurſum tribunis militum adminiſtratio Reip. eſt commiſſa: qui eam tenuerunt annos 70. aut ſecundum Liuium 78. hoc eſt, ad annum 389. quo tempore Reip. procuratio ad coſſ. rediit: & hæc Reip. forma cõſeruata eſt vſq; ad Iulium Cæſarem & Auguſtum.

Porrò, quoniam crebro in ſupputationibus mentio fiet nati Chriſti, ſciendum eſt Chriſtum natum eſſe anno mundi 3963. anno V.C. 751 iuxta Xyland. Porro perturbata fuiſſe omnia in Rep. Rom. ſatis indicat tot magiſtratuum mutationes.

Inter alios etiam creati ſunt Cenſores, videlicet magiſtri bonorum morum, qui ob nimium luxum in Epulis, veſtibus & aliis rebus ſunt conſtituti.

IN SLEIDANI MONARCH.

C. *Seruilium Halam*] Sp. Melius Eques Rom. dũ largitione frumẽti regnum videretur emercari, à L. Minutio annonæ præfecto defertur. Senatus ex ſententia T. Quinctii cõſulis dictatorem dici iubet L. Quinctium Cincinnatum iam octuagenarium, qui equitum Magiſtrum ſibi cooptat C. Seruilium Ahalam. Hic Melium iuſſu dictatoris in ius vocatum obtruncat. Eodem anno Nehemias rediit in Babylonem.

Biennio poſt] Hoc tempore fuit bellum Pelopõneſiacum; quod Thucydides deſcribit. Hoc tempore vixit Pericles autor belli Pelopõneſiaci teſte Plutarcho. De quo vnum hoc loco cõmemorabo. Contemſit conuicia & maledicta etiam atrociſſima. Nam nocte quadam domum reuerſurus cum famulo, incidit in quendam, qui omne genus conuiciorum & maledictorum in ipſum effudit, & inſecutus eſt vſque ad ædes ſuas. Domum igitur reuerſus, mandauit famulo, vt huic maledico faces præferret & domum ipſum deduceret, ne in tenebris fortè periclitaretur. Hoc tempore natus eſt Plato. Vixerunt item Euripides, Sophocles, Alcibiades.

Camillus] De hoc vide Plutarch. Nota exemplũ Camilli, cui nulla eſt habita gratia à patria ſua.

Senonibus] Roma capta eſt anno V.C. 365. die 16. Iunii. Galli Senones dum per iniuriam agros producere conantur, Cluſium Etruriæ oppidum obſidebant. Populus Rom. pro ſocia ciuitate legatos deprecatum mittunt, ſed fruſtra. Brennus enim dux Gallorum eos contemtim excepit. Ex legatis fuit Q. Fabius Ambuſtus, qui contra ius gentium arma in Gallos mouit. Quâ re irritatus Brennus ſolutâ obſidione Romã contendit, Fabiumq; ſibi dedi

dedi poſtulat. Sed fruſtra. Itaque vrbem vi capit, ac incendit. M. verò Manlius Capitolinam arcem cum ciuib. Rom. occupat, ac ſeptem menſes obſidionem ſuſtinet. Tandem certum auri pondus promittitur Gallo, vt cum exercitu decedat. Id dũ appenditur, Brennus inſuper gladium & baltheum ad pōdera adiecit: De quo cũ cōquererentur Rom. ac contra pacta agere dicerent, reſpondit Brēnus: *Quid niſi victis dolor?* Interea Camillus qui Ardeæ exulabat, quia dies erat dicta ipſi ab L. Appuleio tribuno Pl. ob prædā Veientanam iniquè diuiſam, lege curiatâ reuocatus dum Gallis appenditur aurum, cum exercitu Gallos adortus, Româ eiicit. Cumque cōtra pacta id fieri quereretur Brennus, reſpondit Camillus, *Quid niſi victis dolor?* Poſtea etiam profligati ſunt Galli iterum non longè ab vrbe caſtra metati, à Quinctio Dictatore. In eo prælio T. Manlius prouocatus à Gallo ad ſingulare certamen, Gallum vicit, & detraxit torquem aureum. Vnde poſtea dictus eſt Torquatus.

M. Manlius] Hanc hiſtoriam deſcribit Liuius. Cum ageretur de capite Manlii, in conſpectu Capitolii ita locutus eſt Manlius, vt flexerit iudices ad miſericordiam & propè ſit abſolutus. Itaq; coacti ſunt locum iudicii aliò transferre; ne ipſis in conſpectu eſſet Capitolium. Porro in hoc Manlio exemplum habemus mutationis ingenii. Fuit enim & ἀγαθὸν, dum vrbem Romam aduerſus Gallos defendit, & πῦμα, dum regnum affectauit. Ita Neronis laudatur quinquenium primum adminiſtrationis Reip. poſtea tamen fuit homo deterrimus. Sic Saul primò viſus eſt pius, & Ioas rex Iudæ. Contrarium euenit in Antigono, qui iuuenis magnam exercuit tyrannidem, ſenex verò moderatè ſe geſſit. De qua re interrogatus à quodam reſpondit; *atrocitate regnum fuiſſe adquirendū, ſed lenitate adquiſitum, eſſe conſtabiliendum.* Anno mundi 3612 Xenophon mortuus eſt.

Biennio poſt ſociale bellum exortum. Durauit annos tres. Triennio poſt ſpoliatum eſt templum Delphicum, vnde bellum ſacrum, quod deſcribitur a Pauſania, Diodoro Siculo. Quarto anno poſt natus eſt Alexander Magnus.

P 28. ꝟ. 15. *Duello*] Monomachiam fuiſſe vſitatam priſcis temporibus conſtat multis exemplis. Sic Valerius Coruinus & Gallus decertarunt. Ita tempore Saulis Goliath & Dauid. Et noſtro ſeculo anno Domini 1553. cum Albertus Marchio Brandeburgenſis, & Melchior Zobel Epiſcopus Wirciburgenſis Heidelbergæ eſſent cum Electore Palatino, vt certis conditionibus pax inter ipſos poſſet conſtitui; cum nullas accipere vellet conditiones Marchio, obtulit ipſi duellum Epiſcopus. Tumque dixiſſe fertur Palatinus, **Das iſt ein ehrlichs erbieten/was wil man weiters?** Sed Marchio detrectauit monomachiam, ac dixit: **Es gebühre ſich nicht/daß ein geborner Fürſt mit einem Pfaffen kämpffe.** Circa hæc tempora mortuus eſt Plato: & Dionyſius iunior profugit Athenis, & factus eſt Ludimagiſter.

Securi percuſſit] vide prouerb. *Manliana imperia.*

Contra Latinos] anno V. C. 413. Latini dum Samnites ſocios Romanorũ bello laceſſunt, armaque ponere iubentur, reſponſo ferociore alterum conſulem ex Latinis creati poſtulant. Romanorum in ſe arma conuertunt. Mittũtur igitur Coſſ. Torquatus & Decius. Decius ſe pro legionum ſalute deuouet. In hac expeditione T. Manlius Conſulis filius prouocatus ad monomachiam à Geminio hoſtium duce, cum eo congreditur, & ipſum vincit. Quam ob cauſam ſecuri percutitur.

L. Papirium Curſ.] In comparatione virorum illuſtrium quatuor ſunt obſeruanda: perſonæ, virtutes, geſta & euentus. Perſonæ ſunt trium generum. vel enim comparantur antiqui cum anti-

antiquis, vel veteres cum recentioribus, vel neoterici cum neotericis. Ita comparari non ineptè poſſet Ioſias & Dux Iohan. Fridericus Saxoniæ. Sic Ezechias & Philippus dux Pomeraniæ. Ita Pyrrhus & Carolus Burgundus. Opera autem danda, vt in comparatione non ea adducamus, quæ inuidiam creant, aut ad contumeliam ſpectant. Præterea potius encomia recitabimus clarorum virorum.

P. 29. ℣. 7., *T. Veturius.*] Id factum eſt bello Samnitico, quod exortum eſt; quoniam Samnites oppreſſerant Capuanos, qui vt opem à Rom. impetrarent, ſe ſuaque populo Rom. dediderunt, anno V. C. 410. Quare miſit Senatus Coſſ. Coruum & Coſſum, qui Samnites vincunt. Itaque pacem petunt à Rom. quam tamen non ſeruant. Quare Papyrius ad eos cum exercitu mittitur, qui ipſos fugat. Iterum pax conſtituitur, & violatur.

Aº ergo V. C. 432. Pōtio duce T. Veturium & Poſthumium Coſſ. ad furcas Caudinas ſub iugum mittunt, & turpi ſponſione obſtringunt. Anno igitur 434. L. Papyrius contra Samnites miſſus, ignominiam ante receptam ipſorum ignominiâ eſt vltus. Notandum exemplum Papyrii, qui inuſtam contumeliam deleuit ſuâ virtute. Ita Marius à Cimbris maculam aſperſam eluit. Ita Ventidius Baſſus contumeliam Romanis illatam à Parthis, qui ante annos 17. Craſſum occiderant, vindicauit. Sic Amurathes Turcus ante annos 150. Chriſtianos deuincit: ſed Iohannes Huniades multis victoriis hanc maculam eluit.

Equitum Magiſtro] Re benè geſta, equites petierunt à Papyrio aliquā remunerationem, videl. relaxationem à negociis bellicis. Papyrius reſpōdit, concedere ſe, *vt ab equis deſcendentes non teneantur demulcere terga equorum.* Quo ſignificauit ſatius eſſe, vt aliquid decederet curæ equorum, quam diſciplinæ militari.

Protulit inſuper] De his vide Diogenem Laert.

Calliſthenes] Hic, quia Alexandro adulari noluit, in ipſius odium incurrit. De hoc dixit Alexander: *Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ ἑαυτῷ σοφός.*

P.30, ỹ.2. *Dionyſius*] Diod. Sic. huius vitã deſcribit. Sleidanus ſequitur iudicium Ciceronis. At ſi conſulamus Græcos, paulo erimus ipſi æquiores. Familiaritatem coluit cum doctis, cum Platone, Antiſthene, &c. Plato in Siciliam nauigans cum ipſo collocutus eſt de Principis officio, ac inter cetera dixit, *non ſemper præſtantius eſſe, quod viro Principi ſit vtile, niſi is virtutibus præſtet.* Ad hæc reſpondit Dionyſius: *Sermones tui ſapiunt delirium anile.* Cui Plato, *& tui tyrannidẽ.* Poſtea in Siciliam reuerſus Plato cum Dionyſio colloqui cupiẽs, colloquiũ impetrauit. Ibi quæſiuit ex Dionyſio. *Quid eſſet ſtatuendum de homine, qui tui interficiendi gratiâ in Siciliam nauigaret, nec tamen poſſet cogitata perficere?* Reſpondit tyrannus. *Talem hominem vel propter illam προαίρεσιν è medio tollendum.* Tum Plato; *Si autem vir aliquis præſtantiſſimus tè cuperet beneficio afficere, an etiam ſola ſufficeret voluntas?* Aſſenſus eſt. *Tum Plato adiecit eſſe aliquem talem.* Dionyſius quæſiuit, *quis nam?* Reſpondit Plato, *Æſchinem eſſe, quem paupertas prohibeat quò minus queat aliquid præſtare beneficii Dionyſio.* Dionyſius valdè delectatus hoc colloquio, Æſchini dona dedit p̃clara. Narratur etiam, quod quidam impoſtor gloriatus ſit, ſe omnes inſidias poſſe deprehendere ac etiam inſtruere alios de inſidiis. Rex eam artem addiſcere volens, ad ſe vocauit impoſtorem, qui nihil hac in parte regère docere potuit. Tamẽ rex vt ſaltem eam opinionem concitaret, quaſi inſidias noſſet omnes, impoſtorem dimittit cum muneribus, & mandatis, vt probè adſimularet, ſe regem inſtituiſſe in artib. illis depræhendendi inſidias. Inter alia etiam refertur, delatum eſſe quendam ſycophãtam omnibus inuiſum propter conuicia

uicia, ad Dionyſ. ſed eum reſpondiſſe, *Præſtare, ut aliquis magis ſe exoſus oberret.*

Pyrrhus] Pyrrhi vitam lege apud Plutarch. Conſtat autem virum fuiſſe fortiſſimum & animo & corporis viribus. Prouocatus à Pantauro viro magno robore & proceritate, ad certamen, ipſum confractis haſtis duob. transfoſſum vulnerib. humi proſtrauit. Deinde in cuiusdam oppidi oppugnatione muros primus conſcendit, ac obuios quosq; interfecit. Item è Sicilia in Italiam profecturus à barbaro quodam ad monomachiam prouocatus, ipſum vno ictu mediũ in duas partes diſſecuit. Tandem interfectus eſt à fœmina ipſum tegulâ petente, cum videret eum inſequi filium ſuũ. Antequam moreretur, cum iaceret humi, miles quidam amputaturus Pyrrho caput, ob trucem eius aſpectum, vix auſus fuit ipſi caput reſecare. Scribit Plutarchus vim quandam inſitam fuiſſe Pyrrhi digito dextri pedis, medendi ſplene laborantes. Ad rem præſentem quod attinet, Pyrrhus euocatus eſt a Tarentinis in ſubſidium. Nam Tarentini cum ludos fortè celebrarent, ac remigantes litori Romanas claſſes viderent, hoſtemq; rati eſſent, in claſſem illã faciunt impetum. Aderat ſine mora querelam ferens legatio, hanc etiam per obſcœnam contumeliam violant. Itaque oritur bellum, omnium quæ in Italia geſta ſunt, nobiliſſimum. Initium belli fuit anno V. C. 472. Durauit ſexennio. Anno vrbis 473. pugnatũ eſt apud Heracleam, & Campaniæ flumen Sirim; Leuino conſule parum feliciter. Anno V. C. 475. in Apulia apud Aſculum melius dimicatum eſt Fabricio Æmilioq; coſſ. *Perfugam*] Medicum Timocharem.

Manius Curius Dentatus] Anno vrbis C. 478. Curius deuicit Pyrrhum ſub campis Aruſinis. In Græcia anno 3690. vltima pugna inter ſucceſſores Alexandri eſt commiſſa, poſt eius mortem anno 42. Ibi periit Lyſimachus, an nos 74. natus.

Eo tempore vixit Ioſephus Philadelphus, cuius regni anno decimoſeptimo 70. interpretes Biblia vertere cœperunt. De hoc vide Ioſephum & Ariſtęum. Eodem anno Demetrius in poteſtatem Seleuci generi conceſſit. Eodem tempore Celtæ in Macedoniam infuſi Ptolomæum Ceraunum oppreſſerunt. Anno M. 3704. mortuus eſt Epicurus.

Latini] De hiſce bellis vide Florum.

Initium belli] Hoc loco Polybius ſuam incipit hiſtoriam. Cauſas belli primi Punici variè referunt. Quidam eò referunt, quod Pœni ſiue Carthaginenſes claſſe Tarentinos contra fœdus cum populo Rom. ictum adiuuiſſent. Alii dicunt, quia Carthaginenſes Hieroni Syracuſano, ſocio populi Romani regnum eripere conabantur. Veriti igitur Rom. ne Carthaginenſes totam Siciliā occuparent, quam præter Meſſanam & Syracuſas vniuerſam poſſidebāt, opem ferendam decreuerunt. Cauſa tamen præcipua Romanos hæc mouit, vt paulatim aliis etiam regionibus potirentur. Sic etiam Albertus Archidux Auſtriæ ante annos 300. ſub prętextu tutelę in fidem recepit haſce partes Germanię ſuperioris, totam Alſatiam, *&c.* & poſtea in ſeruitutem redegit. Miſſus ergò eſt in Siciliam cum exercitu Appius Claudius, anno V. C. 489. Pœni obſident Meſſanā, vocato in ſocietatē obſidionis Hierone Syracuſanorum rege. Appius ergò conditiones primū pacis proponens fruſtra, ſeorſum Hieronē aggreditur, àque Meſſana repellit, ac Syracuſas fugâ petentem ſequitur, quas etiam obſidet. Anno 490. fit pax cum Hierone, graui mulctâ ei impoſitâ, 100. videlicet talentorum. De Hieronis laudibus vide Diodorum Siculum. Amans fuit eruditorum. Quæſiuit ex Simonide, *quid eſſet Deus*? Simonides petiit ſpatium meditandi: reuerſus, denuò petiit tēpus, & iterum: ac tandem reſpondit, *quo magis de hac re cogitet, eo minus*

nus ſeſcire quid Deus ſit. Hoc tempore vixit Aratus Sicyonius; item Ieſus Syracides.

P.32, ṽ.1, *Attilio Regulo*] In hiſtoria Reguli tria ſunt obſeruanda.1, viciſſitudo & inconſtantia rerum humanarum. Nam victor Regulus anno ſequenti capitur, & miſerrimè poſtea interit. 2. exemplum hominis, qui priuatam vtilitatem poſthabuit publico bono. Suaſit enim Senatui captiuos non eſſe permutandos, *&c.* 3. exemplum fidei in ſeruandis pactis. Anno nono huius belli, cum duo Coſſ. Manlius & Regulus in Aphricam traieciſſent, & poſt reditum Manlii ad vrbem Regulus in Africa manſiſſet, vicit acie Aſdrubalem & Amilcarem patrem Annibalis. Anno 10. belli Regulus victus eſt & captus. Anno 15. miſſus eſt Metellus in Africam, qui 20000. Carthaginenſium trucidauit. Tumque miſſus eſt Romam Regulus pro pace vel permutatione captiuorum. Anno nono poſt 1, 24. belli, Q. Luctatius conſul cum vidiſſet Hannonem adducere claſſem ad Amilcarem, priuſquam duo exercitus coniungerentur, occurrit Annoni, & prælio nauali vicit, poſteaque ad Amilcarem properauit, & ex Eryce diſcedere coëgit. Poſtea pax vtrinque facta, teſte Polybio.1, vt excederent Pœni Siciliâ & omnibus inſulis inter Italiam & Africam.2, vt duo millia & ducenta talenta Euboica (Euboicum talentum erat 400. coronatorum) hoc eſt, 880000. in annos 20. penderent, in præſens mille 1,400000. coronat.3. vt captiuos Rom. redderent ſine precio.4, vt vtriusque populi ſocii apud vtrumque populum tuti eſſent. 5, vt alterius ſocios neuter in amicitiam reciperet, neuter in alieno imperio imperaret, neve milites conduceret.

Anno V.C. 498 duce Xantippo Spartano.

Anno 502. *ad Panormũ*

Anno 511.

C. Duillio] anno V.C. 493. ad Liparas inſulas. Alter conſul Cn. Cornelius Aſina, C. Duillii collega, dum Liparas cum nauibus contendit, ab Annibale Pœnorum duce capitur, teſte Polybio libr. 1. Alii

dicũt Punicâ fraude & iureiurando deceptũ Coſ. dũ adduceretur ad ducẽ, quaſi viſendi ægrorũ gratia, captiuum eſſe abreptum in Africã è Sicilia: quod perfidiæ Punicæ documentũ ſcribit Florus.

Celeritas Luctatii in hoc bello obſeruanda.

Anno ſequenti] V. C. 494. *Luctatio*] V. C. anno 522. apud inſulas Ægates. Eodẽ anº. Antigonum Doſonũ Macedonẽ vocauit Aratus Sicyonius cõtra Cleomenẽ valde infeliciter. Nã cũ mortuo Antigono vocaret filium in alio periculo, Philippũ, aduerſus Ætolos, veneno iuſſu Philippi Aratus eſt extinctus. Sed tyrannus Macedo iuſtas dedit poſtea pœnas, vt infra dicemus. Ceterum Plutarchus ſcribit de Doſone quod omnib. benignè quęuis ꝓmiſerit, nil aũt vnquã ſeruauerit. Vnde prouerbio dicuntur *Doſones qui promittunt, nec ſeruant.* δώσω, dabo.

P. 33, ỷ. 1, *Ligures*] quos iã Genuenſes vocãt. Hoc tẽpore regnauit Philippus Macedo, homo inquietus; de quo poſtea. Itẽ, Ptol. Philopator, & Antiochus M. *Inſubres*] Hi cum ſociis in Etruriam irrumpunt anº. V. C. 528. Aduerſus eos miſſi ſunt Æmilius Papus & Attilius Regulus Coſſ. à quib. victi ſunt, poſtea etiã ſuperati à Flaminio, ac 3º à Marcello, anº. 531. occiſo eorum rege Viridomaro.

Alterum bellum Punicum.] Hoc bellum deſcribit Polybius, Liuius, Appianus, Silius item Italicus. Durauit annos 17. Cauſæ huius belli fuerunt, ingens odium inter Carthaginenſes & Romanos. Annibal anno ætatis nono iuramentum præſtitit, non ſe odium depoſiturum ergà Rom. teſte Plut. Altera cauſa fuit, quod Deus voluit creſcere monarchiam Rom. Ἀφορμὴ belli fuit expugnatio Sagũti. Annibal enim annos 26. natus ab exercitu imperator ſalutatur, ſubſtitutus Aſdrubali mortuo. Itaque varias & multas occupat vrbes mirabili ſucceſſu in Hiſpania, ac tandem etiam Sagũtinos obſedit, qui reſtiterunt per menſes 8. teſte Plut. ſed tandem ſuperati ſunt. Itaque Annibal Sagun-

guntũ deleuit. Erãt aũt Saguntini ſocii Rom. quare Romani conqueſti ſunt Carthaginenſes nõ ſeruare pacta fœderis. Ad id reſponderunt Carthaginenſes, Saguntinos non fuiſſe tum ſocios Romanorum. Romani cõtra inſtabant, ſocios & præſentes & futuros intelligi. Cum ad eos mitteretur Fabius, & tergiuerſarentur Carthaginenſes, dixit Fabius: *Qua mora eſt? in hoc ego ſinu bellum affero & pacem, vtrum placet, ſumite.* Succlamarunt Pœni, *vtrum vellet, daret. Bellum igitur*, inquit Fabius, *accipite, excuſſo toga gremio*. Eſt autem Saguntum expugnatum anno V. C. 535. aut ſecundũ alios 556. Quãta fuerit calamitas Saguntinorũ, lege in prouerb. *Sagũtina fames.* Exſtructo. n. rogo Sagũtini quidqd habuerũt precioſi, cremarunt, & poſtea ſe quoque in ignẽ cõiecerũt. Annibal ſuperatis mõtib. aſperrimis in Italiã trãſiit. Dicitur amiſiſſe 30000. homines priusq̃ mõtes cõſcẽdere poſſet cũ exercitu.

Ticinum] In Italiã venit Annibal an° 535. mẽſe Octob. quo etiã vicit equeſtri prælio. Scipio cõſul in eo prælio vulneratus eſt, quẽ filius, qui poſtea *Africanus* dictus eſt, admodũ adoleſcens, ne in manus hoſtiũ veniret, ꝓtexit. Eodẽ an° T. Sẽpronius collega Scip. antequam Scipio cõualuiſſet, cũ Annibale eſt cõgreſſus ad Trebiã, ſub brumæ tẽpus, menſe videlicet Decembri, acieque fuſus.

Traſymenum lacum] Tertiam cladem in agro Peruſino accepit Conſul Flaminius, qui vna cum exercitu cæſus eſt, deſideratis 15000. Factum id anno 536. in vere. *Fabius Maximus.*] Miſſus eſt cõtra Hannibalem anno V. C. 536. Hic cunctando attriuit Hannibalis vires, quod animaduertit Hãnibal, & ſæpe prouocatis Romanis ad pugnam, tamen eos pellicere non potuit. Idem fecit noſtra ætate Albanus aduerſus Auraicum, ſperans cunctatione ſe fracturum eum, vt deſint ad bellum neceſſaria. Inter cetera commemorat Plut. ſtratagema Hannibalis; quod cum de Capua occupanda

cõſultaret, ac deduci cuperet in agrũ Caſinatẽ, ductus ſit in agrum Caſilinum, vndique montibus ſeptum. Ibi ergò noctu ſarmentorum faſciculos ad boũ cornua alligandos curaſſe, & accẽdẽdos, poſteà belluis ad montium iuga agitatis, ipſum ſecutũ ac Rom. metuẽtes inſidias ſaluus deſeruiſſe, ſicq; ipſum reduxiſſe exercitum ſuperatis montium iugis. Cum Fabio miſſus erat Minucius collega. Ei interdixerat Fabius, ne ſe abſente dimicaret. Verũ non obtemperat Minucius, ac hoſtẽ aggreditur feliciter. Itaque elatior factus, calumniatur Fabium apud Romanum Senatum. Senatus decernit, vt pari imperio bellum adminiſtrarent. Diuidit ergo cum eo exercitum Fabius. Minucius hoſtem prouocat, cũ eo cõfecit, ac in ſummũ diſcrimẽ ſe atq; exercitũ cõiicit. Quo intellecto Fabius Minucio opẽ tulit, & rẽ in integrũ reſtituit. Vnde Hannibal in hãc vocẽ erupit: *A me hodie victus erat Minucius, ego autem à Fabio.* Propter hoc beneficium Minucius publicè Fabio egit gratias, ac imperium depoſuit, tradiditq; Fabio. Poſtea Annibal mira arte arcem Tarentinam cepit; ſed eodem prorſus artificio, quod Plutarchus deſcribit, recuperata à Fabio. Itaq; dixiſſe fertur Annibal: *Habent & Romani ſuum Annibalem.* Quidam Salinator homo vaniſſimus gloriabatur ſuâ operâ factum, vt Tarentum receperit Fabius: Cui Fabius feſtiuè: *Si Tarentum non amiſiſſes, ego nunquam recepiſſem.*

Exemplum gratitudinis.

Cannas] a. V. C. 537. Miſſus aduerſus Annibalem erat L. Paulus Æmilius, & C. Terẽtius Varro, quorum ille cæſus, hic fugâ elapſus fuit. Plutarchus ſcribit tres modios aureis annulis ex mortuorum cadaueribus detractis fuiſſe repletos.

P. Corn] Hic Scipio cum adoleſcens tribunus eſſet militum in pugna Cannenſi, & multi cogitarẽt de deſerẽda Italia, coegit eos iurare, ſe patriam non deſerturos. Si quis nollet iurare, necem ei minitatus eſt ſtricto gladio. Noluit tũ Annibal perſequi

ſequi Rom. Quare ipſi Adherbal dixiſſe fertur: *Vincere noſti Annibal, ſed nō vti victoriá.* Narratur quod quid Ciſco Annibali retulerit de eleganti acie Romanorū, Annibale aūt diſſimulantē omne periculum, reſpondiſſe, *non eſſe mirandum illum exercitū, ſed id mirabilius accidere, quod nemo in tam præclaro exercitu appelletur Ciſco.* In Scipione videmus verū eſſe quod dici ſolet, *vnū virum loco multorum eſſe.* Exemplum aliud hîc referre placet huius rei. Rodolphus ab Erlach Comiti Nidauienſi diſſuaſerat bellum quod cū Bernatib. gerere volebat. Ibi comes valde iratus dixit Erlacēſi, **Wer ſich fürcht/ der leg ein Bantzer an.** Erlacenſis reſpondit, *tam ſe nō metuere ſibi, quam fortè alii; interim tamē nō poſſe ſuadere bellum.* Tunc comes, **Ein mann kein mañ.** *Si tibi metuis, ad ipſorum caſtra tranſeas.* Erlachius hac voce irritatus reſpondit: *proficiſcar ergo ad eos, tu verò intelliges vnum virum eſſe plures.* Abiit ergo Bernam ac Senatui iſta denunciauit. Senatus huius integritate oblectatus, ipſi demandauit belli totius adminiſtrationem; quam etiam ſumma cū fide geſſit. Ac in cōflictu comitem vicit; quo in p̄lio comes ipſe cum plurib. viris illuſtrib. cæſus eſt. Anno huius belli quinto Marcellus vicit Annibalem ad Nolam, ac docuit hac pugnâ, Annibalem vinci poſſe. Dixiſſe tum fertur Annibal: *Sibi rem eſſe cum hoſtibus, qui nec victi, nec victores poſſent quieſcere.*

Quarto poſt anno] anno V. C. 541. Sicilia Hieronymi regis (qui Hieroni ſucceſſor erat) cæde turbata, ad Pœnos inclinabat ex conſilio Hippocratis ipſorum ducis. Quare Marcellus miſſus eſt Syracuſas, quam diu oppugnauit. Oppugnare cœpit anno V. C. 539. expugnauit anno 541. Machinis Archimedis Mathematici vrbs eſt tandiu defenſa. Coactus fuit ab obſidione vrbis diſcedere. Itaq; Megaras oppugnat & occupat, ac Hippocratis exercitum apud Acillas profligat, vt refert Plutar-

chus. Hac autem occaſione cepit Syracuſas. Damippus Spartanus in Marcelli poteſtatẽ deuenerat, quẽ ſummo deſiderio Syracuſani redimere cupientes, ſæpius cũ Marcello ſub muris colloquia habuere. Ille pſpectã turri nõ accuratè obſeruatã, eã noctu occupauit, & murũ armatis cõpleuit militib ac illuceſcente die ex inſperato vrbẽ cepit, & militib. inuitus eã diripiendã cõceſſit. Edixerat tamen, ne homines liberos læderent, parcerent matronis, &c.

Archimedes] De Archimedis interitu diuerſæ ſunt ſententiæ. Quidam occiſum ferunt, ſicut narrat Sleidan. Alii dicũt ipſum voluiſſe offerre globũ Mathematicũ victori Marcello, ſed in itinere cum ad ducẽ cõtenderet, à militib. exiſtimantib. ipſum aliquid pretioſi portare, interfectum. Alii aliter narrant.

P. 34, ✠. 11, *Liuius*] Idẽ ait Plut. Non minores opes, q̃ ex Carthagine, è Syracuſis Romã importatas exiſtimãt. Inuidia aũt ferè comitatur præclarè facta. Vnde quidã Marcello diem dixit. 1. ob impietatem in deos Tarentinos cõmiſſam. 2, quod importaſſet tantam pecuniã in vrbẽ, & hac ratione ciues corrupiſſet. Sed & Syracuſani diem Marcello dicebãt. Verũ Marcellus abſolutus eſt à Senatu, & quintũ coſ. creatus. De Marcello plura vide apud Plut. Egregius fuit miles. Fratrẽ Otaciliũ in Sicilia grãdi liberauit periculo. Cõtra Inſubres miſſus, cũ Briomato cõcurrit, & eũ interfecit. Ac ꝓpter animi robur Hãnibal Marcellũ vocare ſolitus eſt pugilẽ, Fabiũ verò præceptorẽ. Ad Canuſiũ vicit Hãnibalẽ. Tandẽ cũ videretur occaſio oblata prodeundi ſpeculatũ quid ageret hoſtis, adiũxit ſibi Criſpinum, & 200. equites, ac profectus eſt exploratũ res Hãnibalis. Id aũt per indiciũ emanauit, & ſignificatũ Hãnibali: Itaq; inter Bantiã & Venuſinũ inſidias collocauit quodã in tumulo, ac ibi adortus eſt Marcellũ Hãnibalis exercitus. Criſpinus vulnera-

neratus eſt, Marcellus transfoſſus lanceâ, & filius ipſius ſaucius in caſtra relatus. Annibal vbi hoc reſciuit, acceſſit ad cadauer, & teſtatus eſt ſe mirari robur, detractoq; annulo, curauit ipſum honeſtè cremari, & cineres argenteæ impoſitos vrnæ ad filiũ transmiſit. Aiũt aũt Numidas in itinere adortos eſſe baiulos, & auferre conatos argentum; inq; eo tumultu cineres fuiſſe effuſos; poſtea tamen rurſum collectos. Vbi primũ Annibalis copiæ interfecerunt Marcellũ, ſcribit adulterinas literas Annibal, nomine Marcelli, annulo Marcelli obſignatas ad Salapianos, ſe veſperi apud ipſos futurum. Sed Criſpinus de cæde facta Salapianos iã monuerat. Itaque præmoniti, hoſtes admittunt, ac vbi 600. intromiſerunt in vrbem, portas claudunt, & quos admiſerunt, occidunt.

Sepulcrum] De ſepulcris hoc noto. Lycurgus apud Spartanos ſuſtulit ſuperſtitiones ſepulcrorũ. Vetuit ne res pretioſę ſepelirentur cum mortuis; prohibuit expiationes, non cõceſſit adhiberi præficas mulieres, nõ conceſſit Epigraphas & epitaphia; quia tantũ iſta cõpeterent benè meritis de Rep. Conceſſit tamẽ vt ad tẽpla ſepelirẽtur. Noſtri Rom. videtur ſuas hinc ſuperſtitiones mutuaſſe. Quanta apud Rom. fuerit ſepulcrorũ religio, notũ eſt ex hiſtoriis.

Vrbem Syracuſas] vrbs Syracuſarum fuit tetrapolis, vti hodie Brunſuicenſem aliquot aiunt cõſtare vrbibus Sic Baſilea eſt dipolis, *&c.*

Cic.] Act. 4. in Verrem.

P. 33, v. 3, *Campaniam omnem*] Mutatio Rerumpubl. mutat animos hominũ. Campani mox ſe dedunt Annibali poſt cladem Romanis illatam. Ita cum primum Lantgrauius & Saxo capti fuerunt, ſtatim ſecutæ ſunt deditiones vrbium.

Eneruatus] vnde dictum fuit, Annibali Capuam fuiſſe Cannas. Plutarchus ſcribit cum Capuæ diuertiſſet Annibal in ædibus Pacuuii, filium Pacuuii rogaſſe patrẽ, vt ſibi liceret Annibalẽ occidere,

by Google

quia tot mala Romanis inflixiſſet. Sed Pacuuium id filio concedere noluiſſe, ſed potius hoſpitē tutum apud ſe maluiſſe. Plutarchus ſcribit in Lucaniam conuerſum Annibalem profligaſſe M. Cētenium: Deinde in Apuliam profectum, Fuluium prętorem cum exercitu ſuſtuliſſe.

Capua deditione capta] Cum Romani obſiderent Capuam, nec poſſet ab obſidione Romanos abducere Annibal, Romam feſtinat, ac ad Anienem conſiſtit. Sed Romani expugnarunt Capuam anno 544. poſt Capuam amittit etiam Annibal Salapiam. Proficiſcitur igitur Herdoneam, & Fuluium nil tale opinantem vincit.

Ademptus eis ager] Pœna Capuanorum, quod fœdus fecerant cum Annibale. Hic notandi ſunt gradus pœnarum. Xerxes redacta in ſuam poteſtatem vrbe Babyloniorū, hanc pœnam impoſuit, ne exercerēt militiā, & vt voluptates ſectarētur. Theodoſius Imperator fuit ſeuerior erga Theſſalonicēſes, qui aurigam impurū liberare conati ſunt è vinculis, ac præfectos regis trucidauerant, id impedire conātes. Theodoſius ergò 6. mille Theſſalonicenſes interfecit. Quo etiam nomine reprehenſus fuit ab Ambroſio. Fridericus Barbaroſſa, cū viciſſet aliquoties Mediolanenſes, & vrbem occupaſſet, vxor eius imperatrix vrbem illam videre cupiuit. Eô igitur profecta, cum Mediolanenſes imperatricem adeſſe cognouiſſent, ipſam magnâ affecerunt contumeliâ. Impoſuerant enim eam aſino, & caudam loco freni in manus dederant, ſicque per vrbem circumduxerunt. Imperator ergò denuò Mediolanum obſidet, & capit deditione, ac iſtud factum vlciſcitur impurâ ipſis conditione impoſitâ. Carolus V. Gandauenſes multauit peſſimè, coegit cōplures laqueos induere & circumgeſtare. Franciſcus rex Galliarum compulit Burdegalēſes refodere digitis manuum terram, vbi ſepultus erat quidam quem ipſi interfecerant. Ioan.

Alber-

Albertus Megapolitanus erga Roſtochianos fuit moderatus, *&c.*

Biennio poſt] a. V. C. 546. anno belli 10. Aſdrubal frater Annibalis exercitum adduxerat in Italiam ex Hiſpania, & ſe fratri coniuncturus erat, quod literis Annibali ſignificabat. Liuius ꝓficiſcitur in Galliã aduerſus Aſdrubalem. Miſſi. n. erant M. Liuius, & Claudius Nero à Senatu. Claudius literas Aſdrubalis intercipit, & de conſilio ipſius certior fit. Itaque rectâ relicto Annibale in Apulia proficiſcitur Senam ſex dierum ſpacio, & ſuas copias cum Liuii Salinatoris copiis coniungit.

Poſtea congreſſi hi duo duces cum Aſdrubale, & ipſum cum exercitu concidunt ad Senam Vmbrorum. Nero ſumma celeritate ad ſua caſtra contendit, ex quibus nondũ ſenſerat exceſſiſſe ipſum Annibal, ac caput Aſdrubalis ante caſtra Annibalis abiici curat per captiuos. Annibal itaque mæſtus longius abduxit exercitum in Brutios. Obſeruetur autem in hoc bello Claudii conſilium & celeritas. Hannibal cum interfectus eſſet frater, edidit maximam vocem, dicẽs; *Agnoſco infelicitatem Carthaginis.*

Interea rem feliciter] Cn. Scipio, Scipionis Africani patruus proconſule in Italiam miſſus Annonem vicit. Inde Aſdrubalẽ agro cis Iberum cedere cogit. Poſtea P. Scipio, Africani pater poſt conſulatũ prorogato imperio, in Hiſpaniã mittitur. Multa præclarè gerũt, ſed tãdem à Celtiberis mercenariis duo Scipiones occiduntur; P. quidem in caſtris, Cn. verò in quadã turri. L. Martius Eques interea Hiſpaniam ne deficeret, continuit, & magnam hoſtium ſtragem edit, anno V. C. 541. Tandẽ P. Scipio, P. Scipionis, qui in Hiſpania occidit, annos natus 24. miſſus eſt in Hiſpaniam, anno V. C. 442. reuerſus Romam anno 447. debellatâ Hiſpaniâ propè vniuerſa. Inter ceteras vrbes Carthaginem Hiſpanicam mira celeritate capit. Me-

moriâ dignum eſt, quod ibi narratur de Scipionis cõtinentia, dum virgo nobilis adduceretur formoſiſſima, ſponſa Luceii Celtiberi, vt refert Plutarchus, abſtinuit ab ea, & ſponſum libertate donauit captum, ipſam puellam donis honeſtatam tradidit ſponſo. Simile ferè exemplum eſt in Pericle. Cum enim Pericles & Sophocles prætor viderent venuſtiſſimum adoleſcentem, & eâ de re moneret Sophocles, Pericles ait, *Prætorem non tantum oportet manus & oculos, ſed linguam quoque habere puram.*

Q. *Fab. Max.*] Fabii hæ fuerunt rationes: 1, cõfecto feliciter bello deſierunt exercitia bellica iuuentuti Romanæ. 2, ſi deſint hoſtes, periculum eſt, ne bellum oriatur ciuile. 3, ſtultum videtur hoſtẽ quęrere in Africa, quem habemus in Italia. Scipio reſpondit ad has rationes. Ad 1. deficit nunc paulatim Romana virtus. Itaq; augeſcente indies potentia Carthaginenſiũ, ingens imminebit Romanis periculum. Ad 2. dixit, non malè ominandum, ſed omnia potius fauſta ſperanda. Ad tertium: ſi bellum in Africa geratur, Hannibalem eâ ratione ab Italia abduci, quo multis annis liberari non potuerit.

P. 36, ℣. 12, *Prœliis aliquot*] In Africa profectus eſt a. V. C. 549. Eò cùm venit, Aſdrubalem vicit apud flumen Beſalam, neque Syphacis exercitum fudit. Hic Syphax rex Maſæſylorum propè Mauritaniã, Scipionem ex Hiſpania in Africam nauigantem in ſua regia benignè exceperat, & amicitiæ fœdera cum Scipione inierat. Eam ſocietatem vt Aſdrubal diuelleret, Syphaci in matrimonium collocat Sophonisbam adoleſcentulam, cuius amore & complexu dementatus amicitiæ Scipionis renunciat. Cuius poſtea perfidiæ pœnas dedit, Romam ductus, & in exilium relegatus. Ab hoc Syphace Maſaniſſa rex Maſſyliorum regno erat exturbatus. Itaque ad Scipionem confugit, & in fidem

dem receptus Romanorum, egregiè ſeruauit fidem. Itaque Romani eum ampliſſimo Syphacis regno donarunt; in quo florens opibus & gloriâ vixit ad 90 annum ætatis. Scribunt quendam dixiſſe, Scipionis exercitum nimis exiguum eſſe, qui tantis Africanorum copiis opponeretur: reſpondiſſe autem Scipionem, cum videret in propinquo turrem, *Neminem eſſe in toto ſuo exercitu, qui ſi iuberetur, ex vicina turre ſe præcipitare, non eſſet exſecuturus mandatum Imperatoris.* Itaque non eſſe dubitandum de exercitu ſuo, &c.

Ingenti prælio] Annibal ex Italia recedere fuit coactus. Cumq; animaduerteret tutius eſſe pacem alere cum Scipione, de pacis legibus inter ipſos fuit colloquium. Vbi verò de pace non conuenit, ſigna cecinere. Ad Zamlam igitur conflixerunt anno V.C.451. Vtriusque confeſſione, Scipionis & Annibalis, non potuiſſet melius inſtrui acies, nec acrius pugnari. Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicauerunt. Appianus narrat, quomodo in pugna inter ſe ipſi dimicauerint duces, Scipio & Annibal, & deinde Maſiniſſa & Annibal. Annibalis ſcutum petebat Scipio, ſed vulnerabatur equus Scipionis. Cumque reſiliret equus, interuenit Maſaniſſa, & ipſe quoq; ſcutũ petiit Annibalis, qui etiam Maſaniſſæ equum vulnerauit. Quare deſiliens ex equo pedes pugnauit, & propugnatorem equitem interfecit, alioque telo Annibalem petiit; ſed aberrans, alium interfecit equitem. Interea vulneratur Maſaniſſa. Et redit Scipio inſidens equo recenti Maſaniſſæ opitulaturus, quem inuenit iam obligato vulnere redeuntem in prælium in alio equo. Tandem Annibal tumulum proximum adſcendit, vt commodius in hoſtem poſſet impetum facere. Pœni exiſtimantes fugere ducem, terga dederunt. Ita Scipio victor euadit. Annibal autem fugit in Aſiam ad Antiochum.

Pacem deinde] anno proximo à prælio, videlicet V.C.552. pacis conditiones erant, vt Pœni liberi viuerent ſuis legibus, perfugas, fugitiuos, captiuos, traderent, neque naues, & elephantos domitos, bellum non gerent iniuſſu populi Rom. Maſſaniſſæ ſua redderent, decem millia talentorum, i. ſexaginta tonnas auri penſionib. æquis in annos 50. ſoluerent, & obſides 100. arbitratu Scipionis darent. His temporib. vixerunt Ennius, Plautus, M. Cethegus nobilis Orator.

P.37.℣.10, *Cũ Philippo*] Philippus Demetrii filius penultimus rex Macedoniæ cum Annibale poſt Cannenſem calamitatem fœdus ſanxerat anno V.C.538. Vt igitur Philippum ab Italia arcerent Romani, Valer. Læuino prætori imperium mandat, qui Philippum in regnum ſuum retrò abire cogit anno 539. Anno 541. conſul declaratus Leuinus, in vrbem reuocatur. Succeſſor mittitur Sulpitius Galba, qui tandem cum Philippo pacem fecit anno 549. Poſtea Romani anno V.C. 553. bellum renouant 199. annis ante Chriſtum. nam Philippus non ſeruarat cum Ætolis & ceteris Græciæ ſociis pacem: præterea nuper auxilia in Africam Annibali ſubmiſerat: &, quæ fuerat præcipua belli cauſa, Athenienſibus bellum intulerat, qui à Rom. auxilium petebant. Hic Philippus κακοζηλίᾳ ductus imitari voluit exẽplum Philippi patris Alexandri Magni. Itaque cum vicinis bellum gerere cœpit. Sed fuit illi longè diſſimilimus. Extat oraculum apud Pauſaniam in Achaicis de duob. Philippis, quorum alter futurus eſſet ἀγαθὸν, alter πῆμα. Græcos oppreſſit, vſus amicitiâ Sicyonii Arati, cui contra Achæos bellum gerẽti auxilium miſerat, & hac ratione Aratum cũ filio oppreſſit. Sed iuſtas reddit pœnas Philippus. Initio autem cum Arati conſiliis vteretur, fuit moderatus, ſed poſtea leoninam naturam oſtendit.

Flaminius] anno V.C. 556. in Theſſalia ad locũ qui

qui dicitur χυνοσκέφαλος, vicit Philippum. Et conditiones ei præſcripſit haſce, vt Macedoniæ finib. contentus Græciâ totâ cederet: talenta mille penderet, i. 6 tonnas auri, naues non niſi decem haberet: Demetrium filium obſidem daret; neque Nabis Armenem. Quantus fuerit dux hic Flaminius, lege Plutarch. vbi elegans inter cetera deſcribit ſtratagema, quâ ratione ſuperarit mõtes, &c. Homo fuit vrbanus, ac dicta faceta refert Plutarchus complura.

Libertati reſtituit] anno V. C. 557. αὐτονομία Græcis eſt reddita. In Flaminio autem notãda ſumma beneficentia: quâ effecit, vt ſe multæ ciuitates vltro dediderint. Immo controuerſiarum ipſum cõſtituerunt arbitrum. Hinc in Iſthmiis ludis Græci acclamarunt Flaminium, σωτῆρα appellantes. Sed & diuinos propè exhibuerunt ipſi honores, magnificas ferè ſtructuras, & templa ei conſecrarũt. Vide inter cetera quæ in templo Delphico fuerunt ſuſpenſa, & carmina adiuncta, quæ exſtant in Chronicis Philippi. Cum Philippus rex Romanis mulctam irrogatam penderet, interceſſione Flaminii effectum eſt, vt ipſi redderetur. A Naupacto, à Chalcidenſibus Manlium auertit, & ipſi conciliauit. in ſumma beneficentiſſimus fuit erga Græcos.

Notetur etiam gratitudinis exemplũ in Romanis, qui cum leges a Græcis eſſent mutuati, nil durius in ipſos volunt ſtatuere; hunc honorem etiam habentes ſtudiis liberalibus. Tanta etiam humanitate ſunt vſi Romani, vt dimitterent filium regis Demetrium: qui mirificè delectatus Romanâ virtute & diſciplinâ, cum Romanis amicitiam coluit, ac patrem iam de alio bello conſultantem diligenter eſt dehortatus. Itaque frater ipſius Perſeus, cum præſtantem virtute & animi dotibus animaduerteret Demetrium ac metueret, ne prior in regno ſuccederet, ipſum patri reddit ſu-

ſpectum, ac de inſidiis patri ſtructis accuſat, adductus ad huius rei confirmationem fictitiis literis. Quare occidendum curauit pater filium. Orationes illæ exſtant apud Liuium decad. 4. lib. 3. quas habuêre pater & filius. Poſtea tamen detectæ ſunt fraudes. Et pater Perſei caput diris exſecrationibus deuouit. Nec multò pòſt iuſtas dedit pœnas Perſes.

Aduerſus Antiochum] Cauſa belli Syriaci exponitur pag. 37. præcipua tamen cauſa fuit Annibal profugus. Durauit hoc bellum duos annos. Incœpit anno v.c. 562. quo Antiochi exercitus à M. Attilio Glabrione fuit profligatus ad Thermopylas. Poſtea à Scipione Aſiatico ad Magneſiam victus eſt, & leges ei pacis præſcriptæ, vt Europa omni abſtineret, Aſia omni cis Taurum montem decederet, pro impenſis belli 15000. talenta Euboica daret 1000, talentorum per 12. annos penderet.

Partiti) De quadripartita Alexandri monarchia aliàs.

P. 38, ꝟ. 11. *Annibal profugus*) Narrant, quod Antiochus, cum ageret delectum militum, & oſtenderet barbaricum ornatum auro ac gemmis conſpicuum, quæſierit, *An tam ſplendidus exercitus poſſet Romanus opponi.* Ibi Hannibal reſpondiſſe fertur, *hunc exercitum ſufficere Romanis, etiamſi omniũ hominum ſint rapaciſſimi*: tacitè volens ſignificare, non eſſe virtutem exercitus poſitam in auro & gemmis.

Maximo prælio] Ad Magneſiam anno v.c. 564. Conuenerat inter pacis conditiones, vt Romani dimidiam partem nauiũ darent Antiocho. Sed Rom. fraude ac impoſtura vſi, miſſo legato Tito Fabio Labeone omnes naues diſſecuerunt, & dimidiã partẽ tradiderunt. Reperio tamẽ Antiochũ iſta vſum fraude erga Rom. De Antiocho inter cetera hęc cõmemoratur memoriâ haud indigna.

Quum

Quum aliquando in venatione in loca quædã inculta delatus eſſet ſolus ac admodum veſperi in horrida quadã caſula diuertere cogeretur apud pauperẽ ruſticũ, factũ eſt, vt interrogaret, quid diceretur de rege. Reſpõdit ruſticus; *Regẽ aiunt, eſſe probũ, ſed Reip. functionẽ cõmittere aulicis improbis, qui iniquè graſſentur in ſubditos. Deinde reprehendi regem, aiebat, quòd nimirum venationib. delectaretur atq; indulgeret.* Poſtridie igitur cum famuli aulici regem inuenirent, induit rex purpuram, & diademacapiti impoſuit, dixitque: Ab eo tempore, quo hiſce ornamentis vtor, nunquam audiui verum, niſi heri veſperi. Simile quid accidiſſe narrat ErneſtoLuneburgẽſi, qui cum ſuos amiſiſſet in venatione ſecutus feram, deuenit in locum deſertũ ad quendãruſticũ, quẽ interrogauit, *An nõ vidiſſet præteruolantẽ leporem*: Reſpondit ruſticus, *ſe vidiſſe*. Ibi Erneſtus quæſiuit, *An nouiſſet ſuum principem*. Reſpondit ruſticus, *Noui*. **Es iſt ſchier alſo ein ſchwartzerſchelm/ wie du.** Obſeruatione quoque dignum eſt χαρίσμα Antiochi Magni hoc: Quum obſideret Hieroſolyma diebus feſtis, rogarunt ipſum Iudæi, vt abſtineret iis diebus ab oppugnatione. Antigonus reſpondit libenter ſe ipſis gratificaturum. Soluit igitur obſidionem, & adduci iuſſit boues & aromata pro ſacrificiis. Iudæi experti tantam benignitatem, ſe ipſi dediderunt, ac benignè ſunt ab eo tractati.

Poſt acceptam) Eraſmus putat Antiochũ hoc dixiſſe ſeriò; ſed puto iocum eſſe & ironiam.

Ætolos) Ætoli cum populo Rom. arma ſociarẽt bello Philippico, & ibi parum honoratam militiã ſuam fuiſſe accuſarent, ad Antiochum deficiunt. Sed Antiocho deuicto etiam ipſi à Rom. ſunt perdomiti, a.v.c.564. & coacti imperata facere, M. Fuluio Nobiliore conſule.

P Scipio) Dignum obſeruatione, quod Scipio ceſſit furori tribunorũ militum, ne perturbaretur

Reſpublica. Quidam exiſtimant interfectum eſſe ab aduerſariis. Bis fuit accuſatus, teſte Plutarcho, quaſi nō pecunias ab Antiocho extortas retuliſſet in publicum. Sed ſe purgauit grauiſſimè. Memorabile etiam eſt colloquium Scipionis cum Annibale apud Antiochum. Quæſiuit Scipio, *quemnā exiſtimaret ſummum imperatorem?* Reſpondit, *Alexandro Magno primas ſe cōcedere.* Tum Scipio, *Cui ſecundas tribueret?* Reſpondit, *Pyrrho regi Epirotarum.* Denuo inſtitit Scipio, *cui tertias*: reſpondit, *ſibi.* Tum Scipio, *quem verò te iudicares, ſi me viciſſes?* Reſpondit; *primum inter omnes.* Ita præclarè ſenſit Annibal de Scipione. Anno 568, quo mortuus eſt Scipio maior, natus eſt Scipio minor. Anno 569. Plautus eſt mortuus. Notanda etiam eſt mantica vox Scipionis de Mario. Cum enim aliquando in conuiuio rogaretur, *Quis eſſet futurus præclarus dux?* reſpondit *Marium aſſidentem, & puerum tunc, futurum.*

P. 39. ỿ. 13, *Annibal ad Pruſiam*] Eodem anno ferunt Annibalem mortuum, quo Scipio eſt mortuus. Alii tamen dicunt biennio poſt obiiſſe. Ceterum poſt conflictum ad Zamiam, vt ſupra indicauimus; fugit Annibal ad Antiochum. Inde cum Antiochus pacem peteret à Romanis, ac ab ipſis poſci ſe intelligeret, in Cretam profugit, vt narrat Plutarchus. Cumque Cretenſes tantum opibus inhiare cerneret; ad Pruſiam Bithyniæ regē profugit, & in bello aduerſus Eumenem Pergamenorum regem, ſocium populi Rom. claſſi præpoſitus eſt. Ibi amphoras viuis ſerpentib. repleuit, & cum confligerent, in naues ſociorum Eumenis proiici curauit: vnde in fugam coniecti fuerunt. Tandem verò T. Flaminius ad Pruſiam miſſus, iuſſit ſibi pro componendis cum Eumene rebus, Annibalem dedi. Annibal ne in poteſtatem hoſtiū perueniret, venenum, quod diu ſecum tulerat, hauſit, inquiens; *Soluamus omni cura Romanum*

popu-

populum. Mortuus eſt (vt refert Plutarch.) anno ætatis 70. vt alii, anno ætatis 59. vrbis C. 566. In Annibale exemplum eſt ducis, qui ſe non neceſſariis bellis implicuit.

Antiochus Epiphanes] Antiochus Magnus, quintus Syriæ rex tres habuit filios, Seleucum Philopatorem, Antiochum Epiphanem & Demetrium. Mortuo patre ſucceſſit maior natu filius Seleucus. Reliqui duo fratres Romæ obſides erant. Non diu poſt mortem patris regnauit Seleucus, mortuus anno mundi 3797. Succeſſit igitur filius Seleuci in regno. Cum autem Antiochus audiſſet fratrem Seleucum mortuum eſſe, clam Româ profugit, & regnum Syriæ occupauit, filio Seleuci pulſo. Anno V.C. 579, ante natum Chriſtum 173. Dictus eſt ἐπιφανὴς, ob generis nobilitatẽ, & ἐπιμανὴς, ob mores. Hic Antiochus gymnaſia Ethnica Hieroſolymis inſtituit, & Biblia combuſſit, profitentes religionem crudeliſſimè interfecit. Vide hiſtoriã Maccabæorum. Anno mundi 3800. hic Antiochus ab Iaſone inuitatus, Ieroſolymam venit. Hoc tempore Actius & Statius vixerunt Poetæ. Actio ſeni oblatum fuit poema Statii iuuenis: de quo dixit Actius: *Initio fructus produci acerbiores, qui temporis progreſſu mature ſcant & dulceſcant.*

Tutorem ſe] nam nupta erat Ptol. Epiphani Cleopatra ſoror Antiochi Epiph. Ex hac natus erat Ptol. Philometor, cuius ætas cum nondũ eſſet matura gubernationi, ſimulat tutelam Antiochus.

P. 40, ỳ. 19. *Is quem ſupra dixi*] Cauſa huius belli fuit, quod Perſeus inuaſit reges ſocios populi Rõ. Abrupolin enim Sapenſium regulum regno expulit; Arietarum Illyriorum interfecit, Eumenẽ Pergamenorum regem Delphis afflixit; Græciam contra Rom. ad arma ſolicitauit, legatos populi Rom. ad res repetendas miſſos contemtim exceptos, regni finib. intra triduum exire compulit. Bellum igitur ſuſceperunt, quod durauit annos

quatuor. Motum eſt anno V.C. 582. ac miſſus eſt P. Licinius Craſſus, qui equeſtri prælio ad Sycuriū Theſſaliæ oppidum a Perſe victus eſt. Licinio Hoſtilius conſul ſucceſſit. Poſtea miſſus eſt Q. Martius Philippus conſul, anno V. C. 584. qui aduentu ſuo ita perterrefecit regem, vt mox fugâ ſibi conſuluerit. Quartus in Macedoniam venit L. Paulus Æmilius, q ad Pidnā Pieriæ vrbē collatis ſignis 3. non. Septemb. anno v.c. 586 ingenti prælio ſuperauit, cæſis 20000. peditum. Rex ipſe cum duobus filiis, Philippo & Alexandro, è fuga retractus eſt, & ad Æmilium adductus, qui poſtea eos in triumpho duxit. Deinde in carcerem ducti; mortuus eſt Perſes cum filio Philippo Alexāder ſuperſtes ſcriba magiſtratuum Romanorum factus eſt. Ita iuſtas dedit Perſes parricidii pœnas. Narrat Plutarchus ante id prælium conſpectam eſſe eclipſin Lunæ, quâ ne perterrefierent milites, præmonendos curauiſſe. Memoria dignum eſt ſtratagema Æmilii. Aciem enim quaſi in gyrum circumduxit. Idem facere cogebantur Macedones. Eo conſilio effectū fuit, vt clariſſima die fulgor armorum perſtringeret aciem oculorum hoſtium. Notandum etiam in Æmilio exemplum *αὐταρκείας*. Nam facultates ipſius non ſuperarunt 37000. coronatorū, cum intulerit in ærarium plus 5000000. Scribit item Plutarch. in Hiſpania ipſum vrbes circiter 250. cepiſſe, nec aſſe ditiorem rediſſe. Cum aduerſus Perſen eſſet profecturus, natus iam annos 60. occurrit ei filia plorans, quā cum rogaſſet cur lachrimaretur, reſpondit, *Canem Perſea mortuū eſſe.* Id ominis loco fuit Æmilio. In hiſtoria autem huius belli cōſiderandum eſt, quam difficulter patiantur homines circumſcribi ſuas cupiditates. Ideo Philippus redintegrare bellū cogitauit. Deinde conſideretur præcipuā bellorum cauſam eſſe *φιλαρχίαν* & *πλεονεξίαν*. In Philippo etiam exemplum

plum eſt hominis qui etiam alterâ vice cupit ad eundem lapidem offendere. Nam alterum molitur bellum.

P. 41. ✠. 4. *paucis deinde*] De tertio bello Punico vide Appianum & Polybium. Cepit hoc bellum anno v. c. 604. Durauit annis 4. Cauſa belli fuit, quod Maſſaniſſæ ſocio populi Rom. contra leges pacis ante annos 50. factæ bellum inferrent.

Vnu erat] Hæc erat ſententia Scipionis Naſicæ, qui nimis iudicabat crudele exemplū, non conueniens Romanæ clementiæ, ſi vrbem euerterent. Præterea facilius iudicabat exoriri poſſe bella inteſtina, ſi omnis hoſtium metus abeſſet. Cato contrarium ſuaſit.

Cato] Dicebat Cato Romanam virtutem paulatim elangueſcere. Itaque metuendum ne nimium creſcente potentia Carthaginenſium, tandem Romani debellentur. Miſſi aūt ſunt primū Coſſ. in Africam Manilius & Cenſorinus, qui biennio aliquoties infeliciter pugnarunt, ſed virtute Scipionis Æmiliani exercitus fuit ſeruatus.

Cethego) qui ob ſuauiloquentiam dictus eſt *Suauimedulla*, Cic. de clar. oratoribus.

P. 42, ✠. 7, *P. Scipio Æmilianus*) Hic fuit filius Pauli Æmilii, qui Perſen vicit. Adoptatus in Scipionum familiam, vnde & ipſe *Scipio* appellatus eſt. Adoptiūo enim adoptantis gens & familia tributa eſt.

Anno ſecundo belli, videlicet vrbis conditæ, *606*. Scipio creatus eſt conſul ante ætatem conſularem. Itaque tum dictum fuit, *Dormiant hodie leges*. Ita relaxatæ ſunt olim leges, cum in prælio Leuctrico cæderetur exercitus Thebanus, & multi fugerent, ideoque infames fierent (nam abiectis armis fugere erat valde probroſū, vt videre eſt in prouerbio Rhipſaſpides) nec Spartam ingredi auderent; Ageſilaus cōceſſit vt ingrederētur, dicēs,

ſe non abrogare legem,ſed velle vt ſequenti die rurſum valeat.

Is poſt inchoatum] Scipio totam vrbem circumuallauit ne frumentum inuehi poſſet. Quod fuit difficillimum factu. Nam ſi credimus Melanchthoni ambitus fuit vrbis 6. milliarium Germanicorum,& diameter circiter duorum. Polybius author fuit,vt Scipio murices ſpargeret, ne poſſent egredi hoſtes vrbe. Sed Scipio reſpondit, fore ridiculum, ſi occludatur hoſti via præliandi aut copia fugiendi.

Capit,diripit] Priuſquam diriperetur, iuſſit edici Scipio,vt fugerent qui vellent; Fugerunt igitur ex vrbe 50000.hominum.Quod exemplum eſt inſignis clementiæ. Ita dum Salinator & Nero (ſi non fallit memoria) confligerent cum Aſdrubale & fuſæ eſſent Pœnorum copiæ, noluerunt fugientes inſequi, ac dixerunt: *Superſint aliqui teſtes victoriæ noſtræ apud hoſtes.* Simile ferè eſt κατόρθωμα Alfonſi regis, qui oppugnauit Caietam. Caietani enim cum fame premerentur, ex vrbe eiecerunt omnem imbellem turbam puerorum, puellarum, ſenum,vetularum, *&c.* Cum autem videret Alfonſus miſeros illos homines, & milites, eos in conſpectu Caietanorum, qui mœnia conſcenderant ſpectaturi fatum imbellis iſtius turbæ,trucidare vellent, iuſſit Alfonſus adornari menſam & epulo excipi.Oppidani videntes tantam regis humanitatem,ſtatim ſe ipſi dedunt.

P.42,℣.8,*Incendit*] vrbs inflammata 16.arſit dies. Polybius ſcribit,ſe adſtitiſſe Scipioni ſpectati vrbis incendium.Lacrymaſſe autem,& rogatum cur funderet lachrymas,reſpondiſſe: *Se cogitare miſeros humani generis caſus,& futurum aliquando ſimile vrbis Romæ excidium.* Id quod accidit ſeptingentis poſt annis, Totilæ temporibus. In Scipione notandum frugalitatis ac αὐταρκείας exemplum, qui annis 54.quib.vixit,dicitur nil emiſſe, vendidiſſe,

ædi-

ędificaſſe. Moriens reliquit libras 33. argenti, auri 25. cum potuiſſet ſe & ſuos locupletare euerſa Corintho. Præterea fuit φιλόφιλος. Studioſè operã dedit, ne quemquam læderet, & omnibus bonis benè velle exiſtimaretur. Quum Appius Claudius cum eo cēſuram appeteret, & gloriaretur de genere ſuo, diceretque neminem ferè notum eſſe Scipioni: reſpondit Scipio: *Ego non tam operam do, vt noſſem alios, quàm vt notus eſſem multis.*

Vetuſtior] centum annis & amplius.

P. 43, ẏ. 1. *Eodem ferè tempore*] Durauit hoc bellum vnicum annum. Cauſa fuit, quod dum legati Romanorum Corinthi voluerunt diſſoluere conſpirationem Achæorum, pulſati ſunt, aut ſuperbius appellati. Præterea Achæi in Lacedæmonios populi Rom. ſocios, coniuncta cum Bœotis & Chalcidenſibus ſocietate, mouerant.

Incendit] anno v.c. 607. Ita propter violatos legatos Dauidis bellum eſt exortum. Vide etiam apud Sleidanum hiſtoriam de Fregoſo. Romanis autem vitio datum fuit, quod ex ſepulcris Corinthiorum venas protuliſſent, νεκροκορίνθια. Vide prouerbium, *A mortuis tributum.* Non multò poſt reſtaurata eſt vrbs Corinthus. Ita Henricus V. deleuit Noribergam & Rubeaquum. Sed Noriberga reſtaurata eſt ſumptibus nobilium virorum. Vnde etiam ariſtocratia ad eos eſt translata.

Per aliquot annos] anno 604. imperator factus eſt Viriathus. M. Rutilium prætorem interfecit, C. Plautium bis fudit. Poſt Plautium, C. Vnimanum profligauit, & C. Nigidiũ imparatum oppreſſit, vt quatuor prætores intra annos quatuor deuicerit. C. Lælius prætor ferocitatem Viriathi repreſſit. Et anno 608. Q. Fabius Max. Æmilianus Viriathum propulſauit. Tandem anno 613. interfectus eſt. Cum enim Seruilius Cœpio, Fabii ſucceſſor, non poſſet alia ratione vincere hoſtem, legatos Viriathi, qui mittebantur de pace, corrupit, vt

dormientem eum opprimerent, qui ipſi dormienti iugulum præciderunt. Turpiſſimum ſemper hoc facinus eſt à Rom. habitum, vt qui percuſſores in hoſtem emerit.

Numantinis] Cauſa belli huius eſt: Arenacces Celtiberiæ populi Segidam muris contra fœdera cum Graccho percuſſa muniebant, quare Fuluius Nobilior in eos mouit. Segidenſes fugati & diſſipati à Numantinis recipiuntur. Itaq; Fuluius exercitũ ad Numantiã mouet, ſed profligatur Cæpio anno 612. Anº 613. Q. Põpeius fuit miſſus, qui pacẽ fecit q̃ ſenatus nõ approbauit. Miſſus ergo eſt Popilius Lænas anº 615. ſed profligatus à Numantinis. Anº 616. miſſus Hoſtilius Mãcinus, quẽ etiã vicerũt, & ignominioſam pacẽ facere coegerunt, quã Senatus repudiauit, & miſit Calpurniũ Piſonẽ conſulẽ, cuius etiam fuit oppreſſus exercitus. Ita ſex conſules ordine deuicerunt.

P. Scipionem) Scipio, cum toties eſſent profligati Rom. ac cauſam exiſtimaret eſſe luxum exercitus Rom. nouum voluit conſcribere exercitum. Sed obſtitere alii. Et vt impedirent, factum eſt S. C. vt ex vectigalibus, non ex ærario pecunia daretur Scipioni. Preterea non fuit copia data Scipioni iuſtum conſcribendi exercitũ. Scipio igitur dixit, ſe ex ſua & amicorum pecunia militẽ conſcripturũ. Iuſtum verò exercitũ petiuit; hoc vſus dilẽmate: ſi fortitudine hoſtiũ factũ eſt, vt toties ſint victi Rõ. omninò opus eſt iuſto exercitu. Sin ignauiâ & ſocordiâ militum, difficile erit cum hoſte bellum gerere, non aliis ſubſtitutis militibus.

Ad ſeueram diſciplinam) Eiecit ex exercitu ſacrificos homines, vaſa non neceſſaria iuſſit efferri: diuitib. non conceſſit vas argenteũ; lugubri veſte circumiuit lugens dedecora exercitus. Cum occurreret adoleſcens egregium habens clypeum, dixit: *Non tam de laua, quàm de dextra ſollicitum eſſe oportere.*

P. 44.

P.44, ℣.2, *Circumuallaſſet*] prohibuit ne commeatus importaretur. Non autem congreſſus eſt aliquamdiu cum hoſte, exemplo bonorum medicorum, qui ferrum non niſi extrema vrgente neceſſitate adhibent. Congreſſus tamē eſt aliquoties leuioribus prœliis, ac in fugam vertit Numātinos, qui in vrbem pulſi, dicere ſunt ſoliti, *eaſdem nunc quidem oues eſſe, quæ prius fuerint, ſed nō eundem paſtorem.* Vnde non mirum eſſe, quod in vrbem recedere compellantur. Tandem vrbe captâ, Numantini partim mutuis vulneribus, partim igne, partim veneno ſunt ſublati.

Eodem tempore) De bello ſeruili vide Diodor. Sicul. Anno v. c. 618. Syrus quidam nomine Eunus, dum Syriæ deæ ceremonias iactat, ad libertatem ſeruos quaſi numinum imperio concitauit. Idque vt diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quā ſulphure & igne ſtipauerat, leuiter inſpirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculo primum duo millia ex obuiis, mox refractis ergaſtulis quadraginta amplius millia fecit exercitum. Contra ſeruos in Siciliam miſſi ſunt prætores, Manilius, Lentulus, Piſo, Hypſæus, quorum caſtra ſerui ceperunt: Tres conſules in Sicilia cum ſeruis rem geſſerunt, C. Ful. Flaccus anno 619. deinde L. Piſo, anno 620. qui 8000. ſeruorum interfecit, & quos capere potuit, patibulo affixit, poſtea P. Rupilius anno 621. qui bellum confecit. Cauſa præcipua fuit belli ſæuitia dominorum. Similis fuit cauſa in bello ruſticano, exorto anno Domini 1525.

Ariſtonico) Attalus teſtamento hæredes inſtituit anno vrbis c. 620. Cum autem vrbes occuparet Ariſtonicus, miſſus eſt contra ipſum C. Licinius Craſſus conſul; ſed ab Ariſtonico victus, captus & occiſus, anno vrbis conditæ 622. Itaque Marcus Perperna miſſus eſt, qui Ariſtonicum

Digitized by Google

vicit anno V.C. 623. Perperna Pergami moritur. Succeſſit igitur ei M. Aquilius Conſul, qui Attalicas gazas Romam deportauit, & de victoria Perpernæ labore parta, & capto Ariſtonico triumphauit anno 623. Ariſtonicus in carcere ſtrangulatus eſt. Porro Seleuco ademta erat Bithynia & Syria, in qua regnare cœpit Attalus, qui Romanos iuuit milite in bello Macedonico aduerſum Philippum. Oraculum ſignificauit ei quam diu poſteri eius regnaturi eſſent hoc verſu;

Αὐτὸς καὶ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες.

Id multis aliis etiam familiis accidit. Vt Otthonibus Sueuiæ ducibus. Non diſſimile exemplum in Georgio duce Saxoniæ, qui ob odium Euangelii ſucceſſorem ſubſtituere volebat in Miſniæ ducatu Carolum Cæſarem & Ferdinandum. At cum morbo corriperetur, & conſiliarii nouiſſent volũtatem ſui domini, miſerunt legatos ad Henricum Saxonem; qui petiuerunt, ne mutaret religionẽ ſi contingeret mori Georgium, alioqui futurum vt Miſniã excideret. Henricus auditis legatis reſpondit, *idem ſibi accidere quod Chriſto Domino, ad quem venerit Satan, & ipſi monſtrarit totam terram, quam ſe daturum promiſerit, ſi procidens adoraret ipſum, &c.* Vt porrò hi iã enumerati paucos habuerunt ex ſua familia ſucceſſores, ita Auſtriaca familia plurimos habuit ordine Cæſares.

Propinquis) immo ab hoſtibus, vt paulò poſt dicam.

P. 58. *Fabius Max.*) anno V.C. 631. 632.

Eodem tempore) anno V. C. 632. Rectè præuiderat Fabius ciuiles motus excitatũ iri ſublatâ Carthagine. Originem bello huic dederunt leges Agrariæ. Fuerat autẽ vetus lex: *Quando deletis hoſtib. agri publici diuiſi erant, nemini ciuium Rom licebat ex his plus quam* 500. *iugera poſſidere* (iugerum eſt quadratũ, cuius vnũ latus habet 120. pedes) *nec licebat diuitibus emere pauperum ciuium agros & ſuis addere,*

&

& per mancipia c. lere, ne pauperũ ciuium familiæ redigerentur ad egeſtatem; & Italia repleretur peregrinis hominibus & ſeruis. Sed diuites hanc legem violarunt. Cum igitur in prouinciam iret Tib. Gracchus, obuiam ei proceſſerunt paſſim ciues cum paruis filiis & matribus, ſe ſpoliatos ſuis bonis, rogantesque vt veterem legem reuocaret. Id promiſit Gracchus, ac reuerſus ex prouincia factus tribunus legis, fert rogationem de veteri lege. Fauerũt huic negotio etiam Lælius & Scæuola. Sed poſtea Tib. Gracchus Octauius collega à diuitib. ſubornatus intercederet, ei magiſtratum abrogauit. Præterea ſibi magiſtratum contra leges prorogari voluit. Quæ res cum haberet ſpeciẽ tyrannidis, iuſſit Senatus vt Scæuola Conſul armis reprimeret Tiber. Gracchum, cui populus adhęrebat. Id cum recuſaret, Scipio Naſica eum eſt aggreſſus, & interfectus eſt Gracchus, cedente populo Senatui accedenti, & deſerente Tiberium. Interfectus eſt anno V.C. 620. cum abeſſet Scipio Æmilianus ad Numãtiam. Id cum audiret Scipio, probauit necem Tiberii, recitans verſum Homeri:

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Notanda autem inconſtantia populi Rom. qui primo Tiberium defendebat, poſtea vbi ad rem eſt ventum, ſtatim eum deſeruit. Immò verò initio Scæuola & Lælius approbarunt eius actiones, poſtea deſeruerunt Tiberium, cùm viderent ſe abſque diuitum inuidia non poſſe obtinere legis agrariæ promulgationem. Decennio poſt, i. anno 630. C. Gracchus eandẽ egit cauſam de lege agraria per biennium. Tandem cùm Minutius Rufus tribunus plebis Gracchi leges poſtquã tribunatu abierat, abrogaturus eſſet anno V. C. 632. occupatum eſt ab vtraque parte Capitolium. Inque ea turba Atilius Opimii conſulis miniſter occiditur. Senatus eius cęde grauiter offenſus L. Opimio mã-

dat: *Videret ne quid Reſp. detrimenti caperet.* Itaque arma capit Opimius. Et Gracchum armis pellit. Gracchus interfectus eſt anno 632. Adiuuit Gracchus Carbonem tribunum plebis, qui rogationem tulerat, *vt liceret eundem creari tribunũ plebis quoties vellet.* Acerrimè verò obſtitit Scipio Æmilianus, qui etiam dicebat iurè interfectum eſſe Tiberium Gracchum. Cum autē populus videretur impetũ facturus in Scipionē in foro, dixit: *Me nec hoſtium fremitus, nec armorũ ſtrepitus perterruit vnquam, neq; iſte populi concurſus me perterrefacit, etſi non ignorem Italiam nouercam.* Addebat; *Iurè me cupiunt ſublatũ, quo ſtante, Roma non cadet, nec collapsâ Româ, Scipio viuere poteſt.* Manè inuentus eſt poſtridie mortuus, occiſus haud dubiè opera Carbonis & Gracchi. Sed ſecutæ ſunt pœnæ. Carbo enim ſibiipſi mortem intulit, & Gracchus interfectus in vrbe.

P. 46, ℣. 3. *Hos motus tribunitios*] Bellum Iugurthinũ durauit annis 7. Cœpit an° 642. Occaſio hæc fuit. Iugurtha Maſaniſſæ nepos fuit, quem Micipſa Numidiæ rex Scipioni Æmiliano rē cum Numantinis gerēti auxilio miſit. Cũq; ibi res magnas gereret, & Scipio literis ad Micipsã teſtaretur, etſi rex eũ, Adherbalem & Hyempſalē filios haberet, in filium adoptauit, hoc beneficio ſuis tutorem & patronum parare cupiens. Iugurtha igitur regni cupiditate agitatus interficere fratres cogitat, ac Hyempſalis capite potitur per inſidias: quumque ſe in Adherbalem conuertiſſet, iſque Romam profugiſſet, legatos miſit Romam cum magna pecunia quâ Senatum corrupit & in ſuã pertraxit ſententiã. Et hæc prima ipſius victoria de Rom. poſtea miſſi ſunt à Romanis legati, qui regnum inter illũ & Adherbalem diuiderent. Sed & hos corrupit pecunia, vt nihil ſit actum. Cum res detecta eſt, placuit Romanis parricidam bello perſequi anno 642 Miſſus igitur eſt Calpurnius Beſtia, quem item corrupit muneribus Iugurtha, & pacem emit.

mit. Poſtea Maſaniſſæ nepotē patruelem Guluſſæ filium Maſſiuā anno 643. immiſſo percuſſore confecit. Hæc igitur altera fuit cauſa bellandi contra regem. Igitur ſequens vltio mandatur Albino, ſed huius exercitum ita corrupit, vt voluntariâ fugâ vinceret Iugurtha. Exercitui Romano, quem prius emerat, pepercit. Mittitur ergo aduerſus Iugurthā Q. Metellus Numidic⁹, vrbib. regē exuit, & ē finib. ſuis fugere compulit, quem inſecutus eſt Metellus per Mauros & Getuliam. Poſtremo videlicet anno 646. C. Marius regē adortus eſt, & Capſam cepit; Iugurtham prælio vicit, qui ad Bocchum regem Maurorum, generum ſuum profugit. Qui metuens alienæ cladis ne fieret acceſſio, Iugurtham tradit Syllæ Marii quæſtori, ad Marium deducendum anno 647. Ita fraudulentiſſimus rex fraude generi ſui in inſidias eſt deductus. Tandem opertum catenis Iugurtham in triumpho duxit C. Marius anno v. c. 649. poſt triumphum in carcerem eſt tractus Iugurtha, vbi ſex dierum fame contabuit. Ita pœnas dedit parricidii. Numidia hoc bello in prouinciæ formam eſt redacta.

Genealogia horum regum talis eſt. Maſaniſſa rex Numidiæ bello ſecundo Punico iuuit P. Scipionem Africanum, & amicitiam contractam conſtanter ſeruauit. Vnde populus Romanus multas ei vrbes in Africa captas tradidit. Huius filii fuerunt hi:

MASINISSA.

Micypſę, cuius filii 2.	Manaſtabiles	Guluſſa.
Adherbal, Hyempſal.	Iugurtha ex Guda cõcubina natus, adoptatus à Micypſa.	Maſſina.

Ex his Maſiniſſæ filiis, mortui ſunt Manaſtabiles & Guluſſa. Itaque ſolus ſuperfuit Micypſa, qui imperium obtinuit. In Iugurtha obſerua exemplũ φιλαρχίας. In Ocho verò, exemplum λυκοφιλίας. Dũ enim Iugurthæ res eſſent integrę, fuit ipſius amicus & σύμμαχος. Eodem anno, quo Iugurtha captus, natus eſt Pompeius Magnus, annis ante Chriſtum 105. Iulius autem Cæſar natus eſt anno 653. 12. Iulii.

Per bellum Iugurthinum] Anno v.c. 640. Cimbri, Teutoni & Tigurini, cum terras eorum inundaſſet oceanus, nouas ſedes in toto orbe quærebant, & illecti fertilitate Galliæ & Italiæ, eò quoque tranſierunt. Petiuerunt autem à Senatu primum, vt terram ſibi daret. Quod Senatus recuſauit. Itaq; quod precibus obtinere non potuerant, armis petere conſtituerunt. In Illyrium profecti Cn. Carbonem conſulem, cui ea prouincia obuenerat, ad Norbeiam profligant. Arma deinde anno 644. aduerſus M. Iunium Silanum conſulem mouent, & magnâ calamitate fundũt ac fugant. Inde miſſus M. Scaurus contra illos in Galliam, tertiã cladem accepit. Scauro Caſſius Lõginus ſuccedit conſul, qui à Tigurinis in finibus Allobrogum cũ L. Piſone legato & exercitu cæſus eſt. Huius ſucceſſor fuit C. Cæpio, qui Gallis Toloſanis bellum facit, & theſaurum Toloſanum è templo Apollinis diripit. Cæpioni poſtea primo conſuli, cũ C. Manilio conſule prorogatum deinde imperiũ

eſt in

eſt in Gallia; ſed cum diſſidium inter eos oriretur, partiti ſunt exercitum & prouinciam; Cimbri autem inuaſerunt Manilium & vicerunt; itemque [a] Cæpionem, quem etiam profligarunt.

[a] die 6. Octobris anno 648.

Cæſi ſunt eo bello ex Rom. 80000 militũ, calonum & lixarum 40000, & bina caſtra capta. Factũ id anno V.C. 648. Ob rem male geſtam Cæpio in carcerem eſt detruſus, & poſtea cũ eſſet mortuus, cadauer à carnifice in Gemoniis potiti. Cimbri in Hiſpaniam redeunt. Interim mittitur C. Marius cõſul in Galliã, cui imperiũ per bienniũ prorogatur ob metũ à Cimbris impẽdentem. Poſtea Cimbri à Celtiberis repulſi in Galliam cum Teutonis & Ambronibus ſuperatis Alpibus, Italiam occupare conabantur. Marius primò non ſtatim dimicauit. Cum eſſet demandatum bellum Cimbricũ vſus conſilio fatidicæ mulieris, Marthæ nomine, fortaſſe Iudęæ. Tandem verò cum Alpes iam ferrẽtur, Marius anno 651. ad aquas Sextias cum Theutonis eſt congreſſus & interfecit 150000. 3. Non. Sextil. Anno deinde 652. Cimbri ingreſſi ſunt Italiam per Noricum, Catuli exercitum à faucibus Alpium pepulerunt, & ad Atheſim flumen caſtra fecerunt. Eò venit Marius, & ſe cum Catulo coniũgens, cum Cimbris cõgreſſus trucidauit 140000. hoſtium. Cimbri erant incolæ earum regionum, quas hodie vocamus *Daniam, Suetiam, Holſatiam.* Teutonorũ ſedes erat in Weſphalia; item ad Viſurgim amnem. Ambrones videntur Rheni accolæ, *Cliuenſes, Iuliacenſes, Tencteri, &c.* Anno, quo Cæpio & Manilius ſunt victi, Ariſtobulus regnare cœpit apud Iudæos, qui occidit fratrem ſuum Antigonum, & Alexandrum in carcerem detruſit: poſtea ipſe eo loco periit, quo fratrem interficere curauit. Cimbrorum reliquiæ hodie ſunt in comitatu Zimrenſi. Comites Simrenſes eadem habent inſignia, quæ fuere Cimbrorum.

Hanc felicitatem] Bellum hoc triplici nomine

dicitur Sociale, quia cum ſociis geſtum ſit; Marſicum, quod à Marſis primo commotum; & Italicũ. Cauſa præcipua hæc fuit. Anno 628. v. c. M. Fuluius cõſul promulgauit legẽ, vt ſocii ius ciuitatis haberent, & honores quoque conſequi poſſent. Senatus autem impediuit hoc conſilium, licèt iam ſpes eſſet facta eius rei ſociis. Poſtea Liuius Druſus eãdem legem perferre conatus eſt. Sed non obtinuit. Itaque Italici bis tanta ſpe deiecti aduerſus populum Rom. coniurant, anno v. c. *662.* Acceſſerunt aliæ quoque cauſæ; 1, inuidia. Inuidebant enim ſocii Romanis tantam felicitatem, qua vtebantur. Inuidus quippe vicini oculus. 2. ad bellum incitabat memoria auitæ libertatis. 3, ὕβρις Roman. qui abutebantur opera ſociorum. Anno igitur *663.* bellatum eſt diu, & tandem anno *664.* omnes ſunt debellati. Cato cõſul diſcuſſit Etruſcos (ſcribit tamen Oroſius fraude Marii in turba occiſum Catonem) A. Gabinius Marſos, Carbo Lucanos, Sulla Samnites, Pompeius Strabo Picentes & Aſculanos edomuit.

P. 47. ℣. 5. *Mox aliud malum*] Occaſio belli recẽſetur à Sleidano. Cum Mithridates Romanos videret ciuilibus armis ſeditionibusque veluti oppreſſos, vtendum ea occaſione ratus ad regna Aſiæ & Europæ occupanda, pulſo Ariobarzane, primas belli cauſas mouit anno v. c. *659.* Hunc regem ſocium Sulla armis reſtituit in regnum. Durauit autẽ bellum hoc Mithridaticum, annis 32. & finitum anno v. c. *690.* Vide de hoc bello Appianum.

in Aſiam] anno v. c. *666.*

Orta factione] Anno v. c. *665.* Senatus decreuit, vt Sylla dux contra Mithridatem mitteretur. C. autẽ Marius incredibili ardens eius belli gerendi cupiditate, P. Sulpitium tribunum plebis impulit, vt lege latâ Sullæ (qui adhuc in Campania ſocialis belli reliquias perſequebatur) imperium abrogaret, & in ſe transferret. Huic legi cum conſul Q. Pom-

Pompeius aduerſaretur, filium conſulis, generum Syllæ occidit Sulpitius. Hoc tumultu cõgnito Sylla, priuſquam in Græciam nauigaret, cum exercitu Romam redit, & Marium ac Sulpitium atque alios hoſtes damnat, & proſcribit: Sulpitium occidit. Marius fugâ elabitur. Poſtea Sylla contra Mithridatem proficiſcitur, & res feliciter gerit, vt poſtea dicemus.

Per abſentiam) Anno v. c. 666. Cinna, vt ab Italicis gratiam iniret, voluit eos diſtribui in 35. tribus antiquas, in quas diſtributi erant ciues Romani. Senatus conceſſerat vt non in 35. veteres noui cenſerentur ciues, ſed in nouem, aliàs decem, conſcriberentur. Sed Cinna legem per vim voluit ferre. Itaque à Cn. Octauio collega vrbe pulſus eſt. Cinna cum ad ſolicitandas Italicas ciuitates circumiret, & exercitum comparaſſet, rediit ad vrbẽ, & reuocato ab exilio Mario, præcipuos Romanæ nobilitatis interfecit: Octauiũ conſulẽ, Antoniũ oratorem, L. & C. Cæſares, Catulum, alioſq;.

P. 48, ℣. 6, *His reb cognitis*) Tertius turbo ſeditionis Marianæ anno tertio poſt, hoc eſt, v. c. 670. Sylla factâ pace cum Mithridate, redit in Italiam. Cinna igitur metuens Syllam aduerſus eum ducturus erat exercitum. Cumq; milites ingredi nauẽ nolentem vi compellere vellet, ab iis eſt interfectus. Ita pœnas dedit Cinna ſuæ crudelitatis.

Pace cum Mithridate) Çum recuperaſſet ferè omnia Sulla in ſuam poteſtatem redactis Cycladibus, Delo, Eubœa, Athenis, Bœotia, Cheronæa, Orchomeno; Bithynia, Cappadocia, *&c.* & Mithridates tot cladibus eſſet fractus, pacem per Archelaum petit, quam facilius impetrauit, vt poſſet redire Romam & compeſcere ſeditiones Marianas & Cinnanas. Scribunt, cum ageretur de conditionibus pacis, Mithridatem Syllæ porrexiſſe manum & ſalutaſſe; Syllam autem nõ rẽſalutaſſe. Dixit tũ Sulla, *Victi eſt reſpondere, de*

pace victoris tacere. Tum Mithridates ornatiſſimâ vſus eſt oratione de pace. Sulla reſpondit nil aliud quam intellexiſſe ſe dudum, quod eſſet eloquens Mithridates, nunc autem id ſe ipſa re comperire, dum flagitia ſumma verbis ornatiſſimis excuſet. Sylla puniendos exiſtimauit Græcos, quod partibus Mithridatis fauiſſent. Primû igitur Athenienſes, vt impedirent Sullam, miſerunt legatos de pace. Hi gloriabantur de præclaro ortu Atheniẽſium, & multas alias laudes referebant. Ibi Sylla dixit: *Abite, non veni diſcendi gratia, ſed puniendi hoſtes cauſa.* Expugnauit igitur Athenas & plurimos interfecit. Libros Ariſt. conquiri iuſſit, quos Romam tum tranſtulit. Cum deeſſent aliquando numi, miſit Delphos, qui ſpoliarent templum & auferrent dona deorum. Legati cũ auro reuerſi, dixerunt audiſſe ſe citharam in templo Apollinis. Itaque haud dubiè indignè ferre Apollinem hanc rapinam. Hiſce reſpondit Sulla: *Id argumentum eſſe lætitiæ Apollinis.* Thebas profectus, ded it Phocenſib. bonam partem finium.

L. verò Cinna] Sulla in Italiam cum 30000. redit, & Brunduſium appulit; vbi erant duo conſulares exercitus, L. Scipionis & C. Norbani, ad 200000. armatorum. Sylla ad Canuſium cum Norbano ſigna confert. Deſiderat ex Norbani exercitu VI. M. ipſe Capuam profugit, poſtea in Rhodum fugit & cum ad ſupplicium depoſceretur à Sulla, in foro Rhodio ſibi mortem conſciuit. L. Scipio alter Conſul ſigna ad Sullam, deſerto Norbano tranſtulit. Poſtea tamen Scipio Maſſiliæ in exilio vixit, & à Sulla inter proſcriptos eſt relatus. Poſtea anno 671. Marius filius aui victus eſt: ac ſcripſit Sylla, ſe tantum 20. milites amiſiſſe, ac hoſtium interfeciſſe 20000. Marius in oppidum Preneſte fugit, quod Sulla circumuallauit; cumq; effugere non poſſet, mortem ſibi conſciuit. Cn. Papyrius Carbo fugit in Siciliam, ibi à Cn. Pompeio captus, cum

cum muliebriter etiã fleret, interfectus eſt. Propter haſce verò victorias elatus Sulla, Felicem ſeſe deinceps cognominari voluit.

Proſcriptionis tabulam] anno V. C. 672.

Cum iam omnes aduerſarios viciſſet. Senatus comitiorum cauſa creauit L. Valerium Flaccum, qui legem ad populum tulit, vt Sylla perpetuus diceretur Dictator. In hac dictatura Remp. conſtituit.

Tribunitiam poteſtatem] Permiſit vt tribuni crearentur, ſed duos neruos incidit. Non conceſſit vt prouocatio ad eos fieret, nec vt nouas leges ferrẽt, ſed reliquit eis ius conuocandi Senatus, itemque vt intercederent, ſi quis videretur iniuſtè opprimi. Põpeius reſtituit tribuniciam poteſtatem. Poſtea Cæſar & Auguſtus antiquatas Syllæ leges reuocarunt. Hæc de hoc bello. Sylla gratulatus eſt ſibi, ꝙ non euertiſſet Athenas, & quod Metellũ haberet amicum. Reprehendendus eſt meritò, quod etiam ſceleroſis vſus eſt militibus, qui Albinum occiderant. Cum, terræ hiatu exorto, erumperet ignis, & in cœlum adſcenderet, dixerunt vates, *Virum egregiè bonũ Remp. ſedaturum*. Ibi Sylla ſe eum eſſe affirmauit. Erat enim cæſaries rubra Syllæ.

Peccauit etiã Sulla, quod Remp. curauit excedendo modum in Medicina. Nam non tantum ſublati ſunt nocentes, ſed viri quoque boni, vt Aurelius quidam qui prodibat in forum lecturus tabulam proſcriptionis. Ibi reperit nomen ſuum expreſſum, cum tamen eſſet innocentiſſimus. At ſtatim fuit eo loco à ſicariis trucidatus. Cadens exclamauit: *ô via Aurelia, cur occidis dominum tuum?* Vide Plutarch. Ita plurimi occidebantur tantũ propter opes: ſicut noſtro tempore factum eſt in inferiori Germania. Proſcriptione hac pręmiũ percuſſoribus conſtituit duo talenta. proſcripſit Senatores 80. equites 1600. Tanto etiam odio flagrauit in Marium, vt etiam ſublatos cuperet o-

mnes Marii ſimiles. Itaque voluit interficere puerum C. Iul. Cæſaris. Ac ſæpe cauendum, dicebat, à puero malè præcincto. Fuit in Sylla magnum animi robur. Nã depoſitâ dictaturâ ſine præſidio paratũ ſe dixit reddere Senatui rerũ à ſe geſtarũ rationem. Proximo verò à dictatura abdicata an°, natus annos 60. periit morbo pediculari. Cum mentio fit tribunitiæ poteſtatis refrenatæ, ſimilia conſideremus exempla. Vno & eodem die Norimberga & Auguſta Rhætica petiuerunt contraria à Sigiſmundo Imperatore. Norimberga petiit ne liceret tribunis opificum impedire Senatus decreta. Idque impetrauit, & iure quidem. Nàm nobiles familiæ vrbem vaſtatam reſtaurarunt. Itaque ſtabilita ibi eſt ariſtocratia. Auguſta contrà petiit, vt ne quid Senatus conſtitueret, niſi tribunis opificum approbantibus, hoc eſt, exoptauit democratiam. Carolus poſtea tribunitiam poteſtatem Auguſtæ rurſus ſuſtulit.

Reliquias) Sylla violauit ſepulcrum Marii.

P. 49, ℣. 3, *L. Sylla quatuor*) De his vide Iureconſultos.

Ex proſcriptorum.) Sertorius deſperatis Marianorum reb. in Hiſpaniam, quam prætor ſortitus erat, profectus eſt. Sulla mittit C. Annium in Hiſpaniam contra Sertorium anno 674. qui Sertorium recedere coegit in Mauritaniam. Poſtea miſit Sulla Q. Metellum Pium, anno 675. ſed nil p̃clari geſſit, ac inſuper ipſius legatus L. Domitius occiſus fuit. Deinde Manilius proconſul è Gallia in Hiſpaniam tranſgreſſus infeliciter pugnauit, caſtriſque exutus vix fugâ elapſus eſt. Quocirca Senatus Metello, cum impar aduerſus Sertorium videretur, Cn. Pompeium adiunxit anno vrbis c. 676. Hi copiis ancipiti ſemper acie dimicauére. Nec prius bello Sertorius, quam ſuorum ſcelere & inſidiis exſtructus eſt. Nam M. Perperna (qui exercitum cum Sertorii copiis coniunxerat, ac Metellus

tellus cum Perperna congreſſus fugatus eſt, Pompeium autem vicit Sertorius: iterumque Perperna fugatus & Pompeius victus à Sertorio: tertiâ autē vice victus eſt Sertorius) Sertorio inſidias ſtruxit, & vnà cum inſidiatoribus reliquis Sertorium epulantem confodit. Poſtea Perperna prælio victus ad Pompeium, vt percuſſor Sertorii retrahitur ad ſupplicium. Perperna literas oſtendere volebat Pompeio nobilium, qui Sertorium ad inuadendam Italiam inuitauerant. Sed Pompeius conquiſitas omnes epiſtolas & nondum etiam lectas, ſtatim comburi iuſſit: & Perpernam occidit.

In hoc tempore) Id factum anno v.c. 679. Cum Mithridate cōgreſſus eſt Lucull⁹ an° 680. ad Æſapū flumen, & ad Granicum iuxta Lampſacum ipſius exercitus fuſus. Dicunt in vtroque conflictum periiſſe 300000. hominum. Plutarch. in Lucullo. Rex fugiens maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum ſupellectilem ſparſit. Hæc dum Romani colligunt, rex qui aliàs in poteſtatem veniſſet, è manib. effugit.

P. 50, ỷ. vlt. *Lucullus verò perſequens*) conflixit cum iis prid. non Octobr. atque regem Tigranē, qui Mithridatem ſocerum adiuuerat, fudit.

P. 51, ỷ. 7, *reuocato*) cùm annis ſeptem id bellum geſſiſſet.

Luculentam) pro lege Manilia.

Seque eo venire) Mirum eſt Lucullum immemorem iniuriæ à Cic. illatæ propter ſubſtitutum Cn. Pompeium in bello Mithridatico, ita amicitiam etiam poſtea cum Cic. coluiſſe.

Pompeius Mithridatem) Pompeius profectus eſt anno, ni fallor, 687.

Mithridates tandem) anno 690. Mithridates nōdum fuit omnino victus à Pompeio, ſed Pharnacem filium in patrem armauit, & propter operam præſtitam dono dedit regnum Boſphori.

Digitized by Google

P. 52, ℣ 2, *Quod cum piratis geſſit*] Piratæ, dum populus Romanus domi ſeditionibus & Cimbrico bello laborat, maria latrociniis infeſtabant. M. ergò Antonius prætor à Byzantinis adiutus, eos profligat. Inde anno v.c. 674. à P. Seruilio proconſule per quinquennium in Cilicia variè afflicti ſunt, qui appellatus eſt *Iſauricus*, quod Iſaurum oppidum ſeu arcem Ciliciæ euertiſſet. Deinde à L. Metello prætore mari & terrâ profligati ſunt anno 684. Tandem bellũ id demandatur Cn. Pompeio anº v.c. 686. qui eos per 15. legatos aggreſſus prorſus deleuit.

Bellum Catilinarium. *Eo ſedato bello*] Anno ab v.c. 687, qui fuit ante natum Chriſtum 63. coſſ. fuerunt Romæ M' Æmilius Lepidus, & L. Volcatius Tullus: Cicer. autem tunc prætor Romæ fuit. His coſſ. cum comitia conſularia haberentur, deſignati fuerunt in annum proximè inſequentem 688. coſſ. P. Cornelius Sulla, & P. Autronius Pætus. Sed hos iam deſignatos coſſ. accuſarunt de ambitu lege Calpurnia, L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus, eosque damnarunt. Cumque hi pœnas dediſſent, in eorum locum ſuffecti ſunt coſſ. L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus, qui antedictos accuſarunt. Eodem anno L. Serg. Catilina de prouincia Africa deceſſerat, Romæ petiturus & ipſe conſulatum. Sed cum repetundarum reus factus eſſet, à petitione conſulatus tum fuit excluſus. *I. Coniuratio.* Itaque Autronius & Sulla & Catilina hanc repulſam conſulatus indigniſſimè ferentes, coniurant contra Rempubl. Erat eo tempore adoleſcens nobilis ſummæque audaciæ, egens ac factioſus Cn. Piſo. Cum hoc ergo Piſone Autronius, Sulla, & Catilina circiter nonas Decembr. communicant hoc ſuum conſilium, vt calend. Ianuar. quibus coſſ. deſignati Cotta & Torquatus inituri magiſtratum erant, in Capitolio Torquatum

&

& Cottam coſſ. interficiant, ipſi conſulatum ad ſe transferant, ac faſcibus ereptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittant. Placuit tunc ea conditio Piſoni: Et iam cogitata perficere hi parabant. Sed cum hæc horum in coſſ. coniuratio eſſet patefacta, conſilium cædis conſulum non depoſuerunt, ſed in aliud tempus, videlicet proximas Non. Febr. anni 688. transtulerunt, quo tempore iam non coſſ. tantum, ſed pleroſque etiam Senatores interficere machinabantur. Ceterum etiam Non. Februariis conceptã animo cædem non perfecerunt, idque culpâ & nimiâ feſtinatione Catilinæ, vt qui pro curiã ſociis coniuratis ſignum cædis patrandæ dederit prius, quam frequentes armati conueniſſent. Cn. tamen Piſonem, ſenatus poſtea, eo quod hominem audacem & factioſum procul ab vrbe eſſe vellet, in citeriorem Hiſpaniã miſit. Sed is in prouinciam proficiſcens, ab equitibus Hiſpanis, quos in ſuo exercitu ducebat, eſt interfectus, meritaſque coniurationis pœnas luit. Anno ergò v.c. 688. Catilina repetundarum reus factus anno ſuperiore, hoc anno a P. Clodio accuſatur. Sed Clodius pecuniâ corruptus turpiſſimè præuaricatus eſt. Itaque Catilina eſt abſolutus. Anno deinde 689. coſſ. fuerunt L. Iulius Cæſar, & C. Martius Figulus. His coſſ. accuſatus eſt inter ſicarios (i. de cæde) à L. Lucullo, quod tempore dominationis Syllanæ complures interfeciſſet. Eodem anno cum comitia conſularia haberentur, conſulatum petiuit M. Tull. Cic. ac competitores conſulatus habuit ſex, duos patricios, in quibus erat Catilina, & quatuor plebeios. Vide 1. epiſt. ad Attic. Senatus ergò videns in dies magis magiſque ambitum augeri, præcipuè ab Autronio & Catilina, cenſuit vt lex Calpurnia de ambitu, aucta etiã pœna, ferretur. Catilina interim iterum in patriam circa Kal. Iun. coniurat, complurib. aliis (quos 15. numerat Sal-

II. (margin, beside "coſſ. coniuratio eſſet patefacta")

III. (margin, beside "Catilina interim iterum")

luſtius, 11. Senatores, & 4. equites) ac conuocatiſ iis quos maximè ſibi fidos & maximè audaces exiſtimabat, conſilium ſuum aperuit. In his fuit Q. Curius, homo vanus & audax, qui probri cauſa è Senatu erat amotus. Ex hoc coniurationem hāc Catilinę Fuluia fœmina nobilis, cū qua vetus cōſuetudo erat huic Curio, cognoſcit, remque omnem compluribus narrat. Atque ita conſilium Catilinæ per Fuluiam in vulgus eſt prolatum. Quæ res Ciceroni ad conſulatum conſequendum profuit. Itaque comitiis habitis, Cic. conſul in annum 690. omnium conſenſu factus eſt, eique collega adiunctus C. Antonius. Catilina verò repulſam tulit. Catilina ergo adeo non deſtitit ab incepto, vt etiā indies plura agitare cœperit. Anno ſequenti 690. Coſſ. deſignati Calend. Ianuar. ex more conſulatū inierunt. Catilina interim locis opportunis arma per Italiam clam parabat, pecuniam Feſulas ad C. Manliū Centurionē portabat, & q̄ poterat plurimos cuiuscunq; generis homines ſibi adiungebat, Cic. vitæ inſidias ſtruebat, eumq; ipſis comitiis hoc anno 690. futuris interficere, atque ita ipſe conſul in annum ſequentem 691. fieri ſtatuerat. Hæc omnia Cic. per Fuluiam reſciuit, ſeque contra inſidias muniuit. Cum ergo nihil intentatum relinqueret Catilina, vt conſul in annum 691. deſignaretur, cenſuit Senatus, idque auctore Cic. conſule, vt ad pœnam, quæ lege Calpurniā ambitus crimini erat conſtituta, decem annorum exilium adderetur. Hanc legem Catilina contra ſe latam exiſtimans, comparata hominum multitudine quadam, Ciceronem cum aliis in campo Martio die comitiorum interficere cogitauit, vt hoc modo ipſe comitiis illis cōſul deſignaretur. Cōitia cōſularia huius anni edicta erāt, vt colligitur ex Cic. primâ Catilinariâ, in XII. Cal. Nouembr. ſed pridie eius diei Cic. Catilinæ conſilia, cum alia, tū de cæde Cic. & aliorum per Fuluiam co-

am cognitâ, ad Senatū detulit: decreuitque Senatus, ne poſtero die, vt conſtitutum erat, comitia conſularia haberentur, vt de illis ipſis rebus, quas Cic. ad Senatum de Catilina retulerat, tunc agi poſſet. Cic. igitur in Senatu poſtridie de iis rebus interrogat. Ibi Catilina non ignorans multos etiā in Senatu ſuorum conſiliorum eſſe conſcios, nouarumque rerum cupidos, Ciceronem hoc ænigmate illuſit. Quid mali facio, ſi, cū duo ſint corpora, vnum tenue & infirmum, caput tamen habens: alterum validum & firmum magnumque, ſed caput nō habens, huic quod capite caret caput me ipſum impoſuero? Hac oratione Catilina Ciceronē vehementer terruit: ac tunc eo ipſo die de conſiliis Catilinæ, de cæde Cic. & Senatus, incendiis vrbis, & opprimenda Rep. quam ad rem Catilina iam per C. Manlium in Hetruria ad Feſulas exercitum comparatat, per indices, & præcipuè Fuluiam patefactis S. C. factum eſt, vt viderent Coſſ. ne quid Reſp. detrimenti caperet. Comitiorum ergò conſularium die Cic. cum iam cōiuratos in campum Martium deduci ſciret, lata & inſigni loricā munitus, quam ad ſignificationem periculi ſui & metus, ciuibus oſtēdebat, ſciſsā modicè togâ, aut ea aliquantum ex humeris demiſsâ, cum præſidio fortiſſimorum virorū ex domo ſua in campum Martium eſt deductus. Ita plæriſque bonis ad opem & præſidium Cic. concurrentibus Catilinæ inſidias euitauit. Comitiis habitis Coſſ. deſignantur in annum 691. Decius Iunius Syllanus, & L. Licinius Murena, ac Catilina tertiùm eſt repulſus. Quare Catilina quod adhuc occultè tentauerat, id nunc aperte, & bello perſequi conſtituit, Hetruriamque, Apuliam & agrum Picenum atque alia loca, miſſis eò C. Manlio, Septimio Camerte, & Caio Iulio, aliiſque, ad arma ſolicitat: ipſeque interim Romæ nil tentat. Sed & hæc cum non procederent, rurſus coniurationis principes VII. Id. Nouembr. in ædes M. Portii,

Leccæ intempeſta nocte conuenire iubet. Ibi accuſata eorum ignauia, præmiſſos iam ad exercitũ alios aliò exponit, ſeque eodem etiam properare dixit, ſi prius Cic. conſulem interfeciſſet. Hoc facinus ſuſcipiunt C.Corn.eques, & L. Vargunteius ſenator, qui ſe illa ipſa nocte paulò ante lucem ꝑ ſalutationis ſpeciem Ciceronem in ſuo lectulo de improuiſo interfecturos promiſerunt. Ea nocte conſtitutum eſt tempus, quo Catilina vrbe ad exercitum exiret, quo item die ii, qui in vrbe manſuri erant, Lentulus, Cethegus & alii vrbem incendiis & cædibus vaſtarent. Conuentu hoc Catilinæ vix dum dimiſſo, de inſidiis his & dolo Cornelii & Varguntei per Curiũ, & deinde per Fuluiam certior factus Cicero, domum ſuam maiorib. præſidiis muniuit, venientesque Cornelium & Vargunteium non admiſit. Poſtridie, hoc eſt, VI. Id. Nouemb. Cic. Senatum conuocat in ædem Iouis Statoris, ac præſidiis in vrbe diſpoſitis, ex S. C. XII. Cal. Nouembr. facto Q. Martius Rex Feſulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam, Q. Pomp. Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum mittũtur; hiſque permittitur, vt pro tempore atq; periculo exercitum comparent. Catilina etſi hæc fieri videret, tamen præſidiis publicis & vigiliis, quæ per totam vrbem habebantur, nihil territus in Senatum & ipſe venit. Sed accedentem Catilinam Senatus ita eſt auerſatus, vt nullus Senator ei aſſidere vellet. Catilina intempeſtâ nocte, eâ quæ VI. Id. Nouembr. proximè eſt inſecuta, cum paucis, vt ait Salluſtius, cum 300. armatis vt ait Plutarch. in vita Cic. lictorib. & faſcibus, imperii inſignibus adhibitis, ex vrbe ſe eduxit, & in Mâliana caſtra profectus eſt. Senatus Catilinam & Manlium hoſtes patriæ iudicat, ideoque C. Antonio, Cic. in conſulatu collegæ mandat, vt delectu habito Catilinam primo quoque tempore cum exercitu perſequatur: Ciceroni verò, vt vrbi præ-

præſidio ſit. Catilina ergò palam bellum gerente, ſocii tamen eius, & in his princeps P. Lentulus Sura tunc prætor, ex Catilinæ mandato in vrbe manebant, & quanta poterant ope initam coniurationem fouebant, & quoſcumq; vel propter naturæ malitiã & morũ turpitudinẽ, vel propter egeſtatem, aut æris alieni magnitudinem noſſet ad turbandam Rempubl. ſibi adiungebant. Fortè iiſdem temporibus Romam venerunt Allobrogum legati, vt apud Senatum Roman. de auaritia magiſtratuũ Rom. in ſua prouincia quererētur, & ſuam ciuitatem ære alieno, quo & publicè & priuatim erat oppreſſa, quãtum poſſent, liberarent. Hi quoque legati viſi ſunt P. Lentulo ad inſtitutum de internecione ciuium Rom. inceſione vrbis & totius Reipubl. interitu ſceleratum conſilium idonei. Itaque eos per P. Vmbrenum callidè ad coniurationis ſocietatem ſolicitat: oſtendit fore, vt facile & ſe & ſuam totam ciuitatem ære alieno, & Rom. auaritia liberent. Mox rem omnem de coniuratione exponit. Legati cõditionem accipiunt, ſuamque operam promittunt. Sed tamen rem illam tam arduam diligentius expendentes eam cum Q. Fabio Sanga (quo patrono ciuitas Allobrogum tum vtebatur) communicant. Sanga ad Cic. quæ ex Allobrogib. audiuerat, defert. Is legatos per Sangam hortatur, vt apud Vmbrenum cupidos inſtitutam promouendi coniurationem oſtendant, interimque operam dant, vt omnia coniuratorum conſilia explorent. Hæc ita fiunt, & inſuper à Lentulo, Cethego, Statilio iuſiurandum & literas, quibus illi Allobrogum ciuitatem ad arma contra Rom. excitant, legati accipiunt. Cicero cum ex legatis tempus, quo ex vrbe in Galliam vnà cum T. Vulturtio, quem ipſis adiunxerat Lentulus, vt eos antequam ad ſuos redirent, ad Catilinam ipſum adducerent, exituri eſſent, L. Valerio Flacco & C.

Pomtino prætorib. dat negocium, omni re prius expoſitâ, vt legatos Vulturtiumq; cũ literis, quas ad Catilinam & Allobrogũ ciuitatẽ habebãt, occultè inſidiis in ponte Miluio cõparatis, ſine tumultu intercipiatur, ſimulque ad hanc rem præſidio aliquot adoleſcentes ipſis adiungit. Prætores, vt iuſſi erant, quarto Non. Decembr. cum iam aduesperaſceret, ſine cuiusquam ſuſpicione ex vrbe proficiſcuntur, ac ad pontem Miluium poſtridie, videlicet Non. Decemb. legatos omnemq; ipſorum comitatum ac literas tertia ferè noctis vigiliâ exactâ comprehendunt, moxque ad Cicer. cum iam illuceſceret, in vrbem captos deducunt. Cic. ſtatim III. Non. Decembr. coniuratos ad ſe arceſſit, & Senatum de his rebus conuocat. Eodem & coniurati & Allobrogum legati deducuntur, literæ leguntur, & Allobroges audiuntur; atq; omnia coniurationis conſilia Senatui deteguntur. Fit igitur S.C. vt Lentulus, Cethegus, Gabinius & Cepatius in cuſtodiam tradantur liberam, ac Ciceronis nomine ſupplicatio per omnia deorum templa celebraretur. Die 4. Decembr. legatis Allobrogum & Tito Vulturtio, quod totam coniurationem detexiſſent, præmia decernuntur ampliſſima. Interea Lentuli & Cethegi ſerui, liberti & clientes (teſte Appiano) magnam in vnam cogunt opificum ſeruorumq; manum, quæ prætorum, apud quos coniurati in cuſtodia detinebantur, domos, diuerſis itineribus inuadant, & captiuos liberent. Cic. hac re cognitâ, opportunis in vrbe locis ad tutandam vrbem contra vim ſubitam præſidia & vigilias diſpoſuit. Poſtera die I. Nonas Decembres, cum intelligeret paratos eſſe nunc, qui Lentulum, Cethegum aliosque vi ex cuſtodiis eriperent, refert ad Senatum quid de iis Senatui fieri placeret. Tum Decius Iunius Syllanus ſententiam princeps (vtpote conſul deſignatus) rogatur. Is cenſet, vt in carcerem abducti

ducti, extremo ibi ſupplicio afficiantur. Hanc ſeueram Syllani ſententiam Senatores ſequentes approbarunt, (authore Appiano) donec ordo ſententiæ dicendæ ad Tiberium Neronem perueniſſet. Huic placuit, vt in cuſtodiis diligenter aſſeruarentur, donec Catilina eſſet debellatus, & iam res tota plenius cognoſceretur. Poſt Neronem cenſet C. Cæſar, vt Lentuli, Cethegi aliorumque bona publicentur, ipſi verò in municipiis Italiæ, quæ Conſuli Cic. viderentur, in vinculis detineantur, donec Catilina deuicto res cognoſcatur. Hæc ſententia tantum habuit ponderis, vt eam ipſe quoque Syllanus probaret, & ſententiam priorem mutaret. Et ipſe Cic. quaſi dubius ſuam dixit ſententiam: Viſus tamen eſt approbare ſententiam Syllani. Poſt Ciceronem omnes ſunt amplexi ſententiam Cæſaris, donec ad Q. Lutatium Catulum & Marcum Catonem ſententiæ dictio peruenit. Hi Cæſarem ſuſpectum de coniuratione reddiderunt, & Syllani ſententiam ſunt amplexi; inprimis verò Cato grauiter ſententiam Syllani defendit, vt narrat Paterculus. Poſt longam deliberationem fit in Catonis ſententiam Senatus C. quo facto, Cic. quam primum coniuratos ex ædibus prætorum in carcerẽ deduci iubet, ibiq; eosdẽ ſtrangulari. Catilina cũ pars coniurationis eſſet oppreſſa, tamen ab incœpto non deſtitit, ſed infeſtis ab Etruria ſignis patriam petens, obuiâ Antonii exercitu opprimitur, fortiſſimè cum ſuis pugnans, anno 691. Cic. reprehenditur, quòd multis iniuriam feciſſe exiſtimetur, & multis etiã nocentib. peperciſſe; inter quos fuit Cæſar.

P. 52, ỽ. vlt. *Cic. Conſule*] Anno 691. 23. Decembr. natus eſt Auguſt. Cæſar, qui diutiſſimè omniũ regnauit. Ita Frid. III. poſtea diutiſſimè ꝑfuit imperio.

P. 53, ỽ. 2, *Iudaa Romanis*] Anno 692. cum iam victus eſſet Mithridates, Pompeius totam Aſiam ferè peruagatus eſt, & regiones propè omnes, quę ſe defendebant, ſubegit. Cum veniret Ieroſolymam,

defendere ſe tentauere Iudæi. Aggreſſus eſt igitur vrbem, & cepit die Sabbato, in ipſo Paſchate. Cumque diſceptarent inter ſe Hircanus & Ariſtobulus de regno, Pompeius arbiter regnare iuſſit Hircanum. Id cum renueret Ariſtobulus, vinctum eum miſit Romam. Ingreſſus eſt in templum, & in ſancta Sanctorum, licèt multum diſſuaderet ſummus ſacerdos, Conſtituit autem ſummum ſacerdotem Hircanũ. Ab eo tempore infelix eſſe cœpit Pompeius, ac poſtea periit prope in ipſo conſpectu Ieroſolymæ. Ita Cic. factus eſt infelix, poſtquam Deum Iudæorum perſtrinxit, ac licèt colerent ſuum numen Iudæi, tamen eos infelices diceret. Sic Carolus V. antequam Deo bellum inferret, magnos habuit ſucceſſus, poſtea verò omnino eſt factus infelix, nec quidquam amplius laude dignum præſtitit.

Quinto poſt an°] occaſio belli deſcribitur à Sleidano. Initium belli Gallici eſt an° v.c. 695. Decreuerat Senatus, vt Heduos & alios populi Rom. ſocios defenderet Cæſar. Geſſit aũt hoc bellũ annis nouẽ. Primo an° Tigurinos cædit ad flumen Ararim, ac tandem iuſto prælio vicit Heluetios. Itẽ Ariouiſtum non longè à Rheno profligat. Anno 697. Belgæ in deditionem Cæſaris veniunt, & Neruios ad internecionẽ ferè redigit. Anno 697. Valeſii in Alpib. vincuntur: Cæſar Nannetenſes & cæteras ciuitates Armoricas prælio nauali vincit. P. Craſſus in Aquitania feliciter hoſtium caſtra expugnat. Anno 698. Germanicæ gentes, quæ à Sueuis pulſæ in Galliam tranſierant, à Cæſare ad oſtium Moſæ profligantur. Cæſar Rhenum ponte iunctum in Vbiis tranſit. Anno 699. Cæſar pacata Treuirorum ciuitate in Britanniam cum exercitu tranſit, & tributo annuo inſulæ impoſito, redit. Legio hoc anno Romana ab Ambiorige Eburonum ſeu Leodienſium rege ad internecionem cæditur. Q. Cic. legati caſtra oppugnantur:

ſed

ſed aduentu Cæſaris Gallia iterum pacatur. Anno 700. Cæſar Senones, qui defecerant, & Treuiros recipit, & ſecundò Rhenum, ponte facto, in Germaniam tranſit: Ambiorigis regionem vaſtat. Anº 701. Vercingetorix Galliæ deficientis rex delectus eſt; Cæſar Auaricum expugnat, & tandem ad Alexiam Gallorum copiis profligatis, Vercingetorigem deditione capit. Anno 702. Bituriges & Bellouacos ad deditionem cogit, Vxellodunum capit, & totam Galliam pacat. Anno 703. Cæſar in Italiam excurrens ſe & honorem ſuum municipiis ac coloniis commendat. T. Labienum Galliæ Togatæ præficit.

P. 69, *Cum in Galliam*) Anno 690. ſub finem conſulatus IV. Id. Decembr. noui tribuni plebis res eas quas Cic. geſſerat, vexare cœperunt. Itaque *P.* Sextium Capuâ accerſiuit cum exercitu, cuius aduentu tribunorum conatus ſunt retardati. Cic. pro Sextio. Q. Metellus Nepos nouus tribunus prid. Cal. Ianuarii Ciceronem abeuntem magiſtratu concionis habendæ poteſtate priuauit, ac tantum permiſit, vt iuraret. Iurauit igitur Cic. ſe patriam conſeruaſſe, lib. 1. ad Att. 13. quod magna voce populus ipſum verè iuraſſe iurauit. Lib. 5. fam. ep. 2. Anno 691. Metellus tribunus pl. oratione habita, dicebat non licuiſſe Ciceroni Lentulum Cethegũ & alios indicta cauſa necare. Cic. autem fortiter reſtitit, & ſe excuſauit. Anno eodem P. Clodius Pompeiæ vxoris Cæſaris amore captus veſte muliebri indutus ad ſacra Bonæ Deæ venit, vt ibi ſtupraret Pompeiam. Id facinus patefactum eſt anno 692. ad quod euulgandum operam ſuam contulit Cicer.. anno 693. Clodius tribunatus cupidus tribunos ſubmiſit, qui legem ferrent, vt patriciis quoque eius magiſtratus capiundi poteſtas eſſet: quod vbi non perſuaſit, patriciatum eiurauit, & ad plebem tranſiit: petit igitur tribunatum; ſed creatus non eſt. Creari autem voluit, vt Cice-

ronem vrbe expelleret. Anno autem 694. tribunus eſt factus, ac promittere coactus Pompeio, ſe in tribunatu nil contra Cic. eſſe facturum. Ille tamen in fide non manſit, ſed tribunus factus continuo ſe in Cic. conuertit. ac anno 695. Cic. in exilium eiecit. Cic. veſtem mutauit, & ſordidatus populo ſupplicauit: ſed Clodius ſupplicationem hanc, quantum potuit impediuit. Cum Cicerone tamen omnis ferè ordo equeſter mutauit veſtem, & nobiliſſimi adoleſcentes numero ad 20000. ſordidati, Ciceronem comitabantur. Interceſſerunt pro Cic. equites & plurimi Senatores. Sed coſſ. iuſſerunt omnes recipere ſuas veſtes. Cum non tantum à coſſ. ſed etiam à Cn. Pomp. proditus eſſet, maluit vrbe cedere, q̃ auctor eſſe tumultus. Ceſſit igitur vrbe menſe Martio extremo. Clodius poſt diſceſſum Cic. de exilio eius ad populum tulit, & edictum ꝓpoſuit, vt illi aquâ & igni interdiceretur, & ne intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto reciperetur. Præterea villas Cic. inflãmauit, & domum in Palatio incẽdit. Cic. Dyrrhachium eſt profectus, & in Macedoniam ad Plancium, qui ipſum Theſſalonicæ per 7 menſes retinuit. Hoc anno decreuit Senatus reuocandum eſſe Ciceronem, ac licèt reſiſteret Clodius, nil agendum in Rep. niſi Cic. reuocaretur. Eam rem adiuuit Pomp. Anno 696. de reditu Ciceronis ſententia ad populum eſt relata VIII. Kal. Febr. Sed Clodiani tumultu excitato & multis occiſis impedierunt. Poſtea tamen in cãpo Martio àpprobatum fuit ab omnibus centuriis vt Romam rediret. Itaque Cic. commoratus ſatis diu in itinere, prid. non. Sept. Romam venit. Occurrit ei totus Senatus & populus Rom.

P. 54, ỿ. 12, *Interea Ptolomeus*) Anno 696. Ptolomæus rex Ægypti cum ingenti pecunia conſumta, vt rex atque ſocius populi Rom. appellaretur, eam vi ab Ægyptiis extorqueret, & hoc nomine, tum quod Cyprum à Rom. repetere nollet, apud ſuos offendiſſet, regno pulſus Romã venit, petens vt in

regnum

regnum reſtitueretur. Eum Aulus Gabinius anno v.c. 698. iuſſu Pompeii in regnum reſtituit.

M. etiam Craſſus) Craſſus anno 698. conſulatum expetiuit cum Pompeio. Pompeius reb. ſecundis ſublatus adeo inſolens eſt factus, vt cum quæreret, *An eſſet petiturus conſulatũ*, reſpõderit, *fortaſſe petã, fortaſſe non.* Cum inſtarent vt reſponderet, dixit: *A bonis petam, à malis non.* Craſſus etiam interrogatus an eſſet petiturus, reſpondit: *Si videro id futurum ex re Re p. petam; ſin minus, non petam.* Cum vterque deponeret magiſtratum, factum eſt, vt Cn. Aurelius in publicũ prodiret, & diceret, apparuiſſe ſibi per noctem Iouem; qui ſuaſerit, non prius deponendum magiſtratum, quàm ſimultates Pompeii & Craſſi ſint ablatæ. Pompeius nihil illius exhortatione fuit motus. Itaque Craſſus multò ſenior acceſſit ad Pomp. in frequentia populi, & manum ei porrexit dicens: *Non me pudet tibi, quem iuuenem in caſtra duxi, quique ob præclariſſimas res geſtas Magni nomen promeritus es, dextram porrigere. &c.* Malè audiuit Craſſus ob auaritiam. Excelluit verò hac virtute, vt inſtitui curaret omnes ſeruos, ac ipſe quoque in literis per otium eos inſtituit. Rogatus cur id faceret, reſpondit ex Ariſtotelis Politicis, *quia ſerui ſint inſtrumenta animata.* Itaq; ſe eos erudire, vt rectius poſſint exequi mandata, & liberalius ſeruire. Ad bellum Parthicum quod attinet, Craſſus videns Pompeium & Cæſarem res ſuas agere, fuit author belli Parthici, diſſuadentibus omnibus, eò quod nullam ſatis iuſtam cauſam belli Parthi præbuiſſent. Obtinuit tamen Craſſus. Et profectus eſt ad Parthos. Ante portas occurrit ei flamen dialis, dira ei imprecans, quod bellum ſuaderet abſque cauſa. Bellum motum eſt anno 698. In ea expeditione peccauit multis modis. Vrbem Ieroſolymam cum templo diripuit. Eò Parthi miſerunt legatos de pace, diſſuadentes bellum. Reſpondit Craſſus, Seleuciæ ſe ipſis reſpõſurum. Erat autem Seleucia in media ipſorum

regione. Ibi legati dixerunt, *in media manu citius ſuccreſcent ſeta, quam hoc fiat.* Cum veniret in Syriam, offendit regem Deiotarum ſenem condentem vrbem. Ad quem Craſſus, *Tune hora duodecima dies* (i. in extremo ſenio) *vrbem ædificas*? Reſpondit Deiotarus: *Et tu Imperator haud matutinus bellũ Parthis infers*? Erat. n. Craſſus annos natus 60. Cũ acceſſiſſet ad fines hoſtium, ſacrificauit, & cum inſpicere vellet exta, deciderunt è manibus; quod mali ominari quid dixerunt aruſpices. Craſſus reſpondit, Id eſſe argumentum ſenectutis, quod tremulæ ſint manus. In prælio initio amiſit P. Craſſum filium præſtantem adoleſcentem. Caput ipſius Parthi circumferebant, ac per ludibrium quærebant: *Quo patre natus eſſet*? Romani valde triſtati ſunt eius morte. Itaque Craſſus eos eſt conſolatus, & dixit, *hunc luctum eſſe ſuum priuatum*; hortatusque eſt ad virtutem. In eo conflictu mẽtio fit Germanicorum equitum, qui nudi ferè pugnarint, hoc eſt, non munito armis corpore. Periit autem ipſe quoque anno 700. menſe Iunio, vt cõſtat ex Ouid. lib. 6. Faſt. Ita pœnas dedit temeritatis, & quod ſpoliauit templũ Ieroſolymitanũ.

Per hoc quoq;) a° 701. De tota cauſa hac vide argumentũ Milonianæ Orationis. Fuerunt acerrimi inimici, & eodem an° Milo conſulatum, Clodius præturam petebat, alterque alterum impedire conatus eſt. Interim fortè Miloni iter erat Lauinium. Obuiam fit ei Clodius in via ante fundum ſuum. Ibi confligunt Milo & Clodius, ac in conflictu Clodius occiditur.

Cn. Pompeio) Hic conſulatus vocatur *diuinus*, quia ſolus fuit conſul. Is autem fuit primus gradus ad ruinam Pompeii. Rectè Theopompus dixit, *Mediocres honores tempore creſcere, maximos autẽ minui*. Eius imaginem habemus in ipſa natura. Quæ herbæ ſubito creſcunt, ſubitò ferè pereunt; quæ tardè creſcunt, ſunt ferè diuturnæ, vt videmus in arboribus. &c.

P. 53.

P. 53, ỿ. 3, *Confecto bello Gallico*) In annum vrbis conditæ 701. ante natum Chriſtum 49. T. Annius Milo, P. Plautius Hypſæus, & Q. Metellus Scipio, non ſolum largitione palàm profuſâ, ſed etiam armatorum factionib. ſuccincti, conſulatū ſummis contentionib. petebant. Cum ergò comitia conſularia diu tracta eſſent, & perfici ob has horum candidatorum contentiones non poſſent, ideoq; menſe Ianuario nulli dum conſules eſſent, ac interea alii ex aliis interreges fierent, qui tamen cōſularia comitia propter horum candidatorum tumultus & armatas manus habere non poterant, tandem cū crebreſceret rumor, Cn. Pomp. Magnū creari dictatorem oportere, viſum eſt optimatibus, tutius eſſe Pompeiū ſine collega conſulem creari. Itaque facto S. C. Pompeius ab interrege S. Sulpitio v. Kal. Martias conſul creatus eſt, idque abſens & ſolus, quod nulli alii vnquam ante contigit, ſtatimque honorem nemini ante delatum libentiſſimè accepit, conſulatumque hunc tertiū iniit. Conſul ergò Pompeius præterquā quod nouas leges aliquot tulit, etiam tribunis plebis authorfuit, vt legem promulgarent, quâ ratio abſentis Cæſaris in petitione conſulatus haberetur, eaq; lex contradicente M. Catone Vticenſi eſt lata. Interim hoc ipſo Cæſar in Gallia, vbi Carnutes bellum renouârunt, rem feliciter & fortiter adminiſtrauit. Porrò in ſequētem annum v. c. 702. coſſ. creati ſunt M. Claud. Marcellus, & S. Sulpitius Rufus. Hoc igitur anno M. Marcellus conſul Cæſaris grauis & acer inimicus, ad Senatum retulit, vt Cæſari contra legem Pompeii & Craſſi (quæ lex Pomp. & Craſſo iterum coſſ. anno v. c. 698. lata erat, quâ Cæſari Gallia & Germania in alterum adhuc quinquennium prorogabatur) ante exactū quinquēnium ſuccederetur, & vt Cæſ. exercitum dimitteret, & ne eius abſentis in petitione conſulatus ratio haberetur, id quod anno proximo ſuperiore Pom-

De bello ciuili inter Pomp. & Cæſarem.

peius Cæſari conceſſerat,& vt colonis,quos Cæſar rogatione Vatiniâ Nouocomum deduxiſſet, ciuitas adimeretur. Quib. cognitis Cæſar per Sulpicium Marcelli collegam,& per aliquos tribunos pl. ſumma ope obſtitit,& dictis in Senatu ſententiis, diſceſſionem faciente Marcello, Senatus in alia omnia iuit (i. diſſuaſit & improbauit) Erat hoc tempore in Gallia adhuc Cæſar, vbi Carnutes, Bellouacos, Pictones, Treuiros, Aquitanos bello eſt hoc anno perſecutus. Anno ſequenti 703. coſſ. ſubſecuti ſunt L. Æmilius Paulus, & C. Cl. Marcellus patruelis M. Marcelli. Hoc igitur anno veritus Cæſar, ne ſe prouincia Gallia & exercitu ſpoliatum inimici ſui præſentem petere conſulatum compellerent, L. Paullum cõnſulem & C. Curionem tribunum pl. magnâ mercede ſibi defenſores abſẽs parauit. Cum autem ad Senatum de dimittendis Cæſaris exercitibus referret cõſul Marcellus, Curio tribunus pl. ita eſt aſſenſus, ſi & cæteri quoque, nimirum Pompeium notans, ab armis diſcederent & exercitum dimitterent. In eam ſententiam ne diſceſſio fieret, coſſ. & amici Pompeii impedimẽto fuerunt. Itaque S. C. fit, vt ad bellum Parthicum legio vna à Cn. Pompeio, altera à C. Cæſare mitteretur. Cæſar itaque Pompeio legionem primam, quam ab eo ex Pompeii numero ad bellum Gallicum acceperat, itemque ex ſuo ipſius numero decimamquintam legionem miſit, atque ita Cæſar duabus legionibus eſt ſpoliatus, quas cum ad bellum Parthicum nõ eſſent neceſſariæ, tradidit Marcellus pompeio. porro Cæſar hoc anno 703. qui erat nonus belli Gallici ab ipſo adminiſtrati, nullum bellum in Gallia geſſit, ſed operam dedit, ne ſub ſuum diſceſſum ex Gallia neceſſitatem aliquã belli gerendi, quo reditus ipſius Romam impediretur, ſibi ipſe imponeret. Itaque honorificè ciuitates Galliæ appellando, principes eiuſdem maximis præmiis adficiẽdo, nulla onera noua impone-
do.

do, defeſſam tot aduerſis prliis Galliã, quæ iã paréd condítione melior erat, facilè in pace cõtinuit. Cæterum ſequens annus 704. coſſ. habuit L. Cornelium Lentulum, qui *Crus* dictus fuit, & C. Claudium Marcellum, fratrem germanum M. Marcelli. His coſſ. cum pridie non. Ianuar. Cic. ex Cilicia proconſul ad vrbem acceſſiſſet, incidit in ipſam flammam ciuilis diſcordiæ. Cui cum Cic. mederi cuperet, ex vtraq; parte, qui pugnare cupiebant, impedimento fuerunt. Nam quod proximis prioribus duob. annis aduerſarii Cæſaris obtinere non potuerant, id tandem initio huius anni eſt perfectum. Etenim in ſententiam Q. Metelli Scipionis S.C. factum eſt, vt ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret; ſi non faceret, eum aduerſus Rēp. facturum videri. Sed interceſſerunt huic S. C. tribuni pl. M. Antonius, & Q. Caſſius, & Cæſar exercitum & prouinciam inuito ſenatu tenuit. Itaque de imperio Cæſaris, & de tribunis pl. huic S.C. intercedentibus, grauiſſimè acerbiſſiméq; ſenatus decreuit. Factum etiam S.C. eſt, a.d. VII. Id. Ianuar. darent operam coſſ. prætores, tribuni pl. quique pro conſulibus eſſent ad vrbem, ne quid detrimenti Reſp. caperet. profugiunt ſtatim ex vrbe tribuni pl. ſeq; ad Cæſarem, qui eo tempore erat Rauennæ, exſpectabatq; ſuis poſtulatis de petitione conſulatus reſponſa, conferunt. Mox totâ Italiâ à ſenatu delectus habetur, res ad arma deducitur, pecuniæ à municipiis exiguntur, & è fanis tolluntur. His rebus cognitis Cæſar, iam etiam M. Antonii & Q. Caſſii tribunorũ pl. verbis incitatus, exercitũ ad ſuam dignitatem aduerſus ſuos inimicos defendendam cohortatus, traiecto Rubicone, Ariminũ, quod extra prouinciam eius erat, proficiſcitur. Miſſis deinde vltro citroq; de pace legatis, vbi res cõuenire non potuit, Cæſar exercitu Piſaurum, Fanum, Anconam occupat, Tigurumq; & Auximum recipit. Quib. auditis, tantus Romæ

terror eſt coortus, vt coſſ. atque optimates plerique omnes Româ profugerint. Interim Cæſar agrum Picenum percurrit, Aſculum à Lentulo Spinthere deſertum recipit. Potitur etiam Corfinii, quod à L. Domitio Aenobarbo tenebatur: ipsũ Domitium capit, quem tamen dimiſit. Quo cognito Pompeius Luceria vrbe proficiſcitur Canuſiũ, atque inde Brunduſium, Brunduſioque munito, in Epirum Dyrrhachium, quo coſſ. ante traiecerant, cum omnibus ſuis copiis, relictâ Italiâ, traiicit. Cæſar Pompeium perſequitur; Brunduſioque tandem potitur, eique impoſitis cuſtodibus ad Romam accedit. Ibi concione aduocatâ, iniuriis inimicorum expoſitis, animum ſuum Reip. recuperandæ & conſeruandæ aperit. Pecuniæ quoque vim maximam, fruſtra reclamante L. Metello tribuno pl. ex ærario extorquet, & M. Lepido prætore vrbi præfecto, ipſe in Hiſpanias cum exercitu contrà legatos Pompeii L. Afranium & M. Petreium proficiſcitur, quos tandem cum ſeptem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit amboſque incolumes dimiſit. Hiſpaniis hoc modo receptis, ad vrbem regreditur Cæſar, ac in itinere Maſſiliæ, ſe à M. Lepido prætore quem ipſe vrbi præfecerat, dictatorem dictum cognouit.

Reuerſus Romam Cæſar dictator iam, comitia habet, quibus coſſ. creantur in annum ſequentem 705. C. Iul. Cæſar, P. Seruilius Iſauricus, Comitiis his aliiſque rebus nonnullis intra dies XI. confectis, Cæſar dictaturâ ſe abdicat, & ab vrbe profectus exitu anni 704. Brunduſium contendit, atque inde ſoluens cum legionibus ſeptem ipſis nonis Ianuar. anno 705. in Epirum peruenit. Interea collęga Cæſaris P. Seruilius, Cæſare bellum in Macedonia contra coſſ. Lentulum & Marcellum ac Pompeium gerente, conſulatum Romæ adminiſtrauit. Cæſar verò ad Pompeium cum mãdatis de pace mittit L. Vibullium Rufum, eum, qui cũ bis

in

in poteſtatem Cæſaris veniſſet, ab eo erat dimiſſus, & apud Cn. Pomp. authoritatem habebat. Mandatorũ ſumma erat hæc: Debere vtrumq; ab armis diſcedere, dum pares adhuc viderentur ambo: Romæ a Senatu populoque R. pacis conditiones peti debere. Sed fruſtra de pace actum. Expoſitis in Epirum ſuis legionibus Cæſar Oricum, Apolloniam, Bellidenſes, Amatinos, reliquaſq; finitimas ciuitates, & totam Epirum recipit. Inde Dyrrhachium petit: quô & Pompeius, Cæſaris repentino aduentu, eiuſque rebus in Ægypto feliciter geſtis, cognitis, magnis itineribus contendit. Ibi Cæſarem Pompeius ita vicit, vt Cæſar rei frumentariæ inopiâ à Dyrrhachio in Theſſaliã caſtra transferre coactus ſit. Tunc cũ Pompeius magno animo propter ſecundum prælium eſt perſecutus. Ibi tandem ambobus exercitibus mediâ æſtate extremo congreſſis prælio, Pompeium Cæſar vincit & fugere cogit. Fugiens is, detractis inſignibus imperatoris, Lariſſam primum contendit, inde ad mare cum paucis comitibus peruenit. Exercitus Pompeii Cæſari ſe dedit, proiectis ad terram armis, paſſis palmis, flens à Cæſare ſalutem petit. Cæſar incolumes omnes ſeruat. Perierunt in hoc prælio ex Pompeiano exercitu circiter millia xv. in deditionem venerũt amplius millia xxiv. Cęſar Lariſſam inde properat, & omnibus rebus relictis Pompeium perſequitur. Is ad Amphipolim vnâ nocte ad anchoram conſtitit, cognitoque Cęſaris aduentu, inde diſceſſit, & Mitylenas peruenit: ac inde in Ciliciam, vnde in Cyprum, atque illinc Peluſium in Ægyptum peruenit. Quo cum veniſſet, à Ptolomæo rege puero adhuc, miſſis legatis petit, vt pro hoſpitio & amicitia patris Alexandriam reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur. Sed Pompeius iuſſu Ptolomæi regis, authore Theodoro præceptore & Photino in nauicula, antequam in terram ingrederetur,

ab Achilla præfecto regio, & L. Septimio tribuno militum eſt interfectus. Cæſar Pompeium perſecutus, paucis diebus cum Alexandriam perueniſſet, ibi de Pompeii cæde cognoſcit: ac Theodoro caput Cæſari & annulum Pompeii offerente, doluiſſe ac illacrumaſſe dicitur. Victo Pompeio, quidam bellum renouare ſunt conati, hiq; ſe in Africam contulerunt ad Iubam regem: alii, inter quos Cic. victori Cæſari ſe crediderunt. M. verò Cl. Marcellus metuens Cæſarē, conceſſit Mitylenas, ibiq; in ſtudio bonarū artium vixit. Porrò populus Rom. auditâ Cn. Pompeii cæde, dictaturam Cæſari abſenti in annum ſequentem 706. eumque integrum, & alios maximos honores mandauit. Hanc dictaturā Cæſar ſtatim, quãuis extra Italiā eſſet, iniit, adiuncto ſibi magiſtro equitum M. Antonio. Anno ergo 706. Cæſar iterum dictator bellum geſſit in Ægypto ad Alexandriam, contra Ptolomæum regem puerum, cum quo quum prælio decertaſſet, rex ipſe cum magna Ægyptiorum parte eſt interfectus. Ac conſumſit in hoc bello gerendo menſes 9. Qua victoriâ partâ, in Pharnacem Boſphori Cimmerii regem ſe contulit hoc eodem anno 706. cum quo Cæſar ad Zelam congreſſus, vno eum prælio fugauit. Is profugiens in Boſphorum, ab Aſandro eſt interfectus. Itaq; victo & interfecto Pompeio, Ægypto ſubactâ, & Pharnace in Ponto ſuperato, Cæſar ſecundùm dictator in Italiam celerius omnium opinione traiecit, & Romam rediit extremo anno 706. Cum igitur verè dictator eſſet, tamen ad ſpeciem, exitu huius anni 706. coſſ. creati ſunt Q. Fuſius Calenus, & P. Vatinius. Anno 707. coſſ. fuerunt C. Iul. Cæſar III. & M. Æmilius Lepidus. Licèt autem ſummus aruſpex moneret, ne ante brumam in Africam transmitteret, tamen VI. Cal. Ianuar. Lilybæi conſcendit, & hoc anno 707. bellum in Africa cum Scipione, Iuba & Catone confecit. Africano bello confecto

Bellum Alexandrinum.

Bellum Africanum.

fecto Idibus Iunii, claſſem conſcendit, & poſt diem tertiam in Sardiniam peruenit. Inde a. d. III. Kal. Quintil. naues conſcendens duodetrigeſimo die ad vrbem Romam venit. Hoc anno Cæſar faſtos correxit, annumque conſtituit, vt hodie eſt conſtitutus. Vtque magis in poſterum ex Kal. Ian. tẽporum ratio congrueret, inter Nouemb. & Decẽb. interiecit duos alios: fuitq; hic annus XV. menſium cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat. vt Suetonius narrat.

Sub finem anni 707. cum Cn. Pompeius Magni filius bellum inſtauraret in Hiſpania, Cæſar extremo hoc anno ad bellum Hiſpanienſe profectus 27. diebus in Hiſpaniam peruenit. Anno 708. Cæſar liberos Pompeii in Hiſpania vicit, è quibus Sextus profugit, Cn. autem interfectus eſt Id. April. Cæſar deinde menſe Nouembri in vrbem reuertit. In vrbem reuerſus cõſulatu ſe abdicauit, & in reliquum anni Q. Fabium & C. Trebonium ſuffecit. Anno 709. Idibus Martiis in curia Pompeii Cæſar à coniuratis occiditur. *Bellum Hiſpanicum.*

ſe ſaluum eſſe non poſſe) Si enim priuatus rediiſſet in vrbem, inimici eum accuſaturi & oppreſſuri erant.

P. 56, ỳ. 11, *Pompeium maximo prælio*) Fugientib. & diſſipatis hoſtib. clamabat Cæſar: *parce miles ciuib.*

inſidioſè] Miſſi enim ſunt Achillas, qui præerat exercitui, & Septimius tribunus plebis, qui aliquando fuerat centurio in exercitu Pompeii. Septimius primum alloquitur Pompeium Latinè, Achillas poſtea Græcè: ac Septimius Pompeium è nauicula egreſſum & legentẽ orationẽ Græcam, quâ Ptolomæum erat allocuturus, à tergo transfodere incipit: deinde labentẽ fodiunt Achillas & alii. Hui⁹ ſpectaculi ſpectatrix fuit vxor Cornelia. Notandũ etiam, quod ferè in conſpectu Ieroſolymæ eſt occiſus, cuius templũ ante profanarat, vt diximus ſ. Digna etiã ſunt obſeruatu pdigiã, quæ Cæſaris victoriã ſignificarũt. Trallib. in tẽplo Vi-

ctoriæ ſtatua Cæſaris collocata erat, iuxta quam loco ſolido & lapidibus conſtrato palma enata eſt teſte Plutarcho. Patauii autem C. Cornelius Vates eo die, quo pugnatum eſt, tempus pugnæ notauit; & paulò poſt exclamauit: *Vincis ô Cæſar*: deinde coronam capiti detraxit, ſacramento ſe obſtringens, non ante ſe eam reſumturum, quam exitus artem comprobaſſet. Poſt pugnam maximè ſolicitus fuit Cæſar de Bruti vita. Poſt bellum commiſſum Theſſalis libertatem conceſſit, & Cnidiis in gratiã Theopompi qui fabulas obtulerat aliquot. Item Aſiaticis tertiam tributorum partem remiſit.

Bellum Alexandrinum. P. 57, v. 1, *Gerebat tunc*) occaſio belli deſcribitur à Sleidano. Cum veniſſet Alexandriam, ideo etiã metuebat rex Cæſarem, quia debebat ingentem pecuniam Cæſari, videlicet 1750. myriadas, cui tamen Cæſar 750. myriadas remiſit. Ibi tum Photinus inſidias cœpit ſtruere Cæſari, & apertè etiam contra Cæſarem dixit & fecit, frumentum vetuſtũ dabat Cæſari, inquiens, *vt boni conſuleret dum de alieno ederet*. Itaque ſe munire aduerſus inſidias eſt coactus. Ac clàm Cleopatram ad ſe acciuit. Hæc in lebum ingreſſa, noctu ad regiam appulit tecta, atque etiam ita apportari ſe paſſa eſt ad Cæſarem ne agnoſceretur. Cæſar eius ſuauitate victa cõſtituit vt vnà cũ fratre regnaret. Cũq; cænarẽt tõſor Cæſaris intellexit ſtrui inſidias Cæſari, quas indicauit. Cæſar igitur cænaculum præſidio muniuit & Photinum occidit. Achillas fugã elapſus in caſtra, bellum parat. Tunc Cæſar in ſummis fuit anguſtiis. Primum aquâ prohibebatur. Deinde exitium claſſis igne eſt coactus amoliri, quod incẽdium graſſatum poſtea Bibliothecam Alexandrinam abſumſit. Tertio, ad Pharum periclitatus eſt, cum deſiliret in lembum ac ex eo in mare ſe coniicere cogeretur. Tulit tamen ſiniſtra codicillos extra aquam, & altera natauit. Tandem victi ſunt Ægyptii, & rex deſilire volẽs in nauem, periit

in mari. Hæc omnia Plutarch. Malè audiuit Cæſar, quod vti cogeretur quorundam familiaritate, videlicet Dolabellæ, Antonii, Amincii & Cornificii, qui domum Pompeianam, tanquam non ſatis lautè ædificatam mutare cœperunt. Omne autẽ odium in Cæſarem deriuabatur. Cæſar dum eſſet in Ægypto, filium genuit ex Cleopatra, quem vocauit Cæſarionem.

P. 74, *Inde profectus*) Cæſar in Aſiam profectus cognouit Domitiũ a Pharnace Mithridatis filio victum & fugatum, ac Pharnacem in hiſce tumultibus, prouincias Rom. inuaſiſſe; contra eum ꝓficiſcitur, & prælio vincit ad vrbem Zelam. Rex fugiens in Boſporum, ab Aſandro necatus eſt, & iuſtas parricidii pœnas dedit, cum patrẽ ad mortẽ compuliſſet. Reliqua lege apud Plutarch.

In Italiam ac Romam) De bello Africano hiſtoria ſatis commodè & luculenter eſt deſcripta à Sleidano. Incidit in annũ 707. v.c. vt ante monuimus.

Lilybæo) vrbe & promontorio Siciliæ. de quo vide tab. 7. Eur.

In Aphricam) verſus meridiem. Poſtquam in Africam venit, ad Adrumetum vrbem maritimam (vide 2. tab. Afr.) vbi præſidium erat aduerſariorũ, caſtra poſuit: inde ad Leptin oppidum verſus ortum eſt profectus. Inde regreſſus, non longè ab eo loco in Labieni copias incidit, cum quo conflixit, & ipſum in fugam vertit. Poſtea Scipio cum magno exercitu Adrumetum accedit, cum eo præliũ iniit Cæſar, & fugauit. Variè poſtea hinc inde decertatum eſt, ac non longè à Thapſo Scipionem denuo vincit, ac Vticam contendit, vbi Cato ſeipſum interfecit, cum vrbem defendere non poſſet. Iuba rex & Petreius paſſim oberrantes in fugã, cum nuſquam reciperentur, ſeſe interficiunt. Fauſtus & Afranius in Hiſpaniam fugere intendentes, à P. Sitio capiuntur, & diſſenſione ortâ interficiuntur. Scipio etiam fugiens periit, cum iter habe-

An. 708. ret in Hiſpaniam. P.58,℣.2, *Cic. defendit*) 1 Offic. *ait Cic.*] lib.2. ad Attic. epiſt.1. *aduerſus Sext.*] immo aduerſus Cn. & Sext. Pōpeium filios, quos vicit ad Mundam menſe Aprili, ac Cn. in fuga in quadā ſpelunca interfectus eſt: Sextus verò fugâ elapſus eſt, quē poſtea Auguſt. vicit in Aſia, accepit Mileti.

anno quinto) Menſe Octobri. Eo tempore annum ordinauit, vt nunc eſt, opera Soſigenis mathematici, quem ex Alexandria Romam duxit.

idibus Martiis) anno v.c.709.

P.59,℣.4, *C. Caſſius*) Hic quum non obtinuiſſet præturam vrbanā, quā appetebat, & alioqui Cæſarem odiſſet, primus fuit auctor de interficiendo Cęſare, & alios quoq; ad ſocietatem huius conſilii pertraxit. In Cæſare illuſtre habemus exemplum inſtabilitatis fortunæ. In percuſſoribus eſt exemplum ſummæ ingratitudinis & perfidię. *Ciceronem quoq;*) Nam Octauius omnes percuſſores vindicauit, & conſcios coniurationis.

Cicero etiam) Philipp.2.

in quadam ad Atticum] lib.10. epiſt.7.

epiſtolis] Ad Atticum libr.8. epiſt.9. Sed hoc *τέρας* horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt: item lib.7. ep.19. lib 10. epiſt.4. ad Atticum.

P.60,℣.10. *orationib.*] pro rege Deiotaro, pro Q. Ligario & M. Marcello. *ille deprecatur*] in oratione pro M. Marcello.

Omnes] pro M. Marcel. *exultabat*] Philippica 2.

Videretur] lib.9. ep. ad famil. ep.28. cædem Cæſaris *diuinum in Remp. beneficium*.

P.61,℣.1, orbis terrarum] De victoriis pop. Roman ſic ſcribit Cic. lib.3. in Verrem: *Lugent omnes prouinciæ; queruntur omnes liberi populi; regna deniq; iam de noſtris cupiditatibus ac iniuriis expoſtulant; locus intra Oceanum nullus eſt, neq; tam longinquus, neq; tam reconditus, quo non per hæc tempora noſtrorū hominum libido, iniquitasq; peruaſerit.*

NOTÆ

NOTÆ IN LIB. II. SLEIDANI De quatuor Monarchiis.

Bellum cum Antonio Mutinenſe.

POſt necem Cæſaris Calphurnia Cæſaris vxor vel mariti cæde perturbata, vel Antonii conſulis perculſa minis pecuniam & acta Cæſaris in eius domum transferri permiſit; quæ Antonius corrupit vſus fraude Taberii, qui Cæſari à manibus fuerat. In teſtamento autẽ Cæſaris Octauius ſcriptus eſt hæres, & Antonius ſecundus hæres doluit ſibi prælatum Octauium. Itaq; eum conuitiis proſcidit, & adoptionẽ Iuliæ gentis inhibere voluit. Pecuniam quoq;, vt dixi, intercepit, & Seſtertium quoque ſepties millies depoſitum à Cæſare ad Opis ædem occupauit. Sperauit ſe poſſe regnũ obtinere, & Cleopatrã habere reginã. Octauius igitur pecuniam illã repetiit, & inſuper rogauit vt ſibi aduerſus auunculi percuſſores adeſſet. Sed ſuperbè repulſus eſt. Quoniam autem Cæſar teſtamento legauerat populo viritim trecẽtos ſeſtertios & hortos circa Tiberim publicauerat, vt legatũ Octauius populo Rom. repræſentaret; ſuũ patrimoniũ & quidquid teſtamẽto à Cæſare obuenerat, venale ꝓſcripſit, & legatũ populo ꝑſoluit: quâ beneficẽtiâ plebem ita ſibi deuinxit, vt Antoniũ inuidioſiſſimũ omnib. redderet. Octaui⁹ vt ſibi vires pararet, veteranos & Mattiã ac Quartã legiones ad ſe attraxit. Quo nũcio audito Antonius, in Galliã citeriorẽ quã à populo obtinuerat, ꝓperauit mẽſe Nouẽbri. Decimus Brutus, q; ꝓuinciã illã à Cæſare primũ, poſt à Senatu cõfirmatã obtinebat, Antonio obſtitit; & Mutinæ ſe ab Antonio obſideri ꝑmiſit. Kal. Ian. Hirtio & Panſa coſſ. an° v.c. 710. S.C. factũ eſt, vt Octauius, qui priuato cõſilio ꝓ Rep. arma cõtra Antoniũ ſumpſerat, bellũ gereret. Antonio hoſte à Senatu iudicato, Hirtius & Panſa cum

Octauio ad bellum profecti ſunt. Panſa autem ad Bononiam ab Antonio clam adueniente grauiter vulneratus: ex quo vulnere mortuus eſt Bononiæ. Audita re, Hirtius obuiam proceſſit Antonio redeunti in caſtra, ac ipſius copias fudit. Paucis dieb. poſt, ad Mutinam ſummo prælio pugnatum eſt, in quo victus eſt Antonius, qui ad M. Lepidum proconſulem in vlteriorem Galliam cũ paucis profugit. Hirtius poſt victoriam in inimicorum caſtris ſaucius obiit.

TRIVMVIRATVS.

Anno v. c. 710. quum Octauius viciſſet Antoniũ & Decium Brutum liberaſſet obſidione, Senatus in contumeliam Octauii Bruto, velut victori, quæ Cæſari tribuenda erant, decreuerat, vt ipſe quoque deprimeretur. Quare Octauius cum ſentiret fauere Senatum Pompeianis partib. ac nonnulli ſe puerum cõtumelioſè vocaſſent, ſibi voluit conſulere, ac cum Antonio pacem fecit, & per 400. milites conſulatum Romæ petiit. Militib. autem re infectâ ad Octauianum reuerſis, Lepidum quoque in Italiam accerſiuit, qui ſpe diuitiarũ ex turbatione Reip. ſe facilè adiunxit. Itaq; Cæſar legiones hoſtiliter ad vrbem admouit, & conſulatum ſtatim impetrauit, ac ſe, M. Antonium & Lepidum Reip. conſtituendæ cauſa triumuiros in quinquẽnium renunciauit: ac ſtatim hi tres omnes ſuos inimicos proſcripſerunt: Cæſar Octauius percuſſores Cæſaris, alii alios, inter quos fuit Cic. quem maximè oderat Antonius, partiti ſunt etiam inter ſe Rom. imperium, vt Cæſar vtramque Libyam cũ Sicilia & Sardinia, Lepidus Hiſpanias & Galliam Narbonẽſem, Antonius reliquas haberet Gallias. Poſtea Caſſium & Brutum Cæſar & Antonius perſecuti ſunt, relicto Romæ ad vrbis præſidium Lepido.

P 61. ỷ. 13, *percuſſores*) Notandũ exemplũ vindictæ diuinæ. Omnes percuſſores aut interfecti ſunt ab

aliis,

aliis aut ſibiipſis violentas attulerat manus, non diu poſt Cæſar[illegible]necem. C. Trebonius anno 709. cum P. Cornelium Dolobellam ad bellum Parthicũ proficiſcentem à Pergameno & Smyrna vellet excludere, vrbe ex inſidiis occupatâ, in cubili ſuo deprehenſus eſt, & omni cruciatu corporis primũ vexatus, trucidatus eſt. Eius caput per vias lapide ſtratas, milites ſibi inuicem pro pila mittentes, ita contriuerant, vt nulla appareret facies. Et primus parricidii in Cæſarem luit pœnas. Anno 710. initio triumuiratus omnibus qui Iulium interfecerant, aquâ & igni interdictum eſt, quâ etiam lege poſtulati ſunt, M. Brutus, C. Caſſius, D. Brutus & alii. Decimus Brutus à ſuis militibus deſertus cum peteret Aquileiam captus eſt, & à Capeno Sequano trucidatus ſeſquianno poſt Cæſarem peremptum, & paulo poſt Minucius Baſillus etiam percuſſorum vnus à ſuis ſeruis trucidatus eſt. Inde M. Antonius & Octauius anno 711. relicto Romæ Lepido, contra Brutum & Caſſium profecti ſunt in Græciam, & ad Philippos vrbem Macedoniæ conflixerunt dubio Marte, ita vt Brutus Cæſarem, Antonius Caſſium pelleret. Caſſius dum ſuos fugere, qui vicerant, opinaretur, vni ex proximis Pindaro liberto ſuo auferendum præbuit caput. Brutus quoque poſt paucos dies altero prælio victus, exorato Stratone, vt ſe gladio confoderet, vitam finiuit, annũ agens 37.

Bellum Peruſinum.

Anno 913. L. Antonius conſul, frater, Antonii triumuiri & Fuluia vxor triumuiri, bellum Octauio concitarunt. Nam veteranis in caſtris Philippicis Cæſar & Antonius agros diuiſit, pro militiæ precio. L. ergo Antonius modò apud veteranos Cæſarem criminatus, modò eos qui agros amiſerant ad arma concitans, magnum conflauit exercitum. L. Antonius hoſtis eſt iudicatus à Senatu. Cæſar in Nurſinos & Sentinates exercitum du-

n

xit. L. Antonius in vrbem hoſtiliter inuaſit. M. Lepido, qui cuſtodiæ vrbis cũ exercitu præerat, profligato. Cæſar Romam accurrens Antonium eiecit, & in Galliam contendentem inſecutus eſt, atque Peruſię eum obſedit, tandemq; fame ad deditionem coëgit, ſed veniam petenti dedit. Hoc tempore M. Antonius Cleopatræ amoribus irretitus erat. Itaq; ſperabat Fuluia cũ motu Italico à Cleopatra auelli poſſe. Poſt deuictũ L. Antonium, Fuluia cũ prolib. & Iulia Antonii matre in Aſiã nauigat. Sed Antonius re intellectâ cum 200. nauibus in Italiam contra Cæſarem nauigat. Sed pax ex militum interceſſione fuit compoſita, atq; Octauia Cæſaris ſoror Antonio collocata eſt. Ita reconciliati vrbem inuecti ſunt anno 714. Fuluia autem moritur in Aſia Sicyone.

Bellum cum Sexto Pompeio.

S. Pompeius ex S. C. in Italiam reuocatus eſt, & ex ærario patrimonium reſtitutum, & claſſis commiſſa. Sed cũ quosuis proſcriptos à triumuiris reciperet, & prædaretur in mari, ac Siciliam occuparet, pacem cum eo fecerunt, vt Siciliam & Sardiniam & Achaiam per quinquẽnium haberet. Verum Sextus denuo prædatus eſt, & commeatum Romanis intercepit. Itaq; Cæſar contra ipſum eſt profectus; & dubio Marte pugnauit anno 715 itẽque anno 717. Tandem victus Pompeius fugiens à Titio Antonii legato, tandem Mileti iugulatus eſt, anno 718. ætatis verò 40. Anno 718. poſt Pompeii fugam Cæſar Lepidum triumuirum, quem ex Aſia euocauerat, ſuperbientem 20. legionum fiduciâ, ſũmaſq; ſibi partes terrore ac minis vindicãtem, exercitu ſpoliauit, & vitâ conceſsâ, abrogato triũuiratus honore, Circeiis in ꝑpetuũ relegauit.

Lepidi exilium.

Bellum Parthicum.

Anno 713. Ventidius Baſſus Antonii legatus Labienum (a Bruto & Caſſio miſſum ad Orodem Parthorum regem, vt eum in ſocietatem armorum ſolicitaret) & Pacorum regis Orodis filium

occidit, & Suriam recepit. Hic Pacorus vſus opportunitate temporis, dum Cæſar L. Antonii & Fuluiæ bello domeſtico diſtineretur, & M. Antonius Cleopatræ amorib. cõtabeſceret, multas regiones occupauit. Anno poſtea 717. Antonius quoque in Parthos mouit, ſed infeliciter bellum geſſit, quod nulla de cauſa mouerat.

P. 62, ℣. 16, *relegatus M. Lepidus*) vt pag. præcedenti indicauimus.

In Antonium alterum) anno 722. Cæterum inimicitiæ inter Antonium & Cæſarem cœperant anno 720. eruperant verò anno 721. Antonius Cæſarem criminabatur, quod Lepidum triumuiratu exuiſſet: quod militem eius & Sexti Pompeii, quem communẽ eſſe oportebat, ſolus occupaſſet, & quod militis etiam illius, quem in Italia vtriſq; cõmuni conſcripſerat, partẽ repetebat. Cæſar aũt Antonio crimini dabat, quod Ægyptũ ſine ſorte obtinebat; & Sextum Pompeium, cui ipſe ſponte ignouerat, interemerat; & Artuaſden Armeniæ regem fraude circumuẽtum; in vincula cum magna populi Romani infamia coniecifſet, partemq; ſpoliorum repoſcebat. Vitio etiam vertebat Cleopatram pro vxore habitam in ſororis ſuæ contumeliam, & liberos ex ea ſuſceptos eſſe reges ſalutatos: item quod Cæſarionem Cleopatræ filium ex C. Cæſare nominaſſet, atque ad genus Cæſaris traduxiſſet. Ad hæc omnia acceſſit cauſa publica. Nam Antonius Cleopatrę amoribus dementatus, Cleopatræ Roman. imperium promiſit: ac bellum molitus eſt. Itaq; contra Antonium profectus eſt Cæſar, ac cum eo pugnauit nauali prælio ad Actium Epiri promõtorium, iuxta Ambracium ſinum, vbi victus eſt Antonius a. d. 4. Non. Septemb. anno 722. Fugiens Cleopatra ſecum in fugam rapit Antonium, ac in Ægyptum ſe contulit. Cæſar Antonium & Cleopatram fugientes aliis perſequendos de-

dit, ipſe in vrbem ad res vrbanas ordinandas reuerſus eſt, ac poſtero anno Alexandriam obſedit. Antonius in vltima rerum deſperatione, vbi paciſci cum Cæſare non potuit, falſo rumore occiſæ Cleopatræ perculſus ſe interemit, anno ætatis 56. vel 53. Cleopatra metuens ne triumpho ſeruaretur, necem aſpidis morſu conſciſcit, ac morte quaſi ſomno ſoluitur.

Et Ægyptum) de qua re ſupra libr. 1. dictum eſt. *Tradunt*) Strabo lib. 17.

Pag. 63, ꝟ. 5, XXIX.) imo 41. Nam cõſtat Chriſtum natum eſſe anno v.c. 750. Iulius autem Cæſar interfectus eſt anno v.c. 709. Hos detrahe de 750. relinquuntur 41. niſi intelligas 29. quibus ſolus regnauit Auguſtus poſt interfectum Antonium.

3954) imo anno 3962. vt ſupra demonſtrauimus.

C. Octauii ſororem) de hac re ſupra dictum. *ſummus autem erat*) vide Plutarch. in Antonio. *ſupra dictum*) P. 48, & 49. *in Celtis*) vt narratur lib. 1. cõment. Cæſ. non procul à Rheno Ariouiſtum profligauit. *ad Moſæ confluentem*) vt narrat lib. 4. comment.

P. 64, ꝟ. 1, *Extructo ponte*) vt lib. 4. narratur. *Biennio deinde*) ſicut cõmemorat lib. 6. *Sueuos*) qui in parte Saxoniæ vltima habitabant. vbi nunc eſt Pomerania.

Verum Octauius) Præcipua bella geſſit Auguſtus per Tiberium in Pannonia & Norico: per Druſum in Rhætia & Vindelicis. *Rhætis intulit*) Rhæti ſunt vbi iam eſt Tyrolenſis regio. Vindelici vbi Sueuia. Rhætis autem bellum intulit per Druſum. Anno v.c. 742. & aliquot ſequentibus.

Quintilio Varo) circa annum Chriſti 12.

Inter Amiſiam & Luppiam) in Weſtphalia, vel propè Dusburgũ. Ac veſtigia & monumenta indubitata in agro Lippienſis Comitatus ſuperſunt.

Cheruſcorum dux) Tenebat Weſtphaliam, Saxoniam,

niam, Marchiam, Miſniam, Bohemiam.

Horatius) lib. 1. ode 14.

Druſus) non procul à Moguntia, cum in prælio crus fregiſſet. Strabo dicit inter Salam & Rhenum præliantem læſum eſſe. *Ode doctiſſimâ*) lib. 4. ode 4.

P. 65, ỷ. 3. *Aſdrubalem*) de quo ſupra dictum p. 34, 35.

Cantabros) populum Hiſpaniæ. Anno v.c. 727. *Aquitanos*) Gallos vicinos Hiſpanis. *Pãnonios*) Bellum Pannonicum cœpit anno v.c. 724. teſte Paterculo. Poſtea rebellarunt, & a M. Agrippa & tandem à Tiberio perdomiti ſunt anno 742. Eſt autem Pannonia duplex, ſuperior quæ *Auſtria*, inferior quæ *Hungaria* dicitur.

Dalmatas) vicinos Pãnoniis inferiorib. ſeu Hungaris.

Illyricos) hoc eſt, Dalmatas. Liburnos, Iapudes (quos nunc Illyrios dicit Florus ſub Alpib. agere.

Stirii dicuntur) anno 728. ab v.c.

Salaſſios) qui ſunt incolæ Alpium.

De deponenda) Anno 726. rogatus eſt à Senatu vt curam Reip. ſuſciperet. Itaque prouincias cum Senatu partitus eſt. *Archelaus*) vide ſ. *Scribitur*) à Dione, & Tacito.

P. 66, ỷ. 5. *M. Portio Catone*) Cenſorio. Claruit circa an. v.c. 540. & ſequentib. *Alphricano maiore*) qui vicit Hannibalem in 2. bello Punico a.v.c. 535. & ſequentib. *Tullius*) in orat. pro Archia. *Cæterum Tiberius*) De Tiberio 1. Annal. Suet. c. 24. in Tiberio. Aurelius.

TIBERIVS IMPERATOR.

Ab Auguſto vſque ad Traianum, nempe annum Chriſti 100. Mortuus eſt Auguſtus anno Chriſti 16. die 19. Auguſti. Succeſſit Tiberius qui regnauit annos 23. vſque ad annum Chriſti 39. Suet. c. 73. 17. Calend. April. ætatis 78. *ſolus agebat*) Suet. c. 30.

P. 67, ỷ. 1, *Voluptatibus tradidit*) Suet. in Tib. c. 41. & ſeq. *Maſiam*) Suet. c. 41.

Daci) Hodie ſunt Traſſiluani, Walachi, Moldaui.
Sarmata) Hodie ſunt Moſcouitæ, Lituani, Ruſſi.
Lucas) c. 3. initio cap. *Alexandrino*) Suet. c. 4.

C. CALIGVLA.

Præfuit annis 4. à coniuratis interfectus. Tres ſuas ſorores ſtuprauit. Sueton. c. 24. Multos ſenatores & alios interfecit. Occiſus eſt anno Chriſti 43. *Ioannis Baptiſta*) de quo Herode ſupra diximus.

Extinxit) Act. 12.

CLAVDIVS.

Imperare cœpit anno Chriſti 43. Tenuit imperium annos 13. menſes 8. dies 20. Summa in eo fuit ſtultitia & crudelitas. Cibi fuit vinique quocunque tempore & loco appetentiſſimus. Suet. c. 33.

Domum redit) Suet. c. 17.

P. 68, ♈. 1, *Lucas*) Act. 11.

Veneno fuit ſublatus Suet. c. 44. & mortuus anno Chriſti 57, 3. Id. Octobr. anno ætatis 64.

Sub Claudio Agrippina Claudia vxor in oppidum in Vbiis gehn Cöln / Coloniam hodie dictam, vbi nata erat, veteranos coloniam deduci imperauit. Vnde id oppidum nomen accepit, vt dicatur Colonia Agrippina.

DOMITIVS NERO.

Tenuit imperium per annos 13, menſes 8. ab anno Chriſti 57, vſque ad annum 71.

Non obſcurè ſignificabat) Suet. c. 37.

Britannia) Eius facit mentionem Suet. c. 39.

Legiones) Suet. eodem cap.

Gallia defecit) Suet. c. 40.

Hiſpania) Suet. c. 42.

Quam fuerit immanis) Interfecit matrem, duas coniuges, & multos præſtantes viros. Exercuit etiam magnam ſæuitiam in Chriſtianos: Et interfecit Paulum & Petrum. Incendit vrbem Romam.

PRI-

Prima perſecutio Chriſtianorum cœpit ſub Nerone.

ſeipſum interfecit) Suet. c. 49. anno ætatis 32, Suet. c. 57, anno Chriſti 71.

Sergivs Galba.

Grandis natu imperium tenuit per menſes 7, & totidem dies anno Chriſti 71. Periit 73. ætatis anno, occiſus iuſſu M. Syluii Othonis.

Otho Sylvivs.

Malè partum imperium vix per 3. menſes tenuit. Regnauit enim tantum dies 95. teſte Suet. in Oth. c. 11. Victus eſt à Vitellio, in cuius verba iurauerant Germanici exercitus, apud Placentiam: dehinc apud Bebriacum. Itaque ſemetipſum gladio transfixit anno ætatis 38. Hæc etiam acciderunt anno Chriſti 71.

A. Vitellivs.

Per menſes 8. imperauit. Fuit ingenio fœdo, vetri & gulæ natus, & crudelis. Exercitus ab eo defecerunt & in Veſpaſiani verba iurarunt. Superatus eſt à militib. Veſpaſiani ſub muris vrbis, & è Palatio quo ſe abdiderat, vinctis à tergo manib. productus, per Scalas Gemonias eſt tractus, anno ætatis 58.

Veſpaſianvs.

Anno Chriſti 71, aut 72, regnare cœpit, & regnauit annos 10. Imperium rexit ſingulari prudentia: inimicitias obliuiſcebatur omnes. Anno 2 imperii cum Iudæi rebellaſſent, Galilæam recepit, & filium iuſſit obſidione cingere Ieroſolymã. Inchoata eſt obſidio 14. Aprilis. Die 10 Aug. templo ignis iniectus eſt, quo conflagrauit, nec vnquam poſtea eſt reſtitutum. Die 8. Sept. quantum vrbis reliquũ fuit, combuſtum fuit. Mortuus eſt anno Chriſti 81, anno ætatis 69. Moriturus alleuatus inter aſſidentium manus, *Stantem*, ait, *Imperatorem mori decere*.

Veſpaſiani verba iurarunt) Suet. in Vitell. c. 15. in Veſp. c. 6.

Hic Achaiam) Suet. c. 8.

T. VESPASIANVS.

Regnare cœpit anno Chriſti 81. Rexit annos duos. Princeps fuit laudatiſſimus. Pleroſque omnes ſuperauit clementiâ, liberalitate, & pecuniæ contemptu. Vnde amor & deliciæ humani generis vulgò appellatus eſt. Mortuus eſt anno ætatis 41.

DOMITIANVS.

Frater fuit Titi. Regnare cœpit anno Chriſti 83. Tenuit imperium annos 15. crudelis fuit, ſuſpicax, inſidiator, obſcœnus & rapax.

Dacis) qui fuerunt Tranſſyluani & Walachi.

Sub Domitiano SECVNDA fuit perſecutio in Chriſtianos, quos paſſim interfici iuſſit, fortaſſe propter Iudæorum tumultus. In hac perſecutione Iohannes Euangeliſta relegatus eſt in inſulam Pathmon. Quod ad Eccleſiam attinet, Domitiani tempore vixit Iohannes Euangeliſta, qui dicitur mortuus anno 4. Traiani, hoc eſt, Chriſti 102. ætatis 89. Simeon filius Cleopæ epiſcopus Ieroſolymæ, interfectus tempore Traiani, anno ætatis 120. Ignatius epiſcopus Antiochiæ, qui vidit Chriſtum poſt reſurrectionem. Clemens epiſcopus vrbis Romæ, cuius meminit Paulus in epiſtola ad Philipp. Titus in Creta, qui attigit ætatis annum 94. Polycarpus auditor Iohannis, paſſus eſt ſub M. Antonino Philoſopho & Vero. Plurimi impoſtores fuerunt tempore Domitiani. Ac quatuor fuerunt præcipuæ controuerſiæ. 1. Cerinthi & Ebionis, quod in Chriſto tantum ſit natura humana. Hos refutauit Iohannes. Iohannis auditor fuit Polycarpus epiſcopus Smyrnæ: Polycarpi Irenæus. Cerinthus oppreſſus eſt ruinâ balnei, in quod ingreſſus Iohannes, viſo Cerintho & auditis bla-

blaſphemiis cum comitatu ſuo egreſſus eſt, ac rui- turã mox domum prędixit, quod illico factum eſt. 2. Carpocratis, qui finxit Chriſtianos omnes fa- cultates conferre in commune debere, & proba- uit confuſionem libidinum. 3. Ebionis & alio- rum, qui contenderunt ſeruandas eſſe ceremoni- as Moſaicas. 4. de cauſa mali. Marciõ poſuit duo principia cõtraria coæterna, bonum & malum: & finxerat fatum Stoicum.

Cocceivs Nerva.

Regnare cœpit anno Chriſti 99. Tenuit impe- rium annum vnum, mẽſes 4. dies 9 princeps iuſtus fuit & beneficus, clemens, Vlpium Traianum in Hiſpania natum propter virtutem adoptauit, & ſucceſſorem nominauit.

Vlpivs Traianvs.

Hiſpanus fuit; regnare cœpit anno Chriſti 99. tenuit imperium annos 19. menſes 6. dies 15. prin- ceps fuit ſapiens & iuſtus. Doctorem habuit Plu- tarchum. Sub eo cœpit Tertia perſecutio Chri- ſtianorum; in qua Simeon Epiſcopus Ieroſolymæ eſt interfectus. & Ignatius Epiſcopus Antiochenus beſtiis obiectus, *&c.* Tria bella præcipua geſſit. 1. cõtra Decebalum, qui circiter annos 16 Romanos exercuit, & recẽns Iazygas vexauerat. Eum vicit: ac eò adegit vt ſibi mortem conſciuerit. 2. Arme- niam occupauit, & progreſſus in Aſſyriam, Par- thos repreſſit. 3. Cum Iudæi in Ægypto & Cy- rene & Cypro ſupra 40000. hominum trucidaſſẽt, & carnes interfectorum comediſſent, (à Tito Ve- ſpaſ. vſque ad hunc annum Traiani ſunt tantum anni 34.) vt ſeditiones opprimeret, bellum mo- uit contra Agarenos, qui fuerunt pars Arabum. Et in eius belli apparatu mortuus eſt hydrope, an- no ætatis 64 In hoc principe eſt exemplum in- conſtantiæ fortunæ, quia ſubiecti populi rebella- runt. *Daces*) de quibus p. precedenti dictum. *Armeniam*) vide tab. 4. Aſ.

Parthos) Vide tab. 5. Aſ. *Meſopotamia*) Vid. tab. 4. Aſ.

Iudæi ferebant] Dion Caſſius in Adriano. Euſeb. libr. 4, c. 2, & ſeqq. Nicephor. libr. 3, c. 22, & ſeqq. Oroſ. lib. 7, c. 3, Zonaras tomo 1.

Gallias] Ælius Spartianus in Adriano.

Romam rediit] Feſtus Rufus.

In Ægyptum] Vide Aureliũ Victorem, Xiphilin.

P. 70, ỽ. 3, *Conuocato Senatu*] Dion Caſſius.

In off. continuit] Aurel. Victor. Eutrop. lib. 3, Iul. Capitolinus, Oroſ. lib. 7, c. 14. *Iurecon/. floruerunt*] Capitol. in Pan. *ſucceſſ. filius*] Iul. Capitolinus.

Parth. bellum Eutrop. lib. 8, Feſtus Rufus. *Pannonias inuaſ.*] Quadi, Germaniæ populi Ptolomęo, Tacito & aliis. Hos ipſos Auſtriacos quidam putant; Sileſios indigitat Dubrauius; Auentinus Marckfelders (Auſtriæ tractus populos) vocat. Quadi quondam Heluetii dicti ſunt, Eutrop. Zozimus lib. 3, Quados Saxonum partem facit, **die Quaden Sachſen.** *Conſpirauerant*] Oroſ. lib. 7, c. 15, Euſeb. hiſt. Eccleſiaſt. lib. 5, c. 5, Nicephor. lib. 4, cap. 12. Tertullianus in Apologet. c. 5.

Dacos] Ælius Lamprid.

P. 71, ỽ. 2. *Degens*] plura de eo Aurel. Victor, Eutrop. lib. 8, Herodot. lib. 1, Xiphilin. Oroſ. lib. 7, c. 9. *Sept. Seuerus*] Ælius Spartianus. *Vitam finiit*] Eutrop. lib. 9, Aur. Victor, Herodianus lib. 2, & 3, Oroſ. lib. 7, c. 17, Xiphilin. Feſtus Rufus. *Trucidari iuſſ.*] Spartianus de cauſa necis variat. vid. apud Xiphilinum Eutrop. lib. 8, Sex. Aur. Vict. Herod. lib. 4, Feſt. Rufum. *Plures ICti*] Lamprid. in Seuero. *Interf. Caracalla*] Iul. Capit. *Artaxerxem*] Lamprid. in Alexand. Herod. lib. 6, *Artaxerxem*; Oroſ. Eutropius & Caſſiod *Xerxem* nominant.

P. 72, ỽ. 9, *Interf. eſt*] Aurel. Oroſ. lib. 7, c. 18, Eutrop. lib. 8. *Vlp. I.C.*] Eutrop. lib. 8, Feſt. Rufus, Lamprid. in Alexandro. *Rom. milite*) Iul. Capitolim. *Gordianum*] Capitol. in Gord. *Hoc fact. vend.*) Eutrop. lib. 9, Herod. lib. 8.

P. 73,

P. 73, ℣. 7, *fuit interf.*] Oroſ. lib. 7, c. 19, Aurel. Vict. Euſeb. lib. 6, c. 21, Niceph. lib. 5, c. 25, Zoſim. lib. 1. *Poſt hæc*] Iul. Capitol. in Balbino. *Pupieno*] Pupienum multi Maximum putant. Capitol. Eutrop. lib. 5, Zozimus lib. 1, *Gordianum*] Capitol. in Gordiano ' *Interfectus eſt*] Aurel. Eutrop. lib. 9. 'Oroſ. lib. 7, c. 19, Pompon. Lætus in compendio Rom. hiſt. *Cum exerc. miſit*] Aurel. Eutrop. lib. 9, Oroſ. lib. 7, c 20, Pompon. Lætus. Primus hic Chriſto fidem dedit. Euſeb. lib. 6, c. 72, Niceph. lib. 5, c. 25.

P. 74, ℣. 12, *interficeretur*] Sext. Aurel. Eutrop. lib. 9, Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 7, c. 1, Niceph. lib 5, c. 25, Pomp. Lætus. *Rege Tyridate*] Pom. Lætus.

P. 75, ℣. 8, *fuit interfectus*] Eutrop. lib. 9, Oroſ. lib. 7, c. 21, Aurel. Vict. *Cyprianus*] Euſeb. lib. 7, c. 3, Niceph. lib. 6. c. 7. *Exer. alter*] Pomp. Lætus.

P. 76, ℣. 1, *Transeunt*) Eutrop. lib. 9, Aurel. Oroſ. lib. 7, c. 21, Zozimus lib. 1. *Valerianus*] Trebell. Pollio in vita. *Reſiſtant*] Eutrop. libr. 9, Feſt. Rufus, Aurel. Oroſ. lib. 7, c. 22, Euſeb. lib. 7, c. 9, Niceph. c. 10, li. 6, Zozimus lib. 1. *Oppreſſi fuer*] Videatur Pollionis hiſtoria de 30 tyrannis eorumque mutuis lanienis. *Vim faciunt*] de Gallieno vide Aur. Vict. Feſt. Ruf. Euſeb. lib. 7, c. 18, Zozimum lib. 1, *Long. vitâ*) Treb. Pollio in vita, Eutrop. 9, Oroſ. lib. 7, c. 23. *Claud. Aurel.*) Fla. Vopiſcus.

P. 78, ℣. 1. *in locis geſſ.*) Eutrop. lib. 9, Aur. Victor Feſt. Rufus, Pollio in vita 30. tyrannorum, Oroſ. lib. 7, c. 23, Procop. de bello Perſ. lib. 2. *Palmyra*) Syriæ vrbs, olim *Hadrianopolis* vocata fuit, teſte Stephano. Syrorum quoque lingua *Thadamus* dicta fuit, vt tradit Bapt. Egnatius. *eſt interfectus*) Aur Vict. Pomp. Lætus, Zozimus lib. 1. hiſt. nouæ. *Francones*) Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, Francos, non Francones ſcribunt.

P. 79, ℣. 1, *prœliis deuicit*) Vopiſcus Aurelius

Eutrop. li.9. Pomp. Lætus, Oroſ. lib.7, c.24. *fuit interf.*] Oroſ. li.7, c.14. Pomp. Lætus. *tollendum eſſe*] Vopiſcus, Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. 7, c.24 *profect. interiit*] Vopiſcus in vita Sext. Aur. Eutrop. lib.9, Pōp. Lætus, Oroſ. lib. 7, c.24 Feſt. Rufus.

P.80, ℣. 1. *Numerianus*] Vopiſ. in vita Numeriani & Carini. Eutrop. lib.9, Aurel. Oroſ. lib. 7, c. 24. *Chlorum*] Sex. Aur. Victor, Feſt. Ruf. Eutrop. li.9, Oroſ. lib. 7, c.23. *def. recepit*] Eutrop. Pomp. Lætus.

P.81, ℣. 3, *Grat. & Aſia*] Eutrop. in fine libri 9. Euſ. lib. 8, c.26, Socr. lib. 1, c.1, Pomp. Lætus. *Hoc tēpore*] Tomo 1. concil. P. 457. edit Venetę. *Romam prouocarit*] Repetitur 2. q.6. ad Romanā Eccleſiam, diſt. 17, c. Synodum epiſcopalem. *Maximianum*] Oroſ. lib.7, c.25, Eutrop. li.10, Sext. Aurel. *Caſarem*] Eutrop. lib.10, Aur. Vict. Socr. lib. 1, c.1, Zozim. lib. 2, Pomp. Lætus. *Liciniū*] Eutrop. lib.10, Socr. lib.1, c. 1, Zozimus lib.2, Pomp. Lætus. *Planè concidit*] Eutrop. lib.10, Oroſ. lib.7, c.28, Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. 9, c.8. & lib.1, de vita Conſtantini, c.32, Socrat. lib. 1, c.1, Zozimus lib.2, Pomp. Lætus, Meminit & Prudentius poeta. *Fuit interfectus*] Aur. Vict. Eutrop. lib.10, Oroſ. lib.7, c. 28, Euſ. in vita Conſtantini Magni, lib.2, c.18, Niceph. lib.7, c.45, Socrat. lib. 1, c.2, Zozimus lib.2.

P.82, ℣. 4, *ne faceret*] Euſeb. lib.10, c.8, Socrat. lib. 1, c.2, Zozom. lib 1, c.7, Niceph. libr. 7, c.44, Pomp. Lætus. *Diocl. Maximianus*] Auguſt. lib.8, de ciuit. Dei, c.52. De his perſecutionibus vide ſcriptores eccleſiaſt. Euſebiū, Nicephorū, Seuerū Sulpiciū. *Chriſtianu*] Quomodo Conſtantinus ad Chriſtianiſmum amplexandum adductus ſit, ſcribit Zozimus lib. 2, longè aliter ac eccleſiaſtici ſcriptores rem explicans. *Decreta ſunt*] Tomo 1, concil.

P.83, ℣ 10, *Anacleto*] Tomo concil. P. 309, cap. al. eccleſiarum]Repetitur diſt. 22, c. ſacroſanctæ, item diſt.21, c. In nouo. *Diaboli*] extat de conſec. diſt.3, c. Aquam cum ſale. *Produxit*] De obitu Ioh.

Euan-

Euangeliſtę nihil certi extat. Hieronymus breuiter ait Iohannem anno 68. poſt Paſſionem Domini anno Epheſi mortuum. Suidas ad ætatem 120, perueniſſe refert. *Cæſar edictum*] Diſt. 96, c. Conſtant.

P. 84, ỳ. *ex hiſtoriis atq. conuinci*] In vetuſtioribus Gratiani decreti exemplarib. non exſtat Donatio Cōſtantini M. vt annotatur cent. 4. hiſt. eccleſ. Otto Friſingenſ. lib 4. ſcribit fuiſſe Gratiani tempore, qui donationē illam fictam aſſeuerarēt. Impugnarunt publicis ſcriptis hoc commentum Marſil. Patauinus in lib. ſuo, cui titulus, *Defenſor pacis* Nicolaus Cuſanus Cardinalis lib. 3, c. 2, de concordia Catholica. Æneas Siluius in ſuo Dialogo, Volaterranus, Laur. Valla, Ludolphus de Bapenberg de iure regni Imperii Rom. c. 13. Ioh. de Pariſiis tractatu de poteſtate regia & Papali, Mart. Lutherus. item Hotom. in Bruto fulmine, Theoph. Banoſius libr. 10, de politia ciuitatis Dei, c. 11. Defendunt hanc ementitam donationem Auguſt. Steuchus Eugubinus duob. libris contra Vallam ſcripits, & Boethius Epo. Friſius lib. 2 heroicarum quæſtionum, Ioh. Auentinus lib. 5, Henrico 4, imperante fabulam donationis Conſtantinianæ primum excogitatā affirmat, quod ab illorum temporum ſtatu non alienum videtur. *Praiudicare*] l. 4, De recept. arbitr. item in l. 58, D. dū iudic. & l. ille 13. §. tēpeſtiuum, D. ad S c. Trebel. *Conſtantini Cæſaris*] Euſeb. de vita Conſtātini Magni, lib. 3, c. 6, 7. Niceph. lib. 8, c. 4. & ſeqq. Theodoret. lib. 1, c. 7, & ſeqq. Socrat. lib. 1, c. 5, Sozom. lib. 1, c. 16. Ruffin. lib. 10, c. 2, Zonaras tomo 3. *ſcrib. Epiſcopi*] Hinc Auguſtinus lib. de baptiſmo, c. 18, Nicenum concilium orbis terræ concilium nominat. *Decretum*] Tom. 1, concil. c. 6. Decretor. concilii Niceni pag. 485. itē 508, & 578. *Priuilegia*] Diſt. 65, c. Mos antiquus. *Poſt hanc ſynodum*] Diſt. 16, c. prima annotatio.

P. 85, ỳ. 1, *relinq. poſſeſſionibus*] Athanaſius orat.

i,contra Arr. Baſil. epiſt. 74, Socr. lib. 2, c. 47, Niceph. lib. 9, c. 16, Sozomen. lib. 3, c. 13, *Quum ergo, &c.*] Huius concilii Canones Decretis Gratiani fere omnes inſerti ſunt, Diſt. 30, 31, & 42. *doc. atq; ſentirent*] Canones concili Gangrenſis exſtant 20, tom. 1, concil. p. 609. ſubſcripſerunt epiſcopi 16. *veneni ſuſpicione*] Eutrop. 10, S. Aur. Oroſ. lib. 7, c. 28, Socr. lib. 1, c. 26, Zozom. lib. 2, c. 32, Niceph. lib. 8, c. 54, & 55, Auguſtin lib. 5, c. 22, de ciuit. Dei, Pomp. Lætus. *ſede regia*] Eutrop. lib. 10, Oroſ. lib. 3, c. 13, lib. 7, c. 28, Socr. lib. 9, c 12. Sozom. lib. 2, c. 2, Auguſt. lib. 5, c. 25, de ciuitate Dei, Zozim. lib. 2.

P. 86, ṽ. 6, *Aſia & Thracia*] Aur. Vict. Euſeb. libr. 4, c. 51, de vita Conſtantini M. Niceph. libr. 8, c. 54. Zozom. lib. 2, Pompon. Lætus. Non ſatis autem conuenit, diuiſerit ne Conſtantinus ipſe heredib. imperium, an ipſi poſt eius mortem ſorte id fecerint. Viues ad cap. 25. lib. 5. Auguſtin. De ciuit. Dei. *Conſt. amiſſo exer. confod.*] Eutrop. libr. 10, Aur. Vict. Oroſ. lib. 7, c. 29, Sozom. lib. 2, Pomp. Læt. *fuit interfectus*] Aur. Vict. Eutrop. lib. 10. Oroſ. lib. 7, c. 29, Socr. lib. 2, c. 20, Sozom. lib. 4, c. 1, Niceph. libr. 9, c. 29, Zoſimus lib. 2. *Imperatorem*] Aurel. Vict. Eutrop. lib. 10, Oroſ. lib. 7, c. 29, Socr. lib. 2, c. 20, Soſimus per iocum imperatorem factum ſcribit libr. 2. *conſciuit ipſe*] Sext. Aur. Victor, Eutrop. libr. 10. Oroſ. lib. 7, c. 29, Socrat. lib. 2, c. 27, Soſomen. lib. 4. c. 6. Niceph. li. 9, c. 32. Zozimus lib. 2, Pomp. Lætus, Athanaſ. in Apologia ad Conſt. Cæſarem ſcribit Magnentium Iudam imitatum eodem mortis genere ſibiipſi carnificem factum; Aurel. gladio incubuiſſe refert.

P. 87, ṽ. 7, *intermiſerat*] Socrat. lib. 2, c. 27, Sozom. lib. 4, c. 6, & 5, c. 2, Niceph. lib. 9, c. 82, Zoſ. lib. 1 Pōp. Læt. *conſtit. ſucceſſore*] Aurel. Vict. Eutrop lib. 10. Oroſ. libr. 7, c. 29, Socrat. libr. 2. c. 37, Niceph. libr. 9, c.

5. c. vlt. Theodoretus libr. 3, c. 1. Sozomen. libr. 5, cap. 1.

P. 88, ÿ. 8, *nominis hoſtis*) Quod Chriſtiani nominis hoſtis fuerit & perſecutor Iulianus, atteſtatur Socrat. lib. 3, c. 11, Theodor. lib. 3. c. 7, Zozom. libr. 3, c. 1, & 2, Niceph. libr. 10, c. 21, 22, 23, *&c.* Auguſtinus libr. 18, c. 52, Pomp. Læt. *quodam priuil.*) Epiſt. 1. quæ tamen cenſetur eſſe fictitia. *Synodos gener.*) Repetitur 3, q. 6, c. Dudum à ſanctis. *cognoſcat*) Epiſtola hæc Iulii ſuppoſititia eſt, vt ex Socrat. lib. 2, c. 18, & Sozomeno libr. 3, c. 8, vbi literarum ſumma indicatur, quæ cum argumento fictitiæ huius epiſtolæ non congruit, liquet.

P. 89, ÿ. 8, *poſtulabit*) Exſtat epiſt. hæc inter Decreta Iulii pontificis. 1. tomo concil. p. 621, edit. Venetæ, & reſponſum Iulii ſubnexum eſt, pag. 625. *Coerc. eſſe dicunt*) 12, quæſt. 1, epiſcopus eccleſiaſtorum rerum.

P. 90, ÿ. 9, *mortuus eſt*) Eutrop. lib. 10, Oroſ. libr. 7, c. 31, Socrat. lib. 1. c. 12, Theodor. li. 4. c. 4, Sozom. lib. 6, c. 6, Auguſt. de ciuit. Dei, libr. 5, c. 25, Diacon. lib. 11, Pomp. Lętus. *Ilico Cæſar exer.*) Sext. Aur. Ammian. lib. 26, Diacon. libr. 11, Oroſ. libr. 7, c. 32. *domuit*) Marcellinus libr. 28, Diacon. lib. 12. *perfertur*) Aurel. Vict. Paulus Diaconus libr. 12, Ammian. libr. 30, Socrat. libr. 4, c. 26. Zozom. libr. 7, c. 36, Zoſimus lib. 4, Pompon. Lætus. *conflagrauit*) Oroſ. lib. 7, c. 33. Qua ratione Valens interierit, incertum. Socrat. libr. 5, c. 1. Alii igne ambuſtum ſcribunt, Diaconus lib. 12, Zozom. lib. 6, c. vltim. Theodoret. lib. 4, c. 36. Alii prætorio habitu mutato, ſe in mediū ſuorum peditum inieciſſe, ibiq; cecidiſſe & iacuiſſe incognitum, Soc. lib. 4, c. 31, Marcellinus lib. 31. *edictum exſtat*) lib. 26, C. de decurionibus.

P. 91, ÿ, 6, *ſuſtinent*) Exſtat hæc lex in Cod. Theodoſ. lib. 12, tit. 1; lib. 26. Meminit etiā Paul. Diac. lib.

12,& Iornandes Gothus lib. 1. Pertinet autem ad monachos Ægypti, quib. fuit Valens pertinaciter infenſus, vt Iac. Cuiac. annotauit. Conſule annotationes Alciati in decimum libr. Cod. Iuſtinianei, in l. 26, quidam ignauiæ; vbi Bartoli erroneam interpretationem refellit. Vide eundem Alciatum lib. 3 Diſpũct. c. 11. *diſceſſerunt*] Ammianus libr. 31, & Socrat. libr. 5, c. 1. Barbaros à Saracenis precio conductis repulſos ſcribunt. Sozom. libro 7, c. 1, Paulus Diaconus libro 12. *collegam*] Aurel. Victor. Diaconus libro 12. Marcel. libr. 27. Socrat. lib. 4. cap. 10. *eiecit*] Diaconus lib. 12. Oroſ. lib. 7, cap. 34. Theodor. libr. 5, c. 5, Zoſimus libr. 4. *interfectus*] Aurelius Victor, Socr. lib. 5, c. 11. Sozom. lib. 7, c. 13. Niceph. lib. 12, c. 19, & 20, Oroſ. lib. 7, c 31. Zoſimus libr. 4. Diacon lib 12. *Romæ perduxit*] Exſtat gratiarum actio Auſonii ad imperatorem pro conſulatu. *Valent. occubuit*] De hoc legitur oratio funebris Ambroſii epiſcopi Mediolanenſis. *Arbogaſti*] Aur. Victor. Oroſ. lib. 7, c 35, Diaconus lib. 3. Socrat. lib. 5, c. 24. Sozom. libr. 7, c. 22. Niceph. lib. 12, c. 38, 39. Hieronymus in epitaphio Nepotiani ſuffocatum & laqueo ſuſpenſum ſcribit. Fuit autem, Zoſimo teſte, Arbogaſtes ex Francis Germanis oriũdus. *Maximus quidem*] De cæde Maximi legatur Aurel. Victor, Oroſ. lib. 7. c. 35 Diaconus lib 13, Socr. lib. 5, c. 14. Sozom. libr. 7, c. 14, Theodor. libr. 5. c. 15. Niceph. lib. 12, c. 21.

P. 92, ỽ. 9, *Vitam finit*] Aur. Vict. Diacon. libr. 13, Socrat. lib. 5, c. vlt. Theodor libr. c. 25. Sozom. libr. 7, c. 28. Niceph. lib. 12, c. 48, 50. Sozim. lib. 4. *diuin. Sp. Sancto derog*). Socr. lib 1. c. 8. Sozom. libr. 7, c. 7, & 8, Auguſtin. de hæreſ. c. 52, Niceph. libr. 12, c. 18, diſt. 16. c. prima autem Synodus. Baſilius in expoſitione fidei Nicenæ, Macedoniũ *Pneumatomachum* propterea nominatum ſcribit. *Damaſo fuit*) Damaſus Hieronymi opera vſus eſt in ſcriptionibus epiſtolarum Synodalium, vt Hieronymus ipſe ſcri-

ſcribit epiſtolâ ad Euſtochium, item ad Gerontiam. *patienter tulit*) Theod.lib.5,c.17, Nicephor. lib.12,c.40,41, Sozom.lib.7,c.24, Auguſtin.lib.5,c.26 De ciuit.Dei; Paul. Diaconus libr.13, Zonaras tom.3, Mich. Glycas annal. parte 4. De hoc Ambroſii grauiſſimum exſtat iudicium Th.Eraſti medici excellentiſſ. qui illud iniquum eſſe, nec vnquam veris & iuſtis rationib.excuſari poſſe palàm affirmat. Vide Rod.Hoſpinianum libr.2,c.1,de orig.vſu & abuſu templor.

P.93,ỳ.5,*Rufin.à mil.trucid.*) Socr.lib.6,c.1. Sozomen.lib.8,c.1. Niceph.lib.13,c.1, Zoſimus lib.5, Diacon.lib.13. Ruffinus fuit Gallus, teſte Suida in voce Theodoſius. *Pontif.refertur*] Diſt.96, c.Duo ſunt quippe. Videatur Glycas Annal. part.4.

hoſpitiolum) Decret. ſynodi Carthagin.quartæ, can.14, tom.1.concil.p.759.

p.94,ỳ.vltim.*Auguſt.tunc è vita diſ.*) Auguſtinus obiit Hippone, non anno Chriſti 440, vt ait Sigebertus in Chronico, vel 446, vt Beda, ſed 432. Diacon.lib.14, ſiue 433. Proſper in Chronico. Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis ſcribit c.5, ſui breuiarii, Auguſtinum ad hanc ſynodum accerſitum, ſed morte præuentum eſſe.

p.95,ỳ.7,*natum CCCXII*) Auguſt. lib.1.c.1. De ciuitate Dei, Iornand.libr.2, Sozom.lib.9,c 9, Oroſ.lib.7,c.38, Paul.Æmil.lib.1. Mich Ritius de regib.Hiſp.lib.1. Egnat.lib.1.princ.Roman. *fuit interf.*) Diacon.lib.13, Oroſ.lib.7,c.38, Sozom. libr.9, c.4, Zoſimus libro 5. *abſumunt*) Adolphus hic Alarico affinis fuit, coniugis nempe frater, vt Zoſimus innuit. Diaconus *Athaulphum*, Oroſ. Anthalphum vocat. *inhabitaret*) Oroſ.lib.7,c.vlt. Diacon.lib.14, Iornand.lib.2, Proſper in Chron.

graſſabantur) Procop.de bello Vandal.lib.1. Paul. Diaconus libro 14, Sozom.libro 9,c.2.

P.98,ỳ.7,*campis Catalaunicis*) Iornãdes campos *Mauritios*, Freculphus *Mauriacos* vocat.

P. 99, ℣. 4, *vitam finiit*] De Attilæ interitu refert ex priſco Hiſtorico Iornandes lib. 2, Iouius libr. 1 elogiorum. *ſeſe receperunt*) Volaterran. lib. 4 Geograph. Blondus dec. 1. lib. 3. Sabell. de reb. Venetis, dec. 1, lib. 1, Anton. Bonfinius dec. 1, lib. 6.

Paulus Anazatus) In hiſtoria Ducum Venetorum à Petro Marcello Veneto, Silueſtro Gyrello, & Hiero. Kelnero edita, hic dux vocatur *Paulutius Anafeſtus*, & initium imperii illius collocatur in annum 697, à Chriſto nato, quem faciunt vrbis conditæ annum 282. De numero etiam variat. 4. enim & 80, vſque ad illud tempus, quo hæc à Sleidano ſcripta ſunt, Duces recenſent. *atque eade*) Iornand. Euagr. lib. 2, c. 7, Vrſpergenſis.

P. 101, ℣. 25, *Auguſtulus quidam*] De Romulo Oreſtis filio, cui Auguſtulo cognomen fuit, ſcribit Procopius de bello Vandal. lib 1, & de bello Gothico lib. 1, Euagrius lib. 2, c. 16, Iornand. lib. 1. Pompon. Lætus.

P. 102, ℣. 5, *reſiſt. præfuit*] Procopius de bello Goth. lib. 1, Leonh Aretinus de bello Goth. lib. 1, Blondus dec. 1, lib. 2, Bonfin. decad. 1 lib. 7, *plerique repudiabant*) centuria 6. hiſt. Magdeburg. c. 9, de Synodis.

P. 103, ℣. 2. *pótif. lib. dicunt*) Ioan. I papa in epiſt. ad epiſcopos Italiæ, tom. concil, 2, p. 534. *Germaniæ pop.*) Tacit. in Germania, & in eum Althemarus, Gotho. Viterbienſis perperam Odoacrum Ruthenorum ducem nominat. *ſibi conciliauit*) Procop. lib. 1, belli Goth. Iornand. lib. 2, Friſing. 5, c. 1.

P. 104, ℣. 12, *loc. dat Antiochia*) Secundo tomo cócil. in Decret. Gelaſii tit. ordo librorum V. Teſtam. §, poſt Propheticas, p. 460. *oppreſſo auctore*) Auctor huius ſeditionis fuit Vitalianus Thrax, qui iuſſu populi Imperatori propter hæreſin Eutychianam rebellauit. Zonar. tom. 3, *placare*] Euagrius lib. 3, c. 43, Niceph. lib. 16, c. 38.

ſuper-

Digitized by Google

ſuperſtitione) Greg. Turonenſ.libr.2, c.29,30, & 31. Adon.Vienneſis ætate 6, Robert. Gaguinus libr. 1, c.3 hiſt.Franc.Æmil.hiſt.Frãc.lib.1, Mich.Ritius de regibus Franc.lib.1

P.105, ꝟ 1, *ſe redimat*) 36, q.1 de raptorib.aũt. *vti ſcribitur*) Lapſus hîc eſt memoriâ Sleidanus: nam cap. Anaſtaſius, diſt.19, quô hic locus reſpicit, loquitur de Anaſtaſio papa, qui Photinum & Acacium hereticos fouit, & ob id diuino iudicio percuſſus creditur. nam vt gloſſa d.cap.refert, *dum aſſellaret, emiſit inteſtina.* *atq; ſtudio*) Procop.de bello Goth.lib.1, Iornand.lib.2, Leonh.Aretin.lib.1. *decreta confirmat*] Zozom. Vitum & Vicentium legatos nominat lib.1, c.16.

P.106, ꝟ 5, *fortiter agant*] Epiſt.2 Iohan.1 papæ ad epiſcopos Italiæ de Theodorico rege, 2. Tom. cõcil.p.534. *Iuſtini filius*] Diaconus libr. 16, Euagr. lib.4, c.9, Niceph. lib 17, c.7, Pomp.Lætus & alii.

Theodatus] Fuit hic Theodorici Veronenſis ex ſorore Amelfreda nepos: propter ingratitudinem autem erga Amaloſuntham à Gotthis interemtus eſt, anno regni 3. Apud Caſſiodorum libr.10, epiſt. 3, *Theodahadus* nominatur; ibidem reperias eius encomium. *Beliſario*] Diaconus lib.16, Iornand. libr.1, Sigeb.Blond.dec.1, libr.5. *Hildebrandum*) Pomp.Lætus *Hildebrandum*, Procop. Theduibaldum vocat. Sequitur eum Diaconus: Sigeberto *Eldepades* indigetatur. *dir. incendit*) Procop.lib.3.belli Goth.Euagr.lib.4, c.20, Sabell.Ennead.8, libr.3, Blond.dec.1.lib.6

P.107, ꝟ 1, *Romam redit*) Totilas Iornando *Badiula*, ſeu potius *Dadiula* nominatur. *Narſetem Eunuch.* Procop.de bell.Goth.libr.3, Agathias in ſua hiſt Goth.

fuit product.] Procop lib 3 bell. Goth. Sabell. Ennead.8.lib.4, Blond dec.1, lib.7. *ſubiect.fuiſſe trad.*) Suidas literarum rudem fuiſſe ſcribit Zonaras

tom.3 ſcribit eum adeo immodico ædificandi ſtudio flagraſſe, vt & ſtipendia artium liberalium magiſtris iam olim conſtituta, ſuſtulerit, vt haberet ſumtus, quos in ædificationes profunderet. *acrefix. tradunt*) Procop. li. 1. de bell. Perſ. Suidas in dictione Tribonianus. Alciat. dispunct. lib. 4, c. 7, Ægidius Perrinus Aremarrēſis in vita Iuſtiniani imper.

excæcauit etiam) Habet idem P. Crinitus lib. 9, c. 6, de hon. diſcip. & Ioh. Iouinian, Pontanus lib. 2 de fortit. domeſt. c. 8. Alciat verò lib. 4. parerg. c. 14, totum hoc falſum eſſe demonſtrare conatur. Virtutes Beliſarii commemorat Suidas in voce Beliſarius; originе Germanum fuiſſe docet proœmium Ioan. Leunclauii in Zoſimum. *habent libri*] Tom. 2. concil. ſynodi quintæ Conſtantinopol. act. 2, facta à Menna patriarcha Conſtantinop. & alibi.

P. 108, ỷ. 13, *ſit collocata*] De epiſtolis mutuis Iuſtiniani Imper. & Ioh. Papæ Rom. dubitatum fuit omnibus temporibus: legatur Alc. libr. 5. parerg. c. 23. Cuiuac. obſ. 12, c. 26. Fr. Hotom. libr. obſ. 7, c. 2.

Bonifacius II.] Tom. 2, concil. ad Eulalium Alexand. epiſ. p. 544.

P. 109, ỷ. 16, *vrb. Rom. epiſ.*] Procop. Syluerium relegatum ſcribit propter ſuſpicionem defectionis ad Gothos lib. 1, bell. Goth. Blondus lib. 7, dec. 1, Vigiliū carceri incluſum, ſocios partim relegatos, partim ad metalla dānatos, tandē tamē liberatos eſſe commemorat. *Iuſtino II. Caſ.*] Diacon lib. 16. Euagr. lib. 4, c. 7. *ingrat. in iis depreh.*] Paul. Diac. de geſt Longob. lib. 2, c. 5, Regino lib. 1, Pomp. Læt. Friſing. lib. 5, c. 5.

P. 110, ỷ. 5, *Exarchū*] Primus Exarchus nominatur Longinus Græcus: ſed Palmerius Patricium Rom. primum talem magiſtratum ſuſcepiſſe ſcribit. Durauit illa dignitas annis 164; ſiue, vt alii volunt, 124, Blond. lib 10, dec. 1.

mortuus eſt] Narſetem in exilio defunctum commemorant omnes; mortui verò corpus in loculo

plum-

plumbeo cum omnib. eius opibus Conſtantinopolim portatum ſcribit Paul Diac. lib. 2, de geſtis Longobard. c. 11. Idem eodem lib. c. 3, pietatem eius prædicat, ſicut Euagr. etiam lib. 4, c. 24. Suidas ingenium & corporis habitũ deſcribit. *Succeſſ. Tiberius*] Diacon. lib. 17, Euagr. lib. 5. c. 14, Niceph. lib 18, c. 2, & 5. *Mauritius*] Diaconus lib. 17, Niceph. lib. 18, c. 6, 7, & 8.

P. 111, ỽ. 5, *Epiſcop. Iohannes*] Iohannes hic è vitæ ſobrietate *ieiunator* nominatur, libr. 17, c. 36, & lib. 18, c. 34. histor. Eccleſ. Niceph. primatum ſibi arrogauit in concilio Conſtantinopolit. teſte Gregorio Magno lib. 4, indict. 13, ep. 36. Sed Pelagius epiſc. Rom. miſſo Conſtantinopolim archidiacono, ſynodi decreta caſſauit, ibid. epiſt. 36, vide 2, tõ. concil. epiſt. 1, Pelagii II. papæ, p. 842. *Vſurpaſſe dicit*] Gregor. lib. 4, indict. 13, epiſt. 36, & 38, item lib. 7, indict. 1, epiſt. 30. *imminuat*] Greg. libr. 4, indict. 13, epiſt. 32. *atq; diplomatu*] Adon Viennenſis ætate 6, Beda de rat. temp. Regino Prumienſis li. 1, Friſingenſis lib. 5, c. 8, Vrſperg. Platina in vita Bonifacii tertii. *Phoca rerum pot.*] Diac. lib. 17, Zonar. tom. 3, Beda de rat. tempor.

P. 112, ỽ. 21, *felic. præliantur*] De Saracenorum origine, incrementis & imperio videatur Cœlius Auguſtinus Curio lib. de hiſt. Saracen. item Wolfgangus Drechslerus in compend. hiſtor. Saracenicæ. *Fuit Mahometus*] Liber de generatione Mahometi & Chronicon Saracenorũ, Zonar. tom. 3. Chalcocondiles lib. 3.

P. 113, ỽ. 9, *concil. Toletanum*] Tom. 3, concil. p. 63, Iohan. Magnus hiſtoriæ Goth. lib. 16, c. 17. *repetit. fuit*] concilii 5, canone 3, & 4, concil. 6, can. 17, & 18. *non lætitiæ*] concil. 4, can. 10, p. 70.

P. 114, ỽ. 14, *Langobardis*] Paulus Diac. de geſtis Lãgobard. lib. 1, c. 10. *ſecum aſportant*] Regino lib. 1, Blond. dec 1, lib. 9, Nauclerus gener. 23, Diacon. lib. 5, c. 13, de geſtis Langobard. *vectig. annuum pa-*

ciſc.) De tributo auri conſentiunt Zonaras & Diaconus:de equis & ſeruis variant; hic enim quinquaginta,ille octonos tantum nominat.

P.115, ℣ 8, *vires attenuab.*] Zonar. tom.3, Sigeb. Auentin. lib.3 Annal. Boiorum. *Hic Cæſar*] Sabellicus Ennead.8, lib.6, Blond.dec.1, libr.9, Platina in vita Benedicti 2. *pendebat*] Polydorus Virgil. lib.4, c.10, hanc legem ſcribit haud diu ſeruatam eſſe. *centum quinquag. epiſcoporum*] De numero patrũ,qui ad hanc ſynodum conuenerunt,variant auctores.Regino lib.1,& Beda de rat.temp.numerant 150, Diacon.lib.19, Iuo in Chron. Simoneta libro 4,cap.46 nominant 289.in catalogo ſubſcriptorum exſtant 162, Chronicon Martini trecentos minus vno habet.

Obſcuris verbis] Tom.3 concil.in Decret.ſynodi 6 Conſtantin.tit.de canone apoſt.p.393.

P.116, ℣ 12, *à diuerſ. emanaſſent*] Fr.Sixt.Senenſis in bibliotheca ſancta, libro 2 de canonibus apoſtol.ſic ſcribit. Iſidorus tantum 50 recenſet. Sexta ſynodus can. 2, probat 85;tametſi non ſint niſi 84. Sed duodecimus Latinus eſt in codice Græco in duos diuiſus. Zepherinus quingentis annis quinta ſynodo prior, ſexaginta tantum canones admittit. Leo nonus trecentis & quinquaginta annis poſterior ſexta ſynodo ad Michaelem Patriarcham totidem enumerat.Hæc Fr.Sixtus. Pro horum canonum defenſione luculentum librum edidit Fr. Turrianus Ieſuita.

Rauennas epiſc.Rom.) Eccleſia Rauennas à Romana multis ab annis ſegregata, *allocephalis* dicta eſt,vt Platina in vita Doni, I. papæ Romani. Theodorus autem epiſcopus Rauennas ſedem ſuam Rom. epiſcopo ſubiecit. Occaſionem explicat Blondus decad.1,libro 9, Sabellicus Ennead.8, libro 7.

P.117, ℣ 4, *Tiberium quendam*) Tiberio huic Abſima-

ſimari nomen fuit, quod repudiauit; vt Diaconus libro 20,& poſt eum Egnatius ſcribit.

prope totam]Blond.dec.1,lib.20. *Is quem ſup.dixi Iuſtin*]Diacon.lib.20, Sigebertus. *Anaſtaſium II. hab. ſucceſſ.*) Anaſtaſius hic alio nomine *Artemius* appellatus fuit. Diaconus lib.20, Zonar.tomo 3.

P.118,℣ 14,*Gothi elegerant*) Iohan. Gothus libro 16,c.17;ad annum 714 refert. *Leone reg. Saraceni*) Diac.lib.21, Zonar.tom.3,Friſing. libro 5, cap. 18, Sabell.Ennead.8,lib.7, Blond.dec.1,libro 10.

Erat Leo]Paul.Diaconus lib.21,Sigebert.

Occuparunt]Blond.dec.1.lib.10

P.119,℣ 2,*Bonifacio quodam*]Bonifacius hic *Wunefridus* anteà vocatus,natione fuit Anglus, Cridioduni in patria Deuonienſi natus,Balæus. Iacobus Curio Londæ natum aſſerit, & Muntzerus in Chronographia affirmat eum Ricardi regis Anglorum fuiſſe fratrem.

Leo Cæſar. ſtat.) Diaconus libr.6, c.49,de geſtis Langobard.. *Huic etiam*)Tom.3.concil.in hiſtor. Gregorii III, p. 418. *A Gregorio III.*] Tomo 3. concil.epiſt.vlt.ad Bonif.epiſc.p.435.

P.120,℣ vlt.*De vxorib.verb nullum*) Habet hoc edictum Auentinus lib.3 annal.Boiorum.

P.121,℣ 3,*dependerent*)Sigeber.Viterbienſis parte Chronici 17,Blond.dec.1,lib.10.

opem ferat)Friſing.lib.5,c.25,Vrſperg.

Placentia)Vrſpergenſ.Sabell.Ennead.8, libro 1, Balæus centur.2,c.5,Adon ætate 6.

Eccleſ. Romana]Blond.dec.1,lib.1,Antoninus tit. 14,c.1,paragr.3,Æmil.lib.2.

P.122,℣ 13,*Nicephorum*]Diacon.libr.24, Zonar. tom.3.

expulit Italia)Sigebertus,Gaguinus libro 4, c.1, Æmil.Veronenſis rerum Francic. lib.2.

P.124,℣ 10,*fuer.ignaui*]De his legatur Zonar.tō. 3,Nicetas Choniates,Niceph.Greg.Chalcocōdil.

& alii. *Ottomannus ad*] Chalcocondiles de reb. Turcicis, Matthias Mechouius in Sarmatia Aſiatica, c. 15.

P. 126, ỿ. 21, *nutu pendebat*] De hac Rom. imperii infelicitate ſic ſcribit Eraſ. Roterod. præfat. in Sueton. Tranquill. O miſerum ac deplorandum illorum temporum ſtatum! oppreſſa ſenatus auctoritate, oppreſſis legibus, oppreſsâ populi Romani libertate, ſic creato principi ſeruiebat orbis; princeps ipſe ſeruiebat iis, qualem nemo vir probus domi vellet habere ſeruum. Imperatorem timebat ſenatus: Imperator ſceleſtam iſtam militum multitudinem formidabat. Imperator leges dabat regibus; at huic leges dabat conductitii milites. Summa rerum orbis ab armata paucorum temeritate pendebat.

IN LIBRVM III. NOTÆ.

P. 127, ỿ. 9, *orig. deducit*) Origo Caroli Magni ad Francos antiquiſſ. Germaniæ populos refertur à Gotfrido Viterbienſi: Ludolpho de Bapenberg, lib. de iure regni c. 3, Iac. Wimphelingo rerum Germanic. c 22, Hieron. Gebuilero de libertate Germanica, c. 6, Ægidio Tſchudo in deſcript. Rhetiæ Alpinæ, c. 36, Franc. Irenico exegeſeos lib. 3, c 18. Verum Ioann. Bodinus, Germanici nominis hoſtis, Carolum natione Gallum, in Gallia natum, linguâ quoque, morib. & inſtitutis Gallorum vnà cũ ſuis maioribus educatum ſcribit, in Meth. hiſt. c. 7. *profligati*) Florus lib. 3, c. 3, Vell. lib. 2, Oroſ. lib. 5, c. 6, Eutrop. lib. 5. *Aruerni & Hedui*) Cæſar de bell. Gall. libr. 1. *Eburones*) Hub. Thomas Leodius de Tungris & Eburonib.

P. 128, ỿ. 11, *illos reiiceret*) Fl. Vopiſc. in Probo, Eutrop. lib. 9, Zoſimus lib. 1, *Francoſes*] Quos Sleidanus *Francones* nominat, antiqui Rom. hiſt. ſcriptores, vt & recentes, *Francos* indigetant. Fl.

Vopiſcus in Aureliano & Proculo. Zoſimus lib. 1, Ammianus Marcell. lib. 15, 27, & 30, Aurel. Vict Eutrop lib. 2, & alii.

P. 129, ỽ. 12, Maior domus) De maiore domus videatur Francogallia Fr. Hotomani, c. 12, Nominatur ibi *palatii magiſter*; & dignitas ei tribuitur eadẽ, quæ fuit præfecti prætorio apud Romanos, qui alio nomine *aulæ præfectus* nominabatur. Sunt & alia nomina quæ maioribus domus tribuuntur, vt præfecti aulæ, comites palatii; quin etiam aliquot ſeculis pòſt *Seneſchalli Franciæ* appellati ſunt. Exſtat de maiorib. domus fragmentum editũ à P. Pithœo, in annalib. Francicis. De bellis autem Pipini in Germania geſtis videatur Viterbienſis parte Chronici 17, Gaguinus lib. 3, c. 4, Auetin. Annal. Boiorum lib. 3. *Galliæ ſcript.)* Eginhard. in vita Caroli M. Sigeb. *Pipinus]* Eginhard. Regino lib. 2. Sigeb. Viterb. parte 17, Chronici.

in decreto) 15, q. 6, Alius item Romanus.

P. 130, ỽ. 6, *Papa Gelaſius)* In recenti iuris Canonici editione, auſpicio Gregorii XIII. adornati, capitulum hoc non papæ Gelaſio, vt eſt in vulgatis codicibus, ſed Gregorio papæ adſcribitur. Is eſt huius nominis ſeptimus, qui in epiſt. ad Hermannum Metenſem epiſcopum iſta ſcripſiſſe memoratur. *Armorica)* Ioh. Lelãdus *Anmoria* idem ſignificare dicit, quod ſupra mare, in ipſa Britãnica lingua. Repetit hoc Guiliel. Camdenus in Britannia.

P 131, ỽ. 4, *In Hiſpaniam)* Ioh. Turpinius. *pacauit)* Antoninus lib. 14, c. 2, § 5, Gaguinus lib. 4, c. 1 *Magnus dic.)* Nithardus hiſtor. lib. 1, Gaguinus lib. 4, c. 1.

P. 132, ỽ. 6, regnaſſ. annos XXXIII.) Eginhard. Regino lib. 2, Sigebertus, Gaguinus lib. 4, c. 1, Platina in Leone 3, Sabell. Ennead. 8, lib. 9, Blond. dec. 2, lib. 1. *certi limites)* Auentin. lib. 4. *decretum fuit)* capit. 14, Decretorum huius ſynodi, p. 701.

Turoni] De Turonenſi ſynodo videatur tomus 3. concil. p. 682. De Cabilonenſi ibid. p. 686. De Arelatenſi videatur p. 679. Legatur etiam vita Caroli M. edita à Petro Pithœo, & auctor annalium Francicorum: meminit Sigebertus & Gaguinus libr. 4, c. 1.

P. 133, ℣ 3, *ſeptuaginta natus annos*] Carolo ætatis annos aſſignant 72. Eginhard. Gaguinus & alii: auctor annalium Francicorum 71 adſcribit.

Ipſo regn. per Ital. & Gall.] Eginhardus in vita Caroli M. Sigebert.

Bituriges) Metropolis ex μήτηρ & πόλις, i. matrix & vrbs, iuncto nomine, dicitur ea ciuitas vnde Colonia deducta eſt. Vlp. libro 4, § 4, D. de offic. proconſ. Epheſum, metropolim appellat. Iſidorus ex τ͂ μέτρε, i. menſura fictum vocabulum tradit; quod & diſtinct. 21 aſſeritur, ſed falſo. Denique Metropoles ad extremum dictæ ſunt matres vrbium, ſiue capita prouinciæ, vt *l. 1, C. de Metropol. Berytho.* & apud Solinum & Marcell.

ſcriba iuratus] in vita Caroli M. *Eginardus, diui Petri*) Eginhardus, vel *Einardus*, ſcriptor vitæ Caroli M. eiuſdem Imperatoris non cancellarius tantum, vt Trithemius, verum etiam gener fuiſſe ſcribitur. Videatur Iac. Curio libro 2 rerum Chronolog. item, Iuſtus Reuberus initio tomi ſui hiſt. German.

P. 134, ℣ 14, *libri dicunt*] Diſt. 36, c. Hadrianus papa. *poteſt. ei conceſſit*) Blondus dec. 2 libr. 1, Gaguinus lib. 4, c. 1, Auentin. Annal. Boior. lib. 4.

Pariſinam quoq; trad. academ.] Vincent. ſpec. hiſt. lib. 24. Sabell. Ennead. 8. li. 9, Gaguin. lib. 4, c. 1, Iac. Middēdorp. lib. 2 Academ. orb. Chriſt. lib. 2 chron.

vter barbaris] Eginhard. Sigeb. Vrſperg. Alb. Stadenſis.

P. 135, ℣ 23 *breuiter expon.*) Annales Galliæ mathe-

thematico auctore. Sigebert. *conſecrauit*) Friſing. lib. 5, c. 32, Viterbienſ. part 17 Chron.

P. 136, ℣. 4, *eſſe obtruſum*] Gaguin. lib. 4, c. 2, Æmilius lib. 3 vitâ Ludouici, edita à P. Pithœo. *Libri pontificii*] diſtinct. 63, c. ego Ludouicus.

Quantum fid. ſit eiusm. ſcriptis] Carolus Molinæus Iuriſconſultus Bibliothecarium, pontificum Roman. fautorem & domeſticum huius capituli auctorem eſſe; & ob id tanquam homini ſuſpecto minime credendum ſcribit. *Lud. Bauaria præf.*) Annales Gallici, Viterb. Æmilius libro 3, Blond. lib. 3, dec. 2.

Coniurat. facta] Regino lib. 2.

ad mon. genus vit. f. detr.] Hiſtoria huius exauctorationis peculiari ſcripto expoſita eſt, quod P. Pithœus edidit. Videatur etiam Theganus chorepiſcopus Treuirenſis, lib. de geſt. Lud. Imper. Item vita Ludouici incerto auctore, edita ab eodem Pithœo. Meminit Gaguin. lib. 4, c. 2, & ſeqq.

auderent impuliſſe] Faſtus ſacerdotum coerciti meminit Gaguin. libro 4, c. 2. videatur 3 tomo concil. Synodus Aquiſgranenſis, p. 820. Deiectionis vero longe aliam cauſſam, vxoris vid. incontinentiam atque efferatam libidinem Regino lib. 2 adfert. idem habet Viterbienſis; de quib. criminib. ſeſe publicè purgauit, teſte Nithardo lib. 1. *recuperauit*] Annales Gallici lib. 4, c. 2.

P. 137, ℣. 5, *Auarici Aurelia*] Vide Ioan. Marii Belgæ lib. de ſchiſm. & conciliis parte 2, c. 5, & ſeqq.

publ. incom. meder.] Contrarium fieri oportere docet Gratianus diſt. 17, c. Synodum, c. regula veſtra, c. Nec licuit, c. Multis denuo, c. Concilia ſacerdotum. Legatur Bellarminus tom. part. 2, lib. 1, c. 12, de conciliis.

Ad hunc mod. Ludouicus] Hubertus Velleius append. ad Gaguinum c. 4. *ſalutis anno* M D X & X I.]

Ioan. Marius de ſchiſm.& conc.part.2,c,25. *Lud. mort.*)Gaguin.lib.5,c.1, *Galliaq; pars*) Regino lib. 2. *Narb.prou.obtin.*)De diſſenſionib.filiorum Ludouici Pii exſtant lib.4, Nithardi Angilberti F. Caroli M. ex Bertha filia nepotis. Videatur etiam Friſing.lib. 5,c.35, Helmoldus lib. 1,c.2, *Ei ſucceſſit*)Regino lib. 2, Sigebert. *habent libri*) Diſtinct. 63,c cum Hadrianus.

P.138,ỳ.14.*ſi Ludouicus*) Diſt. 63 c Ego Ludouicus. *ante Adrianum*)Tom. 3,concil.p.906. *Ignatius*)Zonar.tom.3.

P.139,ỳ.4,*maieſt.papal.*)Decreta huius Nicolai pontificis ex Gratiano collecta ſunt, & in 20 titulos diſpertita à Ioan.Cochlæo. *Car.Gall.rex*)Friſing.lib.6,c.6. *conſecratur*) Gaguin. lib.c.1. *Mantua mort.eſt*)Carolus veneno à Sedechia Iudæo propinato interemtus eſt Regino, Sigebert. Gaguinus lib.5, c.1.

præfuit)Gaguinus libr.5, c.ſecundo. *tempus retines*) Frodoardus in Chronico. Sigeb. Gaguinus lib.5,c.4 ſunt autem Normāni iidem cum Danis, vt ex Adamo Bremenſi, Alb.Stadenſis refert. Helmoldus lib. 1,c.7,ex Danis, Suenonib. & Norueis collectam fuiſſe multitudinem ſcribit.

P.140,ỳ.1, *auct. vindicat*) Luitprand. Ticinenſis lib. 1,c.8, Friſing.lib.6,c.13, Viterbienſ. *incendiis vaſtant*)Luitpr.lib.2,c.1,& 2,Regino lib.2,Vrſperg.

Arnolph. Caſare) Tom. 4,concil. p.26, Regino lib.2. *decretum*) 13,q.2,c.In eccleſiaſt. *Ad hoc tēpus*) Luitpr. lib.1,c. 6, Regino lib.2, Sigebertus. *afficiunt,*)Blond. dec. 2,lib.2.

Ludouicum Caſar.) Ludouicus hic excæcatus à Berengario, non Arnolphi Imperatoris filius & ſucceſſor fuit, ſed Boſonis Burgundiæ regis, ex Hermingarda filia Ludouici ſecundi Imperatoris nepos, qui inuitatus in Italiam, & contra iura-

iuramentum agens, hoſtis tandem proditur; & Veronæ crudelibus ſuppliciis excarnificatur. Regino lib.2, Sigebert. *Saraceni Aphri*] Luitprand. lib.2, c.12, Sigeb. *vaſtant Ital.*] Antoninus 2 parte hiſtor. tit 15, c 16

P.141, ℣. *ſalutab. Othonem*] Widechind. libr. 1. Dith. lib. 1. *grauit. ægr.*) Luitpr. libr. 2, c. 7. Widechind. lib. 1. Sigeb. *Auceps*) Aucupi nomen vnde factum, indicat Vrſpergenſ. *Saxonicarum*] Roſuitha in Panegyrico. *Hi duo Cæſares*] Crantzius lib.3, c.4 Saxon. *ſeſe diceret*] Witechind. lib. 1

P.142, ℣ 20, *in eg. diſtribuit*] Luitprand. libr. 2, c. 9. Sigebert.

P.143, ℣ 2, *ducit Adelheidam*] Witech. lib. 3, Dithmarus Merſepurgenſis lib. 2, Roſuitha in Panegyrico, Regino lib. 2, Friſingenſ. lib 6, c. 19.

Luitholdus] Witechind. lib. 3, Regino lib. 2.

Vbi tand Romam] Luitprand. libr. 6, c. 6, & ſeqq. Roſuitha in Panegyrico, Dithm. lib. 2. *pontif. decretum*] Diſt. 63, c. In ſynodo congregata.

P.144. ℣ *ſuper al. contrarium*] Mendacem oportet eſſe memorem. *formula iuruiur.*] Diſt. 63, c. Tibi domino Iohanni. *Otho pr. motus*] Witechind. lib. 3, Dithm. lib. 12. *vocatur Magnus*] Helmoldus Buzouienſis lib. 1, c. 6

P.145. ℣ 11, *pacem d f.*) Wilhelmus Nangius in Chronico ſuo ad annum 977. Gaguinus lib 5, c. 6. *Roma ſepultus*) Dithm. libr. 3, Viterbienſ. parte Chronic. 17, hunc Othonem *Sanguinarium* appellatum ſcribit, ſicut & aliis *pallida mors Saracenorum* dictus eſt.

P.146, ℣ 1, *oculis priuat.*) Lambertus Schafnaburgenſis, Sigebert. *dignitatem i. v h. poſthac*) Mart. Polonus in Chronicis. Leopold. de Papenberg de iuribus regni & Imperii, c. 2, Rod. de Columna, de translat. Imperii, Marſil. Patauinus de translat. Imper. c. 11, Nic. Cuſanus de concord. Catholica, lib. 3, c. 4, Antoninus hiſt. parte 2, tit. 16, c. 4, Platina

in vita Gregorii, aliique infiniti. Verum ab iſtis diſſentiunt Auentinus lib. 5 annal. Boiorum, Iac. Curio libr. 2 rerum Chronolog. Onuphrius lib. 4 De comitiis imperat. Caſpar Peucerus libro 4. Chronici. *religionis cauſſa*) Roberti Galliarum regis inſignis pietas fuit: quippe qui aliquot ſacra cantica, quorum adhuc in Eccleſia vſus eſt, conſcripſit. Vt; *Spiritus S. adſit nobis gratia*, item de natiuitate Chriſti, *Iudaa & Ieruſalem*. Item de S. Petro; *Cornelius centurio*. Item collecta de Martyrib. Concede nobis Domine. Legatur Helgundus Floriacenſis in vita Roberti regis. *Boleſla. reg. dign.*) Mechouius in Chron. Poloniæ, Mart. Crom. lib. 3 hiſt. Polon. Curæus annal. Sileſiæ parte 1, Crantzius Saxon. lib. 4, c. 33. His fide dignis hiſtoriis contradicens primo Bodinus li. 1, c. 9 Reip. impudenter ſcribit; *Polonos ſceptra regia ſibi ab Imperatorib. Germanicis oblata recuſaſſe. rediens Otho*] Dith. lib. 4, Herm. Contractus. Propter ſingularem prudentiam & ingenium excellens *Mirabilia mundi* nominatus eſt, teſte Viterbienſi.

P. 147, ỽ. 1, *fir. vtrimque amicis.*] Sigeb Hedio parte 3 hiſtor. Eccleſ. libr. 9, c. 3, eos de ſtatu Eccleſiæ corrigendo quidve cum Rom. præſule acturi eſſent, cum Patauii conueniſſent, conſilia cõtuliſſe ſcribit. *gratus Cæſar*) Hinc ab Helmoldo lib. 1, c. 16; *Pii* cognomento ornatur, Hartm. Schedel in Chronico *Humilem* vocat. *dit. feciſſet*) Sigeber. Vrſperg.

Vectig. fecit) Friſing. libr. 6, c. 32, Viterbienſ. 17 parte Chronici.

Hung reg. Petrum] Sigeb. Schafnaburg. Vrſperg. Contractus. Mich. Ritius de reg. Hungar. lib. 2, Bonfinius dec. 2, lib. 2

P. 148, ỽ. 9, *Clemens II.*] Friſing. libro 6, c. 33, Sigeb. Schafnaburg. Vrſperg. Contractus. Sabell.

lib.

lib. 2, Ennead. 9, hos pontifices *tria monſtra* appellat. *Caſ. Popponem*) Poppo bis Ottoni Friſingenſi eſt *patriarcha Aquileienſis*, lib. 6, c. 33. H. Contractus *Brixienſem epiſcopum*) nominat. *quad. epiſtola*) contra epiſtolã Nicetæ Abbatis. Diſtinct. 31, c. omnino.

P. 149, ỽ. 3, *vnà cum ipſ. alerentur*) De Niceta eiusque contra Romanos ſcriptis videatur Sigebert. ad annum Chriſti 1504. Mart. Chemnitius part. 3 concilii Trid. eum non Græcæ, ſed Latinæ eccleſiæ membrum fuiſſe autumat, licèt Græcus natione fuerit. *Anno ſupra mill.*] Friſing. libro 6, c. 33. *praſ. Caſare*) Schafnaburg. H. Contractus, Vrſpergenſ. Crant. Saxon. lib. 4, c. 34. *Victor II.*) Lamb Schafnab. continuator Contracti. *non m. p.*) Schafnab. continuator Contracti.

P. 150, ỽ *penult.*) *Brem. archiepiſc*] Bremenſis hic archiepiſcopus Adelbertus fuit; non vt quidam volunt, ex Bauaris oriundus, ſed Friderici Saxoniæ Palatini F. Dedonis primi, Wetinenſis familiæ, nepos: princeps magnificus, & ad ſumma natus, ad quæ contendenti, mirabilis fortunæ viciſſitudo obiectus eſt. Vide Adamum Bremenſem canonicum; eccleſ. hiſtor. libr. 4, Albertum Stadenſem & Alb. Crant. in Metropoli.

P. 151, ỽ. 14, *vxorem Bertham*) Bertha vxor Hen. 4, nominatur à Viterbienſi Othonis Italiæ Marchionis filia.

vix elapſus) Autor vitæ Henrici. Helmoldus lib. 1, c. 27, & ſeqq.

Alex. II. mortuo) Friſingenſ. libr. 6, c. 34, Platina.

P. 152, ỽ. 7, *confirm.*] Schafnaburg.

P. 153, ỽ. 8, *facto trucid.*) Nauclerus volum. 2, generat. 36, Car. Sigonius lib. 9 de regno Ital.

à Gregorio VII.) Schafnab. Nauclerus.

P. 154, ỽ. 23, *nobilit. q. plur.*) Helmoldus lib. 1, c. 27.

P.155,ÿ 13, *ille Wormatiæ*) Sigeb. Marianus Scotus libro 3, ætate 6. *illum excommunicat*) Apud Sigonium de regno Italiæ lib.9, extat fulmen Pontificium in Henricum imperat. vibratum, plenum arrogantia & impietate. De hac excommunicatione ſic loquitur Otho Friſing. epiſcopus: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Roman. pontifice excommunicatum, vel regno priuatum*, lib.6 Chronici, c.35. *Germaniæ prin.*) Auentinus libro 5.

P.157,ÿ 22, *Ingreſſus it.*) Schafnaburg. Berthol. Conſtantienſis.

P.158,ÿ 11, *Cæſar autem*) Benno Cardinalis in vita Gregorii VII. Vrſperg Berthol. Conſtantienſis.

P.160,ÿ 8. *ſept. ſeptimo*) Berth. Conſtantienſis.

è vita deceſſit) Auctor vitæ Henr 4, Friſing. lib. 6, c.35, & de geſtis Fred. lib.1, c.7. Helmold. lib.1, c.28 & 29, Berth Conſtant.

Henr. ab ea Victor) Friſing. de geſt. Frid. libr. 1, c.6, Vrſperg. *conſecratur*) Helmold. hiſtor. Sclauonicæ lib.1, c.30, Marianus Scotus lib.3, ætate 6.

Gregorio mort Guil. Tyrius lib.1, c.14 & 15, Æmil. lib.4, Blond. dec.2, lib.4. *bellum Saracenicum*) Bellum hoc ſacrum deſcripſerunt præter Guiliel. Tyri archiepiſc. auctor Chronici Hidroſolymitani à Reineccio editi, Fucherius Carnotenſis Balduini regis capellanus, Rob. Monachus, Benedictus de Accoltis.

P.161,ÿ 15, *in ærumnis*) Friſing. libr.7, c.12, Viterbienſ. De hoc Imper. Henrico 4 ſic ſcribit Vincentius in Speculo hiſtoriali, libr.26, c.117: Henricus ore facundus fuit, acer ingenio, eleemoſynis largus; ſexagies & bis acie collata dimicauit

venit) Friſing. lib.7, c.14. *Hic ergo Cæſ.*) Friſing. libr.7, c.12 Helmoldus lib.1, c.40. Vrſperg. Sigeb.

P.162,ÿ 5, *Cæſar. excommunicat*) Liuius lib.39. *Nihil*

hil in ſpecie fallacius eſt, quam praua religio. vbi Deorum numen prætenditur ſceleribus, ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis diuini iuris aliquid immiſtum violemus. Q. Curt. lib. 4, *Nulla res efficacius multitudinem regit quã ſuperſtitio; alioquin impotens, ſæua, mutabilis, vbi vana religione capta eſt, melius vatibus, quam ducib. ſuis paret.* *Cum Caſare transig.*) Quib. condicionib. transactum ſit, explicat Friſing. lib. 7, c. 16, Crant. Saxon. lib 5, c. 42, Sigon. de regno Ital. lib. 10, Platina in Calixto. *Hic Sueuiæ dux*) Vrſp. Alb. Albert. Abbas Stadenſis.

P. 163 ℣. 12, *egiſſe fertur*) Friſingenſ. lib. 7, c 15, Vrſperg. Helmoldus lib. 1, c. 55, Ritius de reg. Siciliæ lib. 1, *confut. eſſe diximus*) Vrſperg. Auentinus lib. 6, Sigonius de regno Italiæ libr. 11, Theod. Bibliander in Chronolog.

P. 164, ℣. 1, *prouinc. dederat*) Friſing. lib. 7, c. 25. Lupoldus hic Auſtriæ dux fuit, S. Leopoldi filius, Auentin. lib. 6. *Hic Rogerium*) Vrſperg. Viterbienſ. *Cæſarem metuens*) Geyſa ſecundus Vngariæ Rex, Geyſæ Magni pronepos, *Borychum*, vel vt alii vocant, Broycum filium Calomani regis ex adulterio natum regno eiecit, ob id ei Imperator infenſus erat, Ritius libr. 2 de reg. Hungar. Auentin. lib. 6. *Tandem prof.*] Æmil. lib. 5. Auent. lib. 6. *Frid. Aenobarb.*] Friſing. de geſt. Frid. lib. 2, c. 1. *Is initio reg.*] Friſing. lib. 2, c. 11, Otho de S. Blaſio, c. 6, & 7. *Dertonam comp.*] Gunth. Ligurihi lib. 3, Friſing. de geſtis Friderici lib. 16, 17, 18, 19, & 20.

P. 165, ℣. 3, *Ignominioſe mulctat*) Duo hic notanda ſunt. Primo ignominioſa Palatini mulctatio, quæ fuit geſtatio canum, priſcis Germanis vſitata. Meminit eius Witechindus monachus lib. 2, Otho Friſing. de geſt. Frid. Imper lib. 2, c. 28, Guntherus Ligurini lib. 5, Arnoldus Lubec. continuator Helmoldi lib. 7, c. 2, Dodechind, ad annum 1155, Crantzius Saxon. lib. 3, c. 15. Erudi-

tè autem hunc morem expreſſit Georgius Sabinus in Cæſarib. ſuis hoc tetraſticho :

Mos erat antiquus, qui publica commoda pacis
Cæſare turbaſſet bella gerente focus;
Totius Imperii reus inſpectante ſenatu,
Vt canis impoſitum corpore ferret onus.

Secundo notetur creatio ducis Boemiæ in regẽ. Facta eſt illa hac lege, *Ne dignitas iſta ad poſteros tranſiret, ſed ei honoris ſucceſſor exheres foret* Auentin. *inter. Mediolan.*) Friſing. libr. 2, c. 30.

P. 166, ỹ. 8, *Caſ excommunic.*) Mutius lib. 18, Ioan. Marius de ſchiſmat. & concil. part. 3, c. 11. *prof. Venetias*) Sabell. Enucad. 9, libr. 5, Naucler. generat. 41, vol. 1. *Facta d. p.*) Nicetas Choniates lib. 2, de rebus Iſaaci Angeli. *impetu fluminis*) Arnold. abbas Lubecenſis Helmoldi continuator; nominat fluuium hunc *Saleph*, aliis *Serra* dicitur. Hier. Mercurial. lib. 4 var. lect. Cydnum Ciliciæ flumen eſſe cenſet, & citato Galeno ex lib. de cauſ. procatarcticis, Alexãdrum M. æſtiuo tempore, dũ ſe in eodem flumine lauiſſet, conuulſionẽ ac tremore, torporeve captum fuiſſe ſcribit.

Apulia & Calab.) Otto de S. Blaſio, c. 39, & 40.

P. 167, ỹ. 15, *Occiſus d. in cub.*) Otto de S. Blaſio c. 50, Arnold. Lubec. lib. 7, c. 14.

P. 168, ỹ. 3, *Innoc. tertius*) Tom. 4, concil. p. 211, Vrſperg. *ſeruentur*) Decret. concilii Lateranenſ. c. 20. *peccatorum*) c. 21.

nullam hab.) c. 25. *promittant*) c. 43. *praiudicent*) c. 44. *eccleſiaſt.*) c. 46.

decumas) c 54. *capſulam*) c. 62. *priuantur ordine*) Repetitur 3 Decretal. t. De baptiſ. & eius effectu. c. 6.

P. 169, ỹ. 20, *Mort. d. vxore*) Vrſperg. Ioh. Cuſpinianus.

P. 170, ỹ. 3, *Cæſar q. amans*] Mutius lib. 20, Cuſpinianus.

P. 171, ỹ. 10, *B. Petri ſedes*) Diſt. 19, c. Enimuero.

Rom.

Rom.pontif.)Diſt.17,c.1,Synodum,&c.4.Ne licuit, item c.5, Multis denuo. *pronunciatas*) Diſt.19, c.2,Sic omnes. *Perferend.*)Diſt.19,c.3. In memoriam. *vxores*)Diſt. 31, c. 2, Sacerdotib.item c.7, Si laicus, & c.10,lex continentiæ.

habere) diſt.34, c.4, Is qui non habet, item c.5, Chriſtiano. *iudicet*) Diſt. 40, c. 6, ſi papa. *non praeſſe*) Diſt. 96,c. 11, ſi imperator, item c. 12, Nũquam de pontificib. *à ſolo Deo*) 9, q. 3, c. 13, Nemo iudicabit. item c. 14, Aliorum hominum, & c.15, Facta ſubditorum. *tenentur*) 15, q. 6, c. 3, Alius item.

P. 172, ℣ 3, *non ſubiici*]Decretal. Gregor. lib.1, t.6, c. 4,ſignificaſti.§ Aiunt in conciliis. *reiicere*) Decret. lib. 1, t. 6, c. 34,venerabilem. *Luna*)Decretal. lib. 1, t. 33, c. 6, Solitæ. *remiſſius*) Decretal. lib. 2, t. 1, c. 4, At ſi clerici. § De adulteriis vero. *cognoſcere*)Decretal. lib 2, t. 1, c. 12, cum veniſſent. *exh. & protici*) Decretal. lib.3.t.18, c. 12. Sacris, & lib. 5, t. 33, c. 5, Adhæc. *loco & mag*) Sexto Decretal. lib. 2, t. 14, ad Apoſtolicæ. *per iuſiurandum*]Clement.lib. 2,t 9, c.vnico. *munere*) Decret. lib. 3,t. 49, c.7,Aduerſus. *publicari*) Decret. lib. 5,t. 7,c.10,Vergentis.item 24,q. 2,c.6, ſanè profertur. *admitti*) Sext Decretal. lib. 5, t. 2, c. 15, Statutum. *ſubſint*) Extrauag.comm.lib. 1, t. 8, de maiorit. & ob. e. vnam ſanctam.

P. 173, ℣. 16, *omitto pelagus*]In Decret. lib. 3, t. 5, de præbendis & dignitat.

Ludouicus]Blond. dec.2,lib. 8.

anno ſalut.) Gaguinus lib. 7, c. 2, Æmilius lib. 7.

P. 174, ℣.3, *Guil.Epiſc.*]Ioan. Til. in Chronic. Franciæ. *tantum atque ſcr.*] Hen Pantaleon in Chronologia Eccleſiæ, Chronicon Fland. lib. 8, Guil. Epiſc. Pariſinus ſcripſit librum de pluralitate beneficiorum; teſte Ioh. Trithemio de ſcriptor. eccleſiaſt. *Greg ſucceſſit*]Tom. 4, concil. Æmil. lib. 7.

dem. innocent.) Vide Matthæi Paris Monachi Albanenſis hiſtoriam maiorem p.648. *Decr.Cæſar*) Mutius lib.20. *poſt inuaſit*) Mich.Ritius lib.2. De regibus Siciliæ. Mutius lib.20, Crant.Saxon.libro 8,c.6. Sigon.de reg. Ital.libr. 18. *Azo*) Alciat.Parerg.libr.10,c 25. *caſ.edicto*) l.1, § Noſtram, C.de vet.iur.enucl.

*P.*175.ꝟ 5, *ſcrinia comp.*) Horat.lib.1, Sat.1. *multo ſ.q.d.*) Terent.Phorm.Act.2,ſc.4 *comicus*) Terent.Eunuch.Act.5,ſc.6

Cicero) 2 De legib. *medius Philoſ.*) Cicero 1. De legibus.

P.176,ꝟ 4, *Ab eius morte*) Egnat.18.annotat.interregni nominat. *non tenebant*) Frid.2. Imperat. exſtincto ſucceſſit Conradus F.eius nominis 4.cui oppoſitus eſt Wilhelmus comes Hollandiæ. Illo autem exſtincto, & hoc in Friſia cæſo à ſeptemuiris de electione diſcordantibus, creati ſunt duo Cæſares, Richardus princeps Cornubiæ Anglus, & Alphonſus rex Caſtellæ. Neuter tamen horum imperio diu præfuit: Nam Adolphus ſpõte abdicauit; Richardus pecuniis exhauſtus in Angliam rediit. *regnum Neapolit.*] Mich.Ritius libr. 3.de regibus Siciliæ & Neapolis. *prælio interficitur*) Æneas Syluius hiſtoria Bohemica c.27. Mucius lib.21, Cuſpinianus. *Chunus*] Mutius libr. 1, Bonfin.dec.2,lib.8

P.177,ꝟ 1, *Cæſar prof.*] Ioh. Cuſpinianus. *narraſſe fab.*) Refert apologum Plato in Alcibiade priore, & Horatius libr.1, epiſt.1.

Exarchatum) Exarchatum Pontifici conceſſit Rud. Imper. ea conditione, vt Pontifex ſuis impenſis & ſumtu exercitũ contra infideles & Barbaros in Aſia & Africa alat, quemadmodum in ſcripto ſuo contra Iul. Pontificem edito Maximilianus Imper. demonſtrauit. Auentinus lib.7. Quas verò ciuitates complexus ſit Exarchatus, docet Sigonius de regno Ital.lib.3.

*P.*178,

P.178, ℣ 6, *iurant inter alia*] Bergomenſis libro 13, Æmil. lib. 7, Mich. Ritius libro 2 de regibus Siciliæ, Blond. libro 8, dec. 2, Crantzius Metropol. libro 8, c. 30. Meminit Sleidanus comment. libro 1, & Brutum fulmen, auctore Fr. Hotomano, vt volunt.

veſperas Siculas] Paulus Æmil: ;s hiſt. Franc. lib. 7, Tilius in Chronico Franc. T ɔmas Fazellus rerum Sicularum, dec. 2, lib. 2, lit. 8. Michael Ritius de regibus Sicil.

Lucenſes & al.] Mutius libro 2, Sigon. libr. 20 de regno Italiæ, Crant. Metropol. libro 8, c. 40. Naucl erus.

ſucceſ. Adolphus] Alb. Argentinenſ. Mutius libro 22.

P.179, ℣ 13, *Phil. Pulcrum*] Æmilius libro 7. Gaguinus libro 7, c. 5, Mutius libro 22

licere pontifici] Sext. Decret. libro 1, c. Quoniam aliqui. *ſcribitur*] Platina, Crant. Metrop. libr. 8, c. 48. *Bohemiæ rege*] Æneas Syluius in Bohemia ſua, c. 31. *Frid. II. Cæſar.*] Vita Henrici VII. deſcripta eſt à Conrado Vecerio, ſecretario regio.

vrbis committit] Paul. Iouius libr. 2, de vita Comitum Mediolanenſ.

Auenione hab.] Platina, Crant. Saxon. lib. 9, c. 3, & 4.

P.181, ℣ 15, *Rhodii dic. eq.*] Faſciculus Temporum, Alb. Argent. Paulus Æmilius libro 8, Gaguinus libro 7, c. 5, Huld. Mutius Chronic. German. libro 21, Naucl. volum. 2, Generat. 44, Tilius in Chron. reg. Franc. Crant. Metropol. libro 9, c. 6, Rod. Hoſpinianus de orig. Monach. libro 5, c. 18

Aurelianenſis academia] Middendorp. libro 2 Acad. orb. Chriſt. Tilius in Chronic. regum Franc.

Nam de principatu] Alb. Argent. Mutius libro 24, Auent. libr. 7.

P.182, ℣ 8, *moritur*) Iohann. Cuſpinianus, Alb.

Digitized by Google

Argent. *Cæſarem ei pec. ſup.*] Tilius in Chronico Franciæ regum.

P. 183, ℣ 9, *ad pontificem Romanum*] Mutius libro 24, Auentin. 8

P. 184, ℣ 1, *Paulo ante hoc tempus*] Polyd. rerum Anglic. libro 19, Gaguinus libro 8, c. 2, Georg. Lilius in Chronic. rerum Anglic.

bellum grauiſſ.) Bellum hoc ingens & atrox ab anno Chriſti 1335, vſque ad annum 1400. perdurans Froſſardus copioſe perſecutus eſt. Sleidanus eandem hiſtoriam ex Froſſardo breuiter & dilucide peculiari libro explicauit. Excluſit autem Eduardum Anglum à regno Galliæ lex illa, quæ exſtat lib. leg Salicæ, t. 62, § 6. edit. Ioh. Heroldi.

Carolus eius nom.) Huld. Mutius lib. 25, Auentinus 8, Iacobus Meierus in annal. Flandriç libro 12, ſcribunt nominatum à Ludouico Imper. vicarium ſacri Romani Imperii Eduardum Angliæ regem, deinde ab Electoribus ad Imperium vocatum; quod tamen non accepit, omnia interim reipubl. ſtudia pollicitus.

ne vel Roma) Lege hic Franciſci Petrarchæ epiſtolam ad Nerium Foroiulienſem, Cæſaris notarium. Iouius lib. 8 de vita vicecomitum Mediolanenſium.

P. 185, ℣ *plurimum eneru.*) Atque hinc eſt, quod Maximilianus primus Imperator de Carolo 4 dixiſſe ſcribitur; *Eo peſtilentiorem peſtem aliàs nunquam Germaniæ contigiſſe.* Refertur à Iacobo Spigelio in comment. ad 5 librum Guntheri Ligurini. Videatur præterea Theodor. de Niem, qui Carolum 4 libro, 2 cap 25 de ſchiſmate, Diſſipatorem Imperii: in Nemore Vnionis tractatu 6, *alterum M. Craſſum*; item, *Vitricum Imperii* nominat. Idem Carolum cum Wenceſlao F. Imperium totum affirmat vendituros, modo emtorem habuiſſent. Conſule Crant. Saxon. libro 10, c. 3, & 4.

Ex

Ex Italia] Alb. Argentin. Philip. Bergomenſ.

mortuus eſt) Æneas Syluius hiſt. Bohem. cap. 33, Egnatius, Crantz. Saxon. libro 9, cap. 29, & libro 18, cap. 3. Iohannes Dubrauius hiſtor. Bohem. libro 22.

Galliæ rex] Æmilius libro 9, Gaguinus libro 9, cap. 1. *vitam ib. fin.*) Æmil. libro 9. Rob. Gaguin. lib. 9, c. 1, Lilius in hiſtoria Anglica. Ritius libro 3. De regib. Francorum.

P. 186, ỽ. 5, *auarum & crudelem*) Accuſatur hoc nomine ab Electoribus Imperii in diplomate quod exſtat editum operâ Chriſt. Vrſtiſii, tom. 2, hiſt. German. p. 180, videatur etiam Theo. à Niem de ſchiſmate lib. 2, c. 25, & Nemus vnionis tractatu 6, item Iohann. Dubrauius lib. 23.

P. 186, ỽ 10, *vocat. Vladiſlaus*] Matth. Mechouius c. 2 Sarmatiæ Europææ, Curæus part. 1. Annal. Sileſiæ, Mart. Cromerus lib. 14, & 15, de reb. Polon. Auent. lib. 8, Alex. Gaguinus in deſcript. Lithuaniæ.

Cal. Octobris] Chalcocondiles libro 2 rerum Turcic. Bonfin. dec. 3, lib. 2.

Gal. rex Carolus] Rob. Gaguin. lib. 9, c. 3.

P. 187, ỽ 2, *precium perſoluiſſ.*] vide Iac. Meieri annal. Flandr. libr. 14, vbi nonnihil ab hac narratione variat.

Cum in Gall. red.) Gaguin. lib. 9, c. 3, *Cal. Decembr.*) Æmil. lib. 10, Mich. Ritius lib. 3, de reg. Franc. comment. Pii papæ 2, lib. 6, p. 273.

cauſa præerat) Æmilius lib. 10, Tilius in Chronico Franciæ. Ritius de reg. Francor. comment. Pii papæ libr. 6, p. 280, Annal. Flandr. lib. 15.

P. 188, ỽ. 2, *cum pr. ign. cont. è Wencesl.*] Æn. Syl. hiſt. Bohem. c. 34. *Rober. palat. el.*) Ioan. Cuſpinian. Egnatius, Mutius lib. 26.

Galeatio) Egnatius, Cuſpinianus, Iouius libr. 10 de vita Vicecomit. Mediolanenſ. Auent. lib. 7. *atq;*

potentia) Pomp. Mela lib. 3, *Germani ius habent in virib.* Ammian. Marcell. lib. 17, *Barbaris eſſe omne ius in virib. conſueuit.*

P.189, ỳ.2, labefactata fuit] Iouius lib. 11, de vita & geſt. Vicecomit. Mediolanenſ.

Bohemiæ. q. rex] Io. Cuſpinian. Æn. Syluius hiſt. Bohem. c. 39.

Ioh. XIII) Ioan. Marius de ſchiſm. & concil. par. 3, c. 13.

fuit enim int. Bonifac.) Crant. Saxon. lib. 10, c. 36, Auent. lib. 7.

in Gallias] Gaguinus lib. 7, c. 5, Alb. Argentinēſ.

Romam reuertit] Sabell. Ennead. 9, lib. 8, Theodoricus Niemus lib. de ſchiſmate.

P.190, ỳ.7, Deplorabant tunc] Vide Catalogum teſtium verit. à Matth. Flacio editum. *meretr. Babylonicam*) Petrarcha in epiſt. ſine tit. epiſt. 7, 8, 9, & 13, Auenionem *tertiam Babyloniam, quintum Labyrinthum, ſcelerum & dedecorū ſentinam, laruarum ac lemurum domum* appellat. *concilium in Germ.*) Tom. concil. 4, p. 248. *eò veniſſent*) Æneas Syluius hiſt. Bohem. c. 36, H. Mutius lib. 27, Io. Dubrauius li. 24. vide acta huius cōcilii integro volumine comprehenſa. *in commun. conſuler.*) Mutius lib. 27, Egnatius, Cuſpinianus.

P.191, ỳ.2, *Eugenio IV. confecr.*] Mutius li. 27. Huius ſynodi hiſtoriam duob. lib. complexus eſt Æneas Syluius, quos poſteapōtificatum adeptus abolere conatus eſt. Vide tom. 4 concil. p. 414. *Hic ſucceſſ. habuit*) Æn. Syl. hiſt. Bohem. c. 55. *typographicum inuentum acc.*) Ars typographica ab homine Germano, in media Germania Moguntiæ inuenta & excogitata eſt anno Chriſti 1440, vt Polyd. Virgil. lib. 2, c. 7, de rer. inuent. S. Münſterus, Fr. Philelphus, Philipp. Beroaldus, aliiq; plurimi atteſtantur. Verum Patrum memoria, referente Cōr. Peutingero, in ſermonib. conuiualib. Pomp.

Lætus

Lætus eã laudem noſtris præripere voluit, ſic ſcribens ad Auguſtinum Maphæum: Imprimendi facultas, multis ſæculis intermiſſa, paulo ante reuocata eſt. Iouius etiam hiſt. lib. 14, in regione Sinarũ libros ante multos annos impreſſos exſtare ait. Io. Conſaluus Mendoza lib. 3, c. 16, de regno Chinæ ſcribit artem typographicam 500 annis ante, quã ad Germanos, veniret, eius loci in vſu fuiſſe. Videatur etiam Ioh. Petrus Maphæus hiſt. Indic. lib. 6. Hadr. Iunius in Batauia c. 17, artis huius inuentionem ciui cuidam Harlemenſi attribuit.

P. 192, ℣. 2, *Vladulaus Vlad. F.*] Chalcocon. lib. 6, & 7, Bonfin. dec. 3, lib. 6. *occubuit)* Mutius lib. 28 Iouius libr. 2 Elogiorum, ſub effigie Iuliani Cæſarini Cardinalis. De hac clade Varnenſi exſtant duo libri Callimachi Experientis copioſe & erudite ſcripti. *conſtituta ſ. reg.)* De expugnatione Conſtantinopolis, quæ incidit in annum Chriſti 1453, exſtat liber Leonardi Chienſis Epiſcopi Mitylenæi, & Godefridi Langi. Videantur præterea Chalcocondiles lib. 8, continuator Mich. Glycæ. Commentar. Pii papæ 2, lib. 1, p. 38, Crant. Saxon. lib. c. 33, Chriſtoph. Richerius de reb. Turcicis lib. 4. Notetur autem vrbem hanc à Conſtantino M. Helenæ filio inſtauratam, ſub Conſtantino Palæologo, itidem Helenę filio, a Turcis occupatam eſſe. Recte itaque dixit Iornandes lib. 1, *In ius ſæpe regna deficiunt, à quorũ nominib. inchoant.* *ſub mort. Frid.)* Mich. Ritius lib. 3, de reg. Hiſpaniæ. *finib. ad)* Legatur hiſtoria Magni Conſalui tribus libris à Paulo Iouio deſcripta; item liber de expugnatione Granatæ. *Philippo nepos Cæſ.)* De huius Imper. reb. geſtis ſcripſerunt Guicciardinus, Ioh. Sleidanus, Iouius, Surius, aliiq; plurimi.

P. 193, ℣. 6, *Carolo V. Cæſ.*] Sleid. comment. lib. 9. *Afric. vrbem)* Bellum Tunetanum Ioh. Etrobius deſcripſit. Africæ (quam *Mahadiam* à Mauris dici

Fazellus tradit) expugnatio à Chriſt. Calueto Stella expoſita eſt: ea quomodo rurſus amiſſa ſit, exponit Ioh. Leonclauius in continuatione Annal. Turcic. à ſe editorum.

P.194, ℣.19, *Franciſcus primus*] Arnold. Feronius lib.9, de reb. geſtis Gall. Tilius in Chronico Francorum.

P.195, ℣.26, *Danielem*] Zonar. tom.1.

P.198, ℣.17, *Tradunt nonnulli*] Ioſeph. antiq. Iudaicar. lib.11, c.7 & 8, Zonaras tom.1.

P.199, ℣.8, *ad ſtatuam Nebuch.*2] Dan.2, Ioſeph. antiqu. Iudaic. lib.10 c.12.

P.201, ℣.21, Lutherus in Danielem.

FINIS NOTARVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

198
4
43